PERIODICA

DE RE MORALI CANONICA LITURGICA

FUNDATA AB ARTHURO VERMEERSCH S. I.
EDITA A PROFESSORIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE

QUIBUSCUM OPERAM SIMUL NAVANT
ALII E VARIIS GENTIBUS PROFESSORES ET DOCTORES

TOM. XXIX / FASC. I-II
15 FEBRUARII / 1940

ALMA COLLEGE
P
LIBRARY
PDRM
Alma, California

ROMAE
SUMPTIBUS
PONTIFICIAE UNIVERSITATIS
GREGORIANAE

BRUGIS
VENIALIA APUD
CAROLUM BEYAERT
EDIT. PONT.

1940

17263

v.29
1940

DISSERTATIONES
ET QUESITA VARIA

De ritu mulieris

De uxoris ritu agi coepit, postquam saec. XVI et XVII Summi Pontifices interdixerunt fideles ad alium ritum propria auctoritate ne transirent. Primus Clemens VIII, quatenus video, de hac re praeceptum dedit. Cum ex ritus diversitate coniugum saepe haud levia incommoda orirentur, in nota sua « Instructione pro Italo-Graecis » statuit: « Graeca vero uxor sequatur ritum mariti latini ». Quod praeceptum ipse vero statim mitigavit addens: « Quodsi id fieri non possit, quisque coniugum in suo ritu, catholico tamen, manere permittitur ».[1]. Latinam autem uxorem ri-

---

[1] § 5, *Cod. Iur. Can. Fontes,* t. I, p. 345. Status rerum qui illo tempore in haud paucis locis existebat, nobis depingitur litteris Antonii Lombardi, archiepiscopi Messanensis (a. 1589?), quas publici iuris fecit P. C. Korolevskij in per. *Bessarione,* t. XXIX (1913) 466 sqq., et iterum editor anonymus in *Roma e l'Oriente,* t. VIII (1914) 339 sqq. Hic dicitur « Sogliono contrahere matrimonio Greci con Latini et se il padre è Greco et la madre Latina, gli figliuoli che nascono, si battezzano et vivono alla greca et anco la molie Latina viverà alla greca, tirata dal marito greco, et così la moglie greca tira il marito latino a vivere alla greca — si ricerca rimedio ». Ib. p. 349. Cardinalis Santori respondit ea fere ratione ac postea in Instructione stabilitum est; « ... sed qua agitur inter eos de transeundo ad alterum ritum videtur ut vir latinus uxorem graecam ad latinum pertrahat; atque uxor latina virum graecum ad suum ritum tamquam ad securiorem seu perfectiorem trahat; et filii ex eis geniti in ecclesia latina ritu latino baptizentur; ac ita totum contrarium eius quod exponitur, observandum es-

tum sequi graeci mariti vetuit. Hac norma etiam Graecorum uxores latinas quamvis more graeco baptizatas teneri, si in reliquis latine viverent, declaravit S. Officium die 26 Nov. 1626 [2]. Eadem fere praescripta repetita sunt a Benedicto XIV in constitutione « Etsi Pastorali » a. 1742 pro Italo-Graecis data: « Graeca uxor potest, si velit, sequi ritum mariti latini; post cuius obitum ad ritum graecum redire nequeat. Quodsi nolint, unicuique coniugum in suo ritu, catholico tamen, manere permittatur » [3]. Ad omnes Orientales similis norma extensa est a S. Congreg. de Prop. Fide die 19 Maii 1759: (Sacra Congregatio) « permitti posse censuit, ut uxores suorum virorum ritum sequantur, dummodo uxor non sit ritus latini, quo in casu, inconsulta S. Sede, ad mariti ritum transire non permittitur » [4]. Cur liberum esset uxori orientali ad ritum mariti latini transire, non vero uxori latinae assumere ritum mariti orientalis, in const. « Allatae sunt » Benedicti XIV exponitur: « Cum Latinus Ritus is sit, quo utitur Sancta Romana Ecclesia, quae Mater est et Magistra aliarum Ecclesiarum, reliquis omnibus Ritibus praeferri debet. Ex quo porro sequitur, haud licere a Latino Ritu ad Graecum transire; nec illis, qui semel a Ritu Graeco, vel Orientali, ad Latinum transierunt, integrum esse ad pristinum Graecum Ritum reverti... » [5].

---

set apud nos Latinos et in Occidentali ecclesia prout etiam alias rescriptum est ad D. Patriarcham Venetiarum et Episcopum Anconitanum » ib. t. XII (1916) 128. Ut hoc responsum ordinationesque Summorum Pontificum melius intelligantur, sciendum, sacerdotes graecos qui curam horum fidelium susceperunt, saepe ab patriarchis Constantinopolitanis missos esse et imbutos fuisse doctrinis apud dissidentes receptis. Cf. v. g. investigationes quae circa idem tempus Anconae factae sunt, et publicatae a P. C. Korolevskij. *L'Istruzione di Clemente VIII « Super aliquibus ritibus Graecorum »* (1595) *e le Congregazioni per la riforma dei Greci* (1593), Bessarione t. XXIX (1913) 344-365, praesertim p. 348 sq.

[2] *Codificazione Can. Orient., Fonti*, t. I, p. 457.

[3] *C. I. C. Fontes*, t. I, p. 750.

[4] Ibid., t. VII, p. 63, n. 4527.

[5] Ibid., t. II, p. 459.

Hae normae usque ad finem saeculi XIX viguerunt. Expetitum est sane aliquando ut mortuo saltem marito uxoribus orientalibus quae ad eius ritum transierant, ad proprium reverti liceret; sed illo tempore S. Congregatio decisionem non tulit [6]. Tota vero haec de uxoris ritu quaestio proposita est et pertractata in Commissione Orientali quae constituta est ad schemata pro missionibus et ritibus orientalibus in concilio Vaticano praeparanda. In uno ex schematibus ab ea elaboratis ita legitur: « Uxores virorum suorum ritum amplecti poterunt. Verum ante matrimonium coram parocho semel declarare debent in quo ritu vivere malint, in eoque in posterum omni variandi facultate adempta, perseverare teneantur. Ceterum serventur hac super re consuetudines ab apostolica sede expresse approbatae » [7]. Mens Commissionis ulterius manifestatur adnotationibus schemati additis. Ibi enim dicitur hanc normam proponi « cum valde expediat ut unitas ritus in familiis promoveatur, quandoquidem experientia duce satis superque innotuerit, haud rara esse dissidia, ubi ritus disparitas, idcirco visum est mulieribus cuiuscumque ritus *etiam latini* transitum ad viri sui ritum permittere. Ex quo illud quoque consequitur ut ritus ipsius integrae observantiae consulatur; quando namque coniuges diversi sunt ritus, attenta praesertim kalendarii diversitate, uterque in periculo proprii ritus praecepta violandi versatur » [8]. Quodsi in schemate consuetudines ab Apostolica Sede expresse approbatae reservantur, id factum est ob Ruthenos, cum referretur apud eos ex diuturna consuetudine, etiam post responsum anni 1759, utrumque coniugem in proprio ritu manere et hunc usum confirmatum fuisse in « Concordia » anno 1862 inter Latinos Ordinarios Ruthenosque inita et a S. Sede approbata.

Schema a Commissione Orientali praeparatum ob concilii Vaticani suspensionem neque discussum neque ap-

---

[6] *Codif. Can. Orient., Fonti*, t. I, p. 459.
[7] MANSI, t. 53, col. 899.
[8] Ibid., col. 905. Cf. etiam MANSI, t. 50, col. 83* - 1139.

probatum est; proinde nullam obtinuit auctoritatem. Anno vero 1887 S. Congr. de Prop. Fide responsum edidit quo nonnulla dubia circa responsum anni 1759 tollerentur [9]. In eo declaratum est 1. nullam differentiam existere inter verbum *sequi* in illo decreto usurpatum et verba *eligere* et *adoptare* quae alibi pro casu identico reperirentur; 2. facultatem vero factam mulieri nubenti sequendi ritus mariti aequivalere verae mutationi ritus pristini, ita ut omnibus obligationibus ritus mariti teneretur, etiam mortuo viro; 3. mulierem quae non potuisset vel non voluisset sequi seu adoptare ritum viri sui, non posse sese eidem conformare in ieiuniis et diebus festis propter necessitatem vel sine necessitate absque Apostolica dispensatione; 4. mulierem quae tempore initi matrimonii prorsus ignoravisset sibi licere ritum mariti sui sequi seu adoptare et post cognitum errorem declararet se libenter eumdem adopturam fuisse, si scivisset, et nunc quidem idipsum sequi cupere, posse quasi innovato beneficio gaudere et deinceps ritum maritalem nova facta declaratione sequi et adoptare; 5. Ad interrogationem: « Utrum recenter et reapse, uti asserere volunt nonnulli, S. Sedes declaraverit mulierem, quae secuta est modo regulari ritum viri sui, ad pristinum reverti posse aut etiam violenter reduci », responsum est: « Recurrendum in singulis casibus ». Maxime notandum est hic 4. responsum, quo mulieri etiam tempore plus vel minus diuturno post initum matrimonium elapso, facultas transitus facta est, dummodo transitum licitum esse antea ignoraverit.

Verum graviores innovationes disciplinae usque ad id tempus vigentis allatae sunt ab constitutione Leonis XIII « Orientalium dignitas » (a. 1894), qua et discrimen inter mulierem orientalem et mulierem latinam existens sublatum est, et opportune concessum ut mortuo marito uxor ad pristinum ritum rediret, et permissum ut non solum

[9] *C. I. C. Fontes*, t. VII, p. 518, n. 4919.

ineundo matrimonio sed etiam durante matrimonio uxor mariti ritum adoptaret [10].

Posterioribus temporibus in constit. « Ea semper », die 14 Iun. 1907 pro Ruthenis Statuum Foederatorum data, ex parte reditus factus est ad normas pro Italo-Graecis stabilitas: uxoribus latinis ad ritum mariti transire non permittebatur [11]. Ex huius constitutionis promulgatione cum graves difficultates ortae essent, post paucos annos novum decretum latum est quo Rutheni Statuum Foederatorum normis iuris communis subiciebantur [12]. Id unum hic singulare erat quod statutum est, mulierem (sive latinam sive ruthenam) ritum viri sequi posse, « quin ex hoc sui nativi ritus mutatio inducatur ». Sed hoc experimento mox relicto Codex Iuris Canonici ad normam a Leone XIII stabilitam rediit. Posteriora decreta in hac re, ut consentaneum erat, secuta sunt C. I. C.

* * *

In C. I. C., can. 98, § 4 statuitur: « Integrum est mulieri diversi ritus ad ritum viri, in matrimonio ineundo vel eo durante, transire; matrimonio autem soluto, resumendi proprii ritus libera est potestas, nisi iure particulari aliud cautum sit ».

Supponitur matrimonium validum vel etiam putativum, quod in hac re sine ullo dubio matrimonio valido assimulatur. Quod autem conceditur mulieri ut ad ritum mariti transeat, id intelligendum est de ritu catholico mariti. Hic si v. g. ad Graecos dissidentes pertinet, non licet uxori latinae ritum graecum, licet catholicum, adoptare, etsi idem

---

[10] *C. I. C. Fontes*, t. III, p. 458.

[11] Art. 27, *A. S. S.*, t. 41, p. 9.

[12] Decretum *Cum Episcopo*, 17 Aug. 1914, *A. A. S.*, t. VI, p. 463. Iam ante idem statutum erat in decr. *Fidelibus Ruthenis*, 18 Aug. 1913, pro Ruthenis regionis Canadensis, *A. A. S.*, t. V, p. 398, et postea repetitur in decreto *Cum sat numerosiores* pro Ruthenis immigrantibus in regionibus Americae meridionalis, *A. A. S.*, t. VIII (1916) 107.

liturgice sit ritus catholicorum et dissidentium. Non solum enim ex § 1 huius canonis apparet, in hoc canone de variis ritibus catholicis sermonem esse, sed etiam ex ipsa deducitur rei natura. Nam permissio transeundi datur mulieri ad unitatem et uniformitatem in familiis promovendam; ubi vero ipsius fidei discrepantia habetur, ritus uniformitas non solum veram familiae unitatem afferre non valet, sed e contrario haud raro grave periculum pro fide mulieris constituet. Ob similes rationes legislator in can. 756 § 4, prolem ex matrimonio mixtae religionis natam non ritum patris dissidentis sed matris catholicae sequi oportere statuit.

Transitus mulieris fieri potest vel in ineundo matrimonio vel eo durante; matrimonio semel soluto non iam fieri potest sine permissione S. Sedis, licet mulier ritum suscipere cupiat ut melius prolem in ritu patris baptizatam instituat. Matrimonio soluto sive per mortem mariti sive per dispensationem super rato et non consummato sive per sententiam nullitatis, integrum ei est proprium ritum resumere. His verbis non comprehenditur separatio tori, mensae et habitationis neque haec dissolutioni matrimonii aequiparanda videtur, cum vera vinculi solutio non habeatur atque parti innocenti semper ius sit vitae communis instaurandae.

Reditus autem fieri potest etiam multis annis a solutione matrimonii transactis, cum nulla in canone indicetur limitatio. Ceterum haud raro accidit ut mulier post plures demum annos a morte mariti elapsos, ad propriam familiam redeat ibique ritum nativum resumat.

In fine huius paragraphi reservatur statutum contrarium iuris particularis. Certum est ex divisione in ipsa sententia introducta et ex usu generali Codicis, hanc exceptionem alteram tantummodo partem huius paragraphi respicere, etsi nonnulli auctores ut P. VIDAL [13], CHELODI [14]

[13] *De personis*, p. 23.
[14] *Ius de personis*, p. 159, n. 2.

et al. eam ad utramque partem referendam esse censuerint. Eam autem additam esse propter Italo-Graecos omnes fere concedunt, excepto P. Ojetti cuius sententia in hac re amplectenda non videtur [15].

Expositione generali paragraphi breviter absoluta, duae quaestiones manent quae accuratiore quadam investigatione indigere videntur.

Et primo quidem in canone dicitur, transitum fieri posse « in ineundo matrimonio »; quid his verbis significatur? Suntne ita intelligenda ut mulieri liceat iam « in ineundo matrimonio » seu in ipsa celebratione matrimonii rítum mariti sequi an eum assumere potest tantum inito matrimonio? Verba canonis primo aspectu pro priore interpretatione facere videntur. Accedit quod non incongruum est, quod mulier quae per totam vitam ritum mariti sequetur, iam in ipsa matrimonii celebratione hunc ritum sequatur. Gravitas huius quaestionis neminem fugere potest. Nam si haec interpretatio legitima est, id consequitur ut uxor v. g. viri rutheni illarum regionum, ubi decretum « Tametsi » viget, vel uxor mariti maronitae secundum disciplinam ruthenam vel maronitam valide matrimonium contrahat coram parocho proprio vel sponsi vel sui ipsius, etiam extra eius paroeciam, non vero coram parocho territorii, nisi hic sit parochus proprius vel ab parocho vel Ordinario proprio delegatus, nempe si ea declaraverit se in ineundo matrimonio velle ritum mariti sequi. E contrario si non legitima est haec interpretatio, matrimonium non coram parocho territorii ubi celebratur matrimonium, eiusve delegato initum, nullum est vi can. 1099 § 1, n. 3 in quo declaratur, ad formam a C. I. C. statutam teneri Orientales si cum Latinis contrahant hac forma adstrictis.

Verum haec interpretatio canonis 98, § 4, quamquam aliquando num admitti possit dubitaverim, re maturius

---

[15] *Commentarium in Cod. I. C.*, lib. II, p. 99 sq.

considerata, mihi non probatur. Et primo quidem ob hanc rationem quod can. 98 explicetur necesse est ex canone 1099 seu ex illo capite VI tituli VII libri III quo explicite et ex professo normae « de forma celebrationis matrimonii » proponuntur, non vice versa canon 1099 ex canone 98. In canone 1099 vero nulla allusio fit ad talem exceptionem. Neque iuvat affirmare uxorem latinam quae « in ineundo matrimonio » ad ritum mariti transit, in ipsa celebratione iam pro orientali habendam esse ideoque non cadere sub praecepto canonis 1099, § 1; nam transitus si non tempore, ordine saltem sequitur matrimonium, cum ex canone 98 permittatur transitus non sponsae quae matrimonium initura sit, sed uxori, uxor autem non sit nisi contracto matrimonio. Accedit quod in hac quoque sententia can. 98, § 4 optimam habet explicationem. Transitus enim « in ineundo matrimonio » fieri dicitur propterea quod a primo momento matrimonii uxor mariti ritui adscripta est, ita, ut nullo temporis momento hunc ritum non sequatur.

Hac quaestione absoluta iam ad alteram transeamus: nimirum videndum, qua ratione perficiendus sit transitus mulieris ad ritum mariti.

In docto quodam libro quem de quaestionibus ritum spectantibus scripsit, P. H. Dausend ritus mutationem ita faciendam esse censet, ut mulier declaret transitum et parocho a quo et parocho ad quem, immo hanc formam essentialem habere videtur [16]. Similem sententiam profecto iam P. Vidal tutatus erat [17]. Hic postquam notavit neque in sola susceptione Eucharistiae diverso ritu facta neque in auditione sacri in alieno ritu neque in absolutione sacramentali a diversi ritus ministro obtenta mutationem ritus contineri, pergit: « Quare mutatio ritus non videtur rite facta, nisi quis cum debita licentia in regestis parochi vel Ordinarii

[16] *Das interrituelle Recht im Codex Iuris Canonici*, Paderborn 1939, p. 147 sq.
[17] *De personis*, p. 23 sq.

novi ritus fuerit legitime inscriptus, et inde contrahat obligationem subiectionis ad novi ritus ministros et horum ritu suscipienda sacramenta et sacramentalia illa, in quibus rituum permixtio est prohibita ».

Fateor vero hanc sententiam mihi non probari. Nam ex natura rei transitus actum iuridicum transeuntis dicit qui declaratione voluntatis eius absolvitur; hunc actum vero, ut validus sit, certa forma indigere non affirmandum est, nisi talem formam a lege praescribi probetur. Nullibi autem talem sollemnitatem actus praescriptam invenimus; neque in constitutionibus Summorum Pontificum neque in decretis responsisque SS. Congregationum neque in Codice I. C. talis declarationis quae coram parochis facienda esset, ulla facta est mentio. Proponitur sane eiusmodi praeceptum in schemate a Commissione Orientali concilii Vaticani exarato; sed hoc documentum, ut supra dictum est, nunquam habuit vim legit, cum non fuerit approbatum. Porro ne hic quidem transitus omissa declaratione invalidus esse dicitur.

Neque magis rem evincere videtur qui affirmat, declaratione illa ex rei natura opus esse, cum sit veluti elementum constitutivum transitus; nam hoc ita esse negatur, cum antiquo tempore quo ritus permutatio nondum interdicta erat, sine ulla declaratione certo omnibus ad alium ritum transire licuerit; quod vero postea praescriptum est ne quis propria auctoritate ritum mutaret, id hanc tantum innovationem induxit, ut ex illo tempore qui transire vellent, venia S. Sedis indigerent; declarationem transitus vero parocho faciendam in pontificiis documentis nunquam praescriptam invenimus. Accedit quod, ut infra demonstrabitur, transitus mulieris easdem essentialiter regulas sequitur quas transitus in genere. Si vero in transitu in genere ad validitatem actus talis declaratio requireretur, multo faciliorem solutionem multi casus dubii haberent, qui nunc secundum praxim vigentem mentem perplexum relinquunt. His rationibus intentum nostrum

satis probari censemus; tamen non sine utilitate fortassis ipsam transitus naturam penitius indagabimus [18].

Catholici determinato cuidam ritui adscribuntur secundum C. I. C. baptismo seu facto quodam iuridico quocum ex iure ecclesiastico talis adscriptio coniuncta est. Dico facto quodam « involuntario », quatenus adscriptio non ratione actus voluntatis eorum procedit. Nam ne adulti quidem, licet baptizari non queant nisi velint, collato baptismo ob actum quendam iuridicum determinato ritui adscribuntur, sed ex ipsa lege secundum normas a iure statutas. Acatholici utrum ipsi quoque canone 98, § 1 comprehendantur an secus, inter doctos disputatur. Secundum disciplinam vigentem potius dicendum videtur eos regi normis ante C. I. C. stabilitis, quibus statutum erat, ut ad Ecclesiam redeuntes sequerentur ritum nativum, nisi conditionem veluti necessariam interponerent amplectendi ritus latini. Hic eatenus saltem ritus determinatio ab actu iuridico pendet, quatenus in eorum voluntate positum sit eligere unum ritum prae alio. Similiter qui ritum mutant ad normam can. 98, § 3, hi actu iuridico stricte dicto ad diversum ritum transeunt. Nam auctoritas ecclesiastica licet ante transitum veniam det transeundi, sine qua invalide quis ritum mutaret, non ipsa fidelem ab uno ritu ad alium transfert, — obtenta venia fidelis ea uti vel non uti potest — sed transitus formaliter fit actu quo fidelis voluntatem transeundi ad alium ritum manifestat. Id sane primo aspectu admirationem quandam movet; nam ita

[18] Prae oculis hic habeatur definitio actus iuridici (seu negotii iuridici, uti alii dicunt). Secundum S. D'ANGELO, *Ius Digestorum*, t. I, Romae 1927, p. 500 n. 644, negotium iuridicum stricte dictum definitur: « Declaratio privata voluntatis qua homo initialiter intendit saltem in confuso procreationem alicuius effecti iuridici ». Elementa quae in nostra investigatione maxime attendi debent, vel clarius exprimuntur a P. G. MICHIELS, *Principia generalia de personis in Ecclesia*, Lublin 1932, p. 368: « Actus humanus (voluntatis humanae libere operantis) licitus legitime manifestatus seu declaratus, quo agens directe intendit producere effectum iuridicum determinatum, ipsi praecipue quia et quatenus intenditur, a lege agnitum ».

transiens Ordinario et legibus quibus usque ad id tempus subiectus erat, se subtrahit et alio Ordinario aliisque legibus se subicit, quod potestatem viri privati de se excedit. Habemus hic declarationem voluntatis, qua agens, vir privatus, directe intendit producere effectum qui natura sua ad ius publicum pertinet, ipsi praecise quia et quatenus intenditur a lege agnitum, i. e. aliis verbis a iure hic actui iuridico viri privati effectus natura sua ad ius publicum pertinens tribuitur. In hac re nulla habetur differentia inter transitum factum secundum can. 98, § 3 et transitum mulieris. Ante transitum sane secundum canonem 98, § 3 in genere praescribitur ut transeuntes veniam S. Sedis obtinuerint quae de existentia iustae causae investigat. Sed eadem haec venia mulieribus quae ritum mariti assumere cupiunt, datur, nimirum ipso Codice I. C.; causa vero iusta transeundi ex ipsa mulieris conditione et statu habetur. Ex his apparet transitum mulieris eadem ratione ordinatum esse atque transitum in genere.

Sed his de natura transitus disputatis, iam ad argumentum nobis propositum redeamus. Ut manifestum est, non in dubium vocamus quin valde convenienter mulier parocho a quo et parocho ad quem transitum denuntiet, sed negamus saltem hanc denuntiationem ita praescriptam esse, ut ea omissa transitus non habeatur. Qua alia ratione vero de transitu constare potest? P. Vidal iure monet etiam venia mutandi ritus obtenta neque ex sola susceptione Eucharistiae diverso ritu facta, neque ex auditione sacri in alieno ritu neque ex absolutione sacramentali a diversi ritus ministro obtenta, licet habitualiter haec fiant, mutationem ritus probari, cum omnia haec ex devotione fieri possint. Cf. can. 98, § 5, can. 881, can. 1249 [19]. Non vero recte concluditur ob hanc causam ritus mutationem non rite fieri nisi quis cum debita licentia in regestis parochi vel Ordinarii novi ritus fuerit legitime inscriptus.

[19] *De personis*, p. 23 sq.

Nam cum nulla forma ad validitatem transitus praescripta sit, simplici declaratione voluntatis perfici potest et probari eadem ratione atque declarationes voluntatis in genere. Facta igitur concludentia ad transitum probandum de se sufficiunt. Ita v. g. ex viatico in ritu mariti extra casum necessitatis recepto vehementer praesumi potest mulierem ad ritum mariti transiisse, quae praesumptio aliis accedentibus adminiculis certitudo evadere poterit. Plena vero probatio habetur si ex testimonio duorum vel trium testium constat mulierem voluntatem transeundi declarasse. Non infiteor ex hac libertate saepe gravia incommoda et dubia oriri; propterea omnino exoptandum est ut de iure condendo omnes qui ab uno ad alium ritum transeant, explicito praecepto teneantur saltem ad transitum parocho a quo et parocho ad quem denuntiandum.

AEMILIUS HERMAN S. I.

De monitione facienda fidelibus ut accedant ad ecclesias paroeciales proprias.

« *Monendi sunt fideles, ut frequenter, ubi commode fieri potest, ad suas paroeciales ecclesias accedant, ibique divinis officiis intersint et verbum Dei audiant* » (c. 467 § 2).

1. « *Monendi sunt fideles ... ut ad suas paroeciales ecclesias ...* »

a) « *Commendatio* datur, non praeceptum » (VERMEERSCH-CREUSEN, *Epit. I. C.*, I n. 554), etenim, ut recte notat FANFANI (*De iure parochorum* n. 27). « ad eas enim convenire, dummodo praeceptum Ecclesiae de missa audienda impleant necessariamque instructionem religiosam possideant, stricte non obligantur ». Obligationi parochi celebrandi etc., ait WERNZ-VIDAL (*Ius decretalium* II n. 736

IV), respondet pro fidelibus « *commendatio* non obligatio frequentandi propriam ecclesiam paroecialem ».

b) *Monendi* sunt fideles, tum quia haec monitio est iuxta mentem legislatoris ecclesiastici (c. 467 § 2), tum ut parochus circa hos fideles subditos possit exercere suas obligationes celebrandi divina officia, administrandi sacramenta, praedicandi verbum Dei etc., tum quia certis diebus pro parochianis celebrari debet missa et applicari (c. 466). Dein, quia parochus habet ex officio curam animarum parochianorum suorum, a quo illi primam communionem suscipiunt, coram quo matrimonium contrahunt, a quo per ultima sacramenta ad ingressum in coelum praeparantur, aequum est ut parochiani saepe paroecialem visitent ecclesiam, in qua parochus reliqua quoque praebet adiumenta ad vitam spiritualem. « Pourrait-on » inquit Creusen (*Nouv. Rev. Théol.* 1928 p. 493) « comprendre qu'elles aient le droit ou l'obligation de réclamer son ministère aux heures les plus solennelles de leur vie et l'ignorent aux jours où elles n'ont pas besoin de lui? » Tandem valde utile quoque est ad communem edificationem, ad adhortandos eos, qui minus recte officia religionis explent, ad ostensionem quoque vitae spiritualis totius paroeciae, ut parochiani saepius simul conveniant in ecclesia parochiali ad communia pietatis exercitia. Affirmandum quoque est parochialem ecclesiam *primario* esse exstructam in commodum parochianorum, unde parochiani quoque obligationem habent quodammodo providendi rebus economicis huius ecclesiae, cui obligationi pro parte saltem iam satisfaciunt conducendo sedem in ecclesia, inter officia eleemosynam pro ecclesia offerendo iis qui has eleemosynas colligunt; qui autem ecclesiam paroecialem non frequentant facile quoque nullum subsidium huic ecclesiae praestabunt.

c) *Monitio* tamen, sic scribit Cocchi (*Commentarium in Cod.* III n. 347) « potius *re* quam verbis fieri debet ut efficax sit, v. g. splendore sacrorum rituum, sanctitate qua

officia divina peraguntur, munditia domus Dei, utili, sapienti et efficaci praedicatione verbi Dei, abundantiorum pabulorum praestatione. Nam omnibus fidelibus integrum est *ubique* missam audire et religiosam instructionem capessere; et certe ad illam prae aliis ecclesiam confluunt, in qua maiorem sanctitatem, sapientiam et commoditatem inveniunt » (Cfr. quoque A. DE MEESTER *Iur. can. comp.* II n. 858). Reprobandi enim non sunt fideles, qui potius accedunt ad ecclesiam, etsi propria paroecialis ecclesia non sit, ubi ad veram devotionem excitantur videntes magna cum veneratione a sacerdotibus celebrari divina mysteria, distribui sacram communionem, ubi libentius preces effundunt coram statua SS. Cordis, B. M. Virginis et Sanctorum, quae, diebus praecipue festivis, decore est ornata lumine et floribus, ubi rationabiliter quaesitam inveniunt commoditatem sive quoad modum genuflexionis et sessionis, sive, praesertim quoad regiones magis septentrionales, ex eo quod ecclesia sit recte ac tempestive calefacta.

d) *Monitio* facienda fidelibus iuxta c. 467 § 2 simul est itaque monitio *pro ipso parocho*, ut munera sua rite impleat, atque sic fideles ad ecclesiam paroecialem alliciat.

2. « *Ut frequenter* »

a) De industria in Codice aliqua omissa sunt in c. 617 § 2, quae habentur in Conc. Trid., unde legislatio mitior facta est. In sess. XXII, decr. « de obs. et evit. in celebr. missae » dicitur: « Moneant Episcopi etiam eundem populum, ut frequenter ad suas parochias, *saltem diebus Dominicis et maioribus festis* accedant ». Atque in sess. XXIV *de ref.* c. 4 ait Conc. Trid.: « Moneat Episcopus populum diligenter, *teneri* unumquemque parochiae suae interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum verbum Dei ».

b) *Non* dicitur in hoc c. 467 § 2 quod fideles *unice* adire debeant ecclesiam paroecialem, sed monentur ut

« frequenter » ipsam visitent. Rationes supra enumeravi, ob quas fideles bene agunt frequenter adeuntes ecclesiam paroecialem; sed gravis esset exaggeratio si quis affirmaret, parochum *unice* ex mente ecclesiae curam gerere animarum, unde parochiani unice ad eius ecclesiam se conferre obligentur.

Nonne secundum c. 497 § 2 pro religione clericali permissio constituendae novae domus secum fert facultatem habendi ecclesiam vel publicum oratorium, quae permissio inutilis esset si fideles unice adire deberent paroecialem ecclesiam? Iurisdictionem ad confessiones audiendas « sive *saecularium* sive religiosorum » iuxta c. 874 § 1 Ordinarius loci concedit quoque religiosis, ad quos in *ecclesiam religiosorum* igitur se conferre possunt fideles. Denique toties in Codice sermo est de ecclesiis religiosorum, et quidem potissimum in quantum ingressus patet omnibus quibuscumque fidelibus, v. g. in c. 612 (de publicis precibus recitandis), in c. 1274 § 1 (de publica expositione SSmi), in cc. 1337-1341 (de licentia ab Ordinario loci petenda ad concionandum), in c. 1345 (de Evangelii et doctrinae christianae explanatione) etc.

Et quod iuxta mentem Ecclesiae *non unice* parochus curam gerit parochianorum ex eo quoque patet, quod secundum c. 464 parochus curam animarum ex officio gerere *non* tenetur erga *legitime exemptos*, quodque Episcopus quandoque religiosas familias et pias domus, ex iure non exemptas, a parochi cura possit subducere; seminarium quoque exemptum est a iurisdictione paroeciali (c. 1368).

Associationes piae insuper, tertii ordines quoque et congregationes Marianae erigi possunt non solummodo in ecclesia parochiali sed in aliis quoque ecclesiis et oratoriis, de consensu quidem Ordinarii loci « nisi aliud in ipso privilegio cautum sit » (quale privilegium habet Societas Iesu quoad congregationem B. M. V. et Bonae Mortis pro domibus et ecclesiis ipsius Societatis. Cfr. Acta Rom. vol. I

p. 44.) c. 686; fideles autem in iis quae spectant ad hanc piam associationem, diriguntur *non* a parocho sed ab illo sacerdote, qui huic associationi ab Ordinario loci est praefectus. (Vide quoque quoad haec argumenta CREUSEN, *N. R. Th.* 1928: « En marge de la hiérarchie » p. 496 ss.). Tandem finis certe *primarius*, cur fideles in c. 467 § 2 monentur frequenter visitare ecclesiam paroecialem, est, secundum dictum canonem, ut « divinis officiis intersint et verbum Dei audiant ». Hic autem finis « *etiam* per frequentationem *aliarum ecclesiarum* obtinendus est ». (Ep. I. C. I. l. c.), immo forsan melius, si scil. in alia ecclesia caeremoniae strictius observantur iuxta praeceptum rubricarum, atque saepius et melius verbum Dei praedicatur.

Et quod magis est, *ipsi fideles* obligantur curam gerere ut recte instruantur in rebus fidei et morum, ut stimulentur ad exercitium virtutum, ut devote assistant caeremoniis Ecclesiae; ex hac autem obligatione oritur pro ipsis fidelibus *verum ius* ut visitare illas quaslibet valeant ecclesias, in quibus melius, saltem ex ipsorum opinione, instruuntur et stimulantur, in quibus caeremoniae Ecclesiae forsan perfectius celebrantur.

N. B. Ut autem parochiani praeter ecclesiam paroecialem et alias frequentare possint ecclesias, in hisce quoque, praecipue quoad praedicationem verbi Dei, satisfactum sit oportet legibus ecclesiasticis. Iuxta c. 1345 enim Ordinarius loci praecipere potest, ut in ecclesiis et oratoriis publicis, etiam religiosorum exemptorum, in missis diebus Dominicis et festis de praecepto brevis fiat explanatio Evangelii et doctrinae christianae. Deinde c. 609 § 3 praecipit, ne celebratio missarum in ecclesiis religiosorum nocumentum afferat explanationi Evangelii et catecheticae instructioni in ecclesia paroeciali; unde in his quoque ecclesiis fiat iuxta praescriptum Ordinarii loci explicatio Evangelii et instructio catechetica.

c) Ex ipsa lege universali Ecclesiae itaque, atque ex indultis S. Sedis praeter ecclesias paroeciales et *aliae* ae-

dificandae sunt ecclesiae et oratoria, atque *non* in solis paroecialibus ecclesiis, sed in *aliis* quoque ecclesiis associationes piae, v. g. tertii ordines et congregationes Marianae, erigi possunt. Idem igitur esset error, si quis vellet fideles obligare ut *unice* ecclesias paroeciales frequentarent, atque si affirmaret permitti posse, ut in *solis ecclesiis paroecialibus* erigantur associationes piae, seu obligari posse paroecianos ut solummodo associationum earum fiant membra, quae in *paroeciali ecclesia* fuerint erectae.

d) Erroneus est quoque conceptus eorum, qui asseverantes curam animarum in paroecia solis parochis esse commissam, argumentum petunt ex definitione aliquali, quam conficere conati sunt vocis « hierarchiae » per iuxtapositionem horum verborum: « *ecclesia, dioecesis, parochia* ». — Creusen (« En marge de la hiérarchie » *N. R. Th.* 1928 p. 495) refert se in aliquo folio paroeciali haec legisse: « vivre de la grâce, être du Royaume, c'est s'unir dans la chrétienté autour du Pape, dans les diocèses autour des Evêques, dans les paroisses autour du curé. Telle est la belle ordonnance de la hiérarchie, par la quelle s'opère la Rédemption... » — Longe alienus est hic conceptus a definitione hierarchiae tradita in c. 108 § 3, in qua de parocho nullus est sermo. Hierarchia enim dividitur in hierarchiam *ordinis*, quae ex *iure divino* « constat episcopis, presbyteris et ministris », atque in hierarchiam *iurisdictionis* constantem ex eodem *iure divino* « pontificatu supremo et episcopatu »; et quamquam ex *iure ecclesiastico* ad hierarchiam iurisdictionis « alii quoque gradus accessere » (c. 108 § 3), v. g. patriarchae, vicarii generalis, munus parochi *non* pertinet ad hierarchiam iurisdictionis proprio sensu, cum parochi *non* gaudeant ex officio iurisdictione pro foro *externo*. (Vide v. g. Wernz-Vidal *Ius decret.* II n. 48). Parochi enim ex *officio* curam habent animarum pro foro *interno*, quam curam tot sacerdotes, non ad ecclesiam paroecialem pertinentes, iuxta mentem Ecclesiae, ut vidimus, excercent, non vero ex of-

ficio. Neque ullum solidum argumentum contra hanc certam doctrinam de hierarchia ecclesiastica hauriri potest ex variis litteris apostolicis de « Actione Catholica ». Etenim iuxta verba ipsius Summi Pontificis Pii XI[1]: « Actio Catholica nihil demum est aliud, nisi christifidelium apostolatus, qui, *ducibus Episcopis,* adiutricem Ecclesiae operam praestat »; atque idem Pius XI iisdem verbis hanc definitionem repetit in Epistola ad S. R. E. Card. Segura[2], addens, ut actio sit catholica requiri ut studio propriae perfectionis et actuoso labori membrorum demum « *Episcoporum* adsit ac suffragetur auctoritas ». Iamvero, cum suffragetur *Episcoporum* auctoritas, sic pergit Pius XI in hac Epistola ad S. R. E. Card. Segura, christifideles « ad nutum hierarchiae ecclesiasticae praesto sint ». Unde auctoritas *Episcoporum* est de ecclesiastica *hierarchia;* et quamquam Episcopi praescribere possunt ut in paroeciis sub vigilantia parochorum actionis catholicae erigantur sectiones, atque Summus Pontifex exoptat immo ut « in singulis paroeciis eaedem, quantum fieri potest[3] » formentur, tamen non parochus sed « sacra ipsa hierarchia... mandatum impertit »[4] i. e. Episcopus.

e) Quia ex una parte multa prostant rationes propter quas suadentur fideles adire propriam ecclesiam paroecialem, et ex altera parte quoque parochus quidem *ex officio* curam animarum gerit (c. 464 § 1) sed *minime* ab Ecclesia *unice* constitutus est ut in sua paroecia fideles iuvet in vita spirituali, in c. 467 § 2 monentur christiani ut paroecialem ecclesiam utique visitent, immo frequenter, *non* autem ut ad *hanc solam* paroecialem ecclesiam concurrant.

f) Si autem monentur fideles ut « frequenter » ecclesiam paroecialem adeant, « ibique divinis officiis intersint

---

[1] Epistola ad S. R. E. Card. van Roey 15 aug. 1928 (*A. A. S.* xx p. 296).
[2] Epistola 4 nov. 1929 (*A. A. S.* xxi p. 665).
[3] *A. A. S.* xxi p. 668.
[4] *A. A. S.* xxi p. 665.

et verbum Dei audiant » conditio, ut monitio haec iuste ex mente Ecclesiae fiat, est, ut in ecclesia paroeciali saltem *aeque fructuose* fideles adsint officiis divinis ac praedicationi verbi Dei.

3. « *Ubi commode fieri possit* »

Ex hisce verbis huius canonis iam clare patet non dari praeceptum, immo monitionem non severe esse faciendam, cum ipsa legislatio Codicis pro fideli iam excusationem praebeat, si scil. commode non possit frequenter ad suam ecclesiam paroecialem accedere, v. g. ob longiorem distantiam. Gravior tamen causa exigi videtur ut quis nullo modo sit reprehendendus, qui suam ecclesiam paroecialem *omnino* deserat et *numquam* frequentet; mens enim Ecclesiae, ut supra dixi, est ut paroeciani, si commode fieri possit et nulla iusta causa aliud suadeat, frequenter paroecialem ecclesiam visitent, unde *totalis desertio* paroecialis ecclesiae, ut recte fiat, graviorem quoque causam expostulat.

H. Beijersbergen S. I.

Theoria legis mere poenalis et hodiernae leges civiles

17. Quae de theoria legis mere poenalis in hodiernis legibus civilibus anno 1938 scripseramus [1] complementum postulabant, quod, multis de causis impediti, hactenus tradere non potuimus.

Interea non pauca de hac quaestione scripta sunt, quae momentum quaestionis et ipsius actualitatem plane demonstrant [2].

Mentionem specialem merentur duo articuli in *Revue*

---

1 *Periodica*, XXVII (1938) pp. 203-216.
2 *Ephemerides theologicae Lovanienses* XVI (1939) p. 383.

ecclésiastique de Liège[3] a D'no F. Litt scripti. Diversa methodo ac nos ad eandem fere conclusionem devenit: i. e. ad iudicandum theoriam legis mere poenalis componi non posse cum mente tum legumlatorum hodiernorum tum iuristarum. Ipsi libenter consentimus cum theoriam legis mere poenalis minime iudicat necessariam ad *rigorismum* in observanda lege civili vitandum, et e contra eam habet ut occasionem cadendi in laxismum in officiis civilibus implendis.

In fine nostri articuli (nn. 15 et 16) criteria positiva innuebamus ad conscientias recte dirigendas fidelium in observandis legibus civilibus.

Demonstrata inutilitate recursus ad mentem legislatoris[4], necessarium est alia criteria quaerere: ecce finem nostrae dissertationis.

I. *De praesumpta mente legislatoris.*

18. At prius consideranda est ratio loquendi illorum auctorum, qui, difficultatem sentientes, conantur eam elidere, sic instituendo argumentationem: Verum est legislatores hodiernos aliam mentem non habere nisi condendi legem eiusque executionem mediis coactivis proportionatis obtinendi. Quare non est investiganda mens quam relate ad singulas leges habent, sed ea quam habere debent *si rationabiliter volunt praecipere*. Age, dicunt, ex ipso modo quo leges civiles proponuntur, et ab hominibus etiam bonae conscientiae interpretantur, concludendum est legislatores habere *implicitam intentionem* obligandi, saltem in multis legibus, *sub poena tantum*.

Respondemus: Rationabilitas legis, utpote essentiale elementum ipsius, optime eligitur, non solum ut criterium ad iustitiam legis cognoscendam, sed etiam ut criterium ad

---

[3] *30eme an* (1938-1939): « Les lois dites purement penales », pp. 141-156; 359-372.

[4] Hoc ostendit D. Litt, percurrendo singula criteria ab asseclis theoriae mere-poenalisticae proposita, et ostendendo ea locum non habere in legibus hodiernis (pp. 150-156).

intentionem legislatoris interpretandam. Praesumendum enim est id legislatores intendisse in lege ferenda, quod rationabile est, imo quod rationabilius.

Hoc posito, quaeritur ad hoc ut legislatores civiles rationabiliter agant in legibus ferendis, an requiritur ut habeant intentionem obligandi tantum *sub poena*? Vel aliis verbis, obligatio sub poena estne in legibus hodiernis rationabilior? Quod nos simpliciter negamus donec probatio convincens afferatur.

19. Probationem afferunt: 1° ex humanitate legis; 2° ex ipsa legis iustitia.

Ecce quomodo loquitur clarissimus P. Güenechea, S. I., quem tum propter scholasticorum profundam cognitionem tum propter intelligentiam iuristarum inter optimos legis poenalis propugnatores habemus [5].

« Quemadmodum », inquit « quandoque expedit ut legislator in materia gravi levem tantum obligationem imponendam curet, sic etiam optimum esse potest conscientiam subditorum quam minime ligare, non quidem ad opus intentum omnino praestandum, sed ad poenam sustinendam si illud de facto non fuerit praestitum. Providentia enim legislatoris eo, ceteris paribus, erit efficacior quo suavior. Atqui operis intenti executio interdum aliis mediis facilioribus et minus odiosis aeque obtineri potest absque directa legis obligatione. Quod duplici sibi opposito casu contingit: *a*) cum tanta est subditorum erga bonum commune propensio et tanta erga superiorem docilitas, ut minima quaeque obligatio sufficiat; *b*) cum adeo facilis est externae coactionis administratio et usus, ut per sanctiones mere poenales externa legum observantia exigi et obtineri valeat, absque iactura animarum et contemptu legislatoris » [6].

20. Plurima veniunt consideranda: demus legislatorem

[5] Cfr. I. N. Güenechea, S. I., *Principia iuris politici*, vol. II, Romae 1939, nn. 243-250.

[6] L. c., n. 246, 2.

civilem posse voluntate sua efficere ut in materia gravi non nisi levis oriatur obligatio; demus etiam *posse* constituere obligationem mere poenalem. Tamen liceat quaerere: Estne, in praesenti rerum socialium et politicarum conditione, rationabilior et suavior modus agendi subditos ad obedientiam, constitutio obligationis mere poenalis? Estne, facilior et minus odiosus quam modus obligationis moralis?

De hoc liceat nobis modeste dubitare.

Et primo quidem fatemur legislatores hodiernos de facto effectum intentum obtinere per exercitium coactionis studiose adhibitae relate ad omnes leges praeceptivas vel prohibentes. Sed ex hoc praecise non leve inconveniens exsurgere videtur. Nam cum effectus per exercitium potestatis coactivae fere eodem modo obtineatur in omnibus legibus, dicendum esset nullam legem civilem obligare, vi sua, in conscientia; quod logice deducere videtur P. Vermeersch [7], repugnantibus tamen communiter auctoribus manualium Theologiae moralis [8].

21. Secundo: Theoria obligationis mere poenalis legem privat illa auctoritate et dignitate, qua in Sacris ipsis Scripturis circumdatur; occasionem saltem praebet subditis abiiciendi aut negligendi attentionem ad rationes morales, in legibus implendis. Nam tandem non adiguntur ad legem observandam nisi ex timore servili poenae. Nam, cum liceat sine peccato non obedire, rationes morales et rationes ex consideratione virtutis et honestatis in obediendo non attenduntur; et cum poena in conscientia non obliget nisi imponatur, etiam licitum erit, omnibus ingenii et astutiae mediis, contendere ad impediendum ne poena imponatur. Unde obedientia potestatibus legitimis praestanda, reducitur ad ludum quendam, in quo contentio sustinetur, ex una parte a civibus ut se a legis et poenae

---

[7] Vermeersch, *Theologia moralis*, ed. 3 (1933), vol. I, n. 169.
[8] Güenechea, o. c. n. 250.

onere indemnes servent, ex altera parte e satellitibus Patriae ad extorquendam a subditis coactam praestationem illius officii quod bonum commune exigit.

22. Unde aliud malum oritur: ut enim experientia comprobatur, ex neglectu considerationis moralis in legibus civilibus implendis ingentes impensae sustinendae sunt a gubernatoribus Statuum ad observantiam legum urgendam; ita ut in nonnullis vectigalibus et tributis exquirendis 50% vel tiam 70% impendendum sit ad tutam et certam reddendam solutionem illorum: quare populi opprimuntur immanitate tributorum et necessitate tot homines sustentandi, qui fructifero labori mancipari possent, si maior vis conscientiae tribueretur in legibus implendis.

Demum praetermittendae non sunt molestae vexationes quibus cives honesti subiiciendi sunt, ubi saepenumero more fraudatorum et mentientium tractandi sunt; quia cum viri honesti a fraudatoribus dignosci nequeant, omnes a publicis officialibus, eadem diffidentia, tractandi sunt.

Itaque nobis latet quomodo dicere possimus adeo facile esse per externam coactionem et per sanctiones mere poenales externam legis observantiam obtinere. Neque minus latet quomodo haec ratio agendi non involvat contemptum legislatoris, quem non ad instar prudentis boni publici promotoris habent qui timore poenae ducuntur, sed ad instar, potius, exosi creditoris, qui omni diligentia est vitandus.

23. Quod ad animarum iacturam attinet, aliquandiu immorari liceat ad aequivocationem quandam dissipandam.

Frequenter enim invocatur haec ratio: durissimum videtur conscientias subditorum onerare tot peccatis, saltem venialibus, quae orirentur si leges mere poenales non admitterentur.

Aequivocatio, ut videtur, in hoc consistit quod adhaerendo nimis materialiter ad conceptum absolutae dependentiae obligationis ab intentione legislatoris, considerare non videntur intentionem legislatoris ligare conscientias

non posse nisi rationabiliter praecipiendo. Atqui, et nos libenter admittimus, irrationabile esset ligare conscientias subditorum per moralem obligationem in tot minutissimis legibus. Sed numquid alia non datur via ad scopulum hunc vitandum nisi confugere ad leges mere poenales?

Certo per hanc theoriam scrupulis intercluditur via; sed ut infra innuimus, non sine conscientiae iactura, quae a consideratione motivorum moralium et a studio virtutum abstrahitur.

Praeterea putamus infra nos posse demonstrare rationem recte dirigendi conscientiam subditorum ad hoc ut sine iactura officiis suis erga leges civiles satisfacere possit.

24. Argumentum ex iustitia legis sic proponere solent. Per theoriam legis mere poenalis occurritur adversus iniustam conditionem qua versarentur viri honesti in republica, cum ipsis onus imponeretur maius quam inhonestis, quod est contra iustitiam distributivam.

Respondeo: 1° argumentum si valeret, valeret de omni lege; peior est conditio viri honesti in iudicio quam inhonesti; nam inhonestus inimicus mendaciis et calumniis uti potest adversus eum; 2° aut status pollet auctoritate ad leges urgendas easque urget, aut non: si primum, non deterior sed favorabilior est eius conditio, cum fraudatores legis cogentur *et* ad legis executionem *et* ad poenam subeundam; si secundum, vere esset contra iustitiam distributivam paucos cogere ad observandam legem quam nemo observat; sed dico: hoc inconveniens non vitatur per legem poenalem, nam etiam in ipsa manet iniustitia puniendi paucos ubi maior pars impune legem violat. Ergo in illo casu diceremus lex simpliciter cessavit ex desuetudine, vel ex populi resistentia.

Et sic solvi videntur praecipua argumenta quibus utilitas et convenientia theoriae legis mere poenalis demonstrari posse contenditur.

Nam non videtur rationabilis illa legislatoris mens, quae

vellet illum obediendi modum eligere, qui tot inconvenientibus circumdatur.

Utile esset inquisitionem instituere inter legislatores hodiernos ad mentem illorum investigandam.

Unum certe iam constat: illos lamentari de impudentia qua plurimae leges violantur et de civium morali relaxatione ex qua dicunt gravissima reipublicae incommoda oriri.

Aliter prorsus res se habet in altero casu qui certe dedit originem legibus mere poenalibus: « ubi tanta est subditorum erga bonum commune propensio et tanta erga superiores docilitas, ut minima quaeque obligatio sufficiat ». Imo, addimus nos, « ut nulla sufficiat ».

Agitur de personis voto ad perfectionem sectandam ligatis, qui ultra praecepta contendunt, his utique proponi possunt praecepta poenalia, non praecise ut timore poenae adducantur ad obediendum, sed ut « loco timoris offensae succedat amor et desiderium omnis perfectionis; et ut maior gloriae et laus Christi Creatoris ac Domini nostri consequatur » [9].

Suppositum prorsus aliud est; finis societatis positivae diversus; membra diversis vinculis adstricta societati ac in societate civili accidit.

Quare propter hanc disparitatem, ex eo quod in societate religiosa rationabiliter constituitur obedientia sub poena tantum, non sequitur idem fieri posse in societate civili.

II. *Tentamen solutionis positivae.*

25. Cum finis legis sit bonum commune civitatis promovere, et subiectum legis sint cives, qui, ut humanae personae, conscienter praestare opera sua in bonum Patriae teneantur, obedientia ex iustitia legali est moderanda secundum normam fundamentalem ipsius; i. e., pro-

[9] *Const. Soc. Iesu,* Pars VI, cap. V.

portionis inter necessitatem reipublicae et civis facultatem [10].

Haec proportio est fundamentum iustitiae legis, et criterium praestat certum ad mentem rationabilem legislatoris dignoscendam; quatenus neque quod inutile est praesumitur praecipere velle, neque quidquid, etsi utile, nimium onus subdito imponit.

Hanc proportionem statuit utique legislator in lege, at tantum universim: fieri autem potest, et de facto contingit, ut lex quae universaliter aequalitatem proportionis servat in casu particulari ab illa deficiat. « Contingit autem », ait S. Thomas, « quod aliquod praeceptum, quod est ad commodum multitudinis in pluribus, non est conveniens huic personae, vel in hoc casu: quia vel per hoc impediretur aliquid melius vel etiam induceretur aliquod malum: periculosum autem esset, ut hoc iudicio cuiuslibet committeretur, nisi forte propter evidens et subitum periculum » (1ª, 2ae, q. 97, a. 4). Haec ratio intrinseca instituti dispensationis, quae propter periculum allucinationis non est singulorum arbitrio committenda, certo valet ad probandum quod lex generatim iusta, in illo casu particulari non urget; et recursus ad iudicium superioris petitur propter periculum; admittenda etiam est exceptio evidentis et urgentis necessitatis; nam hoc postulat aequitas in legis observatione [11].

26. Recursus ad epikeiam vel aequitatem, qui in lege Ecclesiae raro est necessarius, frequentius necessarius est in lege civili. Dum enim Ecclesia amplas facultates dispensandi in suis legibus, pro diversitate casuum, Episcopis,

---

[10] Ait S. Th.: « Dicuntur autem leges iustae... ex *forma*, quando scilicet secundum aequalitatem proportionis imponuntur subditis onera in ordine ad bonum commune... et secundum hoc leges iustae sunt et obligant in foro conscientiae ». 1ª 2ae, q. 96, a 4.

[11] De conceptu aequitatis et epikeiae et de huius usu, plurima valde utilia habent scholastici diligenter consideranda. Cfr. e. g. SUAREZ, *De legibus*, L. VI, cap. 7 et 8; inter iuristas, MENDIZABAL, *Tratado de Derecho Natural*, vol. I, cap. XX.

parochis, superioribus ecclesiasticis et confessariis[12] concedit, civilis auctoritas nimis avara se ostendit in hac materia. Quare, cum raro permittat iudicibus[13] ad aequitatem recurrere, et quidem in casibus determinatis, manet destituta legis observantia illo praesidio necessario ad rigorem praecepti in casu particulari temperandum.

Quia tamen humanitas legis postulat ut rigor eius in casibus particularibus, ubi opus sit, temperetur, sequitur necessitas permittendi subditis hoc temperamentum adhibere, ubi evidens sit ratio, data impossibilitate recurrendi ad superiorem, secus ac in lege ecclesiastica accidit.

Verum quidem est ibi adesse periculum allucinationis in causa propria; at periculum removeri potest recta institutione civium, per consilium viri prudentis, etc.; quodsi adhuc maneat, non inde naturalis facultas tollenda est, sed corrigendi sunt defectus ex abusu.

Neque existimandum est frequenter accidere casus si res bene perpendantur in quibus ad hoc temperamentum sit recurrendum.

27. Quibus positis, normae proponuntur, quibus honesti cives duci possunt ad leges humano modo observandas.

(1). *Lex humana non obligat cum gravi proportionato incommodo.* Lex, quae in hoc casu nimis onerosa evadit attento fine et natura ipsius, vel quae evidenter observari nequit sine aliquo gravi damno, vel cuius observatio simpliciter est inutilis, ex natura sua non urget. Quare legitime praetermittitur; neque necessarium est recurrere ad redemptionem poenalem, cum ipsa poenae impositio in hoc casu rationi consona non esset.

(2). *Attendendum est diligenter ad naturam legis.* Non eadem connexione omnes leges civiles cum bono communi connectuntur. Sunt aliquae quae ex ipsa essentia societatis requiruntur, aliae non ita: in aliis bonum commune et finis legis obtinentur si lex observetur passim ha-

[12] Cfr. C. I. C. in indice, verbum *Dispensatio.*
[13] Cfr. DE RUGGIERO, *Istituzioni di diritto civile*, vol. I, § 6.

bitualiter; aliae istam remissionem non patiuntur. Cogita leges quae iura dubia firmant, ea uni parti semel pro semper concedendo, ut sunt plurimi casus iuris accessionis; hae obligant semper et pro semper: e contra leges minutae circulationis per vias, et similes; malum est si frequenter violentur, minime si raro.

Ipsa humana et rationabilis legis observatio concedit civibus minorem attentionem praestare his minutis legibus, modo habitu observentur.

(3). *Maximi momenti est obedientia passiva.* Merito Auctores affirmant impossibile esse civibus attendere et considerare tot leges quibus hodie onerantur. Sed immerito inde ansam sumunt recurrendi ad theoriam mere poenalisticam.

Si diligenter attenditur, publica auctoritas non ad fraudes vitandas tantum officiales constituit per vias, ad exquirenda tributa, etc., sed etiam ad bonos cives adiuvandos in legis impletione, monitis et consiliis suis. Unde in omnibus istis legibus subditi passive se habere possunt. Passive non se habent fraudatores, qui fallaciis vel apertis mendaciis utuntur ad publicos officiales decipiendos; hi, praeter peccatum mendacii, rei sunt voluntatis adversus legem iustam. Passive vero se habet, qui genio suo indulget, paratus satisfacere legibus ad instantiam publici officialis.

Unde sine recursu ad leges poenales, quae in casu invocantur, solvitur quaestio de tributis indirectis. Secundum nos licet nihil agere; e. c., transire limites status vel civitatis secum afferendo res tributo obnoxias: officialis nihil quaerit; vel inspicit, me silente, et non invenit; nullo modo pecco utendo mea fortuna. Secundum doctrinam mere-poenalisticam, licet occultare rem, etc., etsi non admittant, ut patet, mendacia. In nostra ratione agendi nullum poenae periculum, nulla mentiendi occasio, nulla inhonestatis nota: in ratione mere-poenalistica, periculum poenae, occasio mendacii multiplicis, periculum scandali si deprehendatur, quae omnia non semel accidisse constat.

(4). *Cum obedientia passiva connectitur consideratio circa subiectum legis.* Leges obligant illos quibus dantur. Multae autem leges praecepta omnibus non imponunt, sed aliquibus publicis officialibus ad quos diriguntur primo et per se. Qui fraudibus vel seductionibus suis publicos officiales non avertit a munere implendo, ad nihil amplius tenebitur, etiamsi cernat oblivione vel alia de causa, legis executionem ab eo non urgeri.

III. *Conclusio.* Nostra facimus quae Codex Moralis-socialis Mechlinensis Societatis[14] de legibus tributariis habet: « Leges tributariae iustae et iuste applicatae obligant in conscientia. Catholicorum socialium erit conatus adhibere ad abusum opinionis in hac materia corrigendum ».

ULPIANUS LOPEZ S. I.

[14] *Code Social.* Spes, 1936, a. 143.

MONUMENTA

1 - SS. D. N. Pius Pp. XII
Litterae Encyclicae Summi Pontificatus 20 oct. 1939

VENERABILIBUS FRATRIBUS PATRIARCHIS, PRIMATIBUS, ARCHIEPISCOPIS, EPISCOPIS, ALIISQUE LOCORUM ORDINARIIS PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTIBUS *.

(*AAS* XXXI [28 oct. 1939] p. 413 ss)

PIUS PP. XII

VENERABILES FRATRES
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Summi Pontificatus dignitatem gravissimasque curas, nullis Nostris meritis, arcano consilio suo Deus Nobis concredidit quadragesimo vertente anno, ex quo Decessor Noster immortalis memoriae Leo XIII, superiore iam iam labente saeculo, proximeque adventante Anno Sacro, humani generis consecrationem divinissimo Cordi Iesu ubique terrarum agendam indixit.

Intima consensione oblectationeque maxima tum veluti supernum nuntium Encyclicas eas excepimus Litteras « Annum Sacrum », [1] cum, Nobis sacerdotale munus auspi-

* Capitula quae ad textum apposuimus nostra non sunt, sed sunt versiones ad litteram capitulorum quae in versione italica prodierunt in *L'Osservatore Romano*, die 28 oct. 1939.

[1] *Acta Leonis* XIII, vol. XIX, p. 71.

cantibus, ad aram operaturis « Introibo ad altare Dei »[2] recitare licuit. Et quo ardenti studio cogitationibus consiliisque animum adiecimus Nostrum, quibus mandatum illud conformabatur, non sine providentis Dei instinctu a Pontifice susceptum, qui manifesta et occulta aetatis suae vulnera necessitatesque tam acri ingenii sui acie inspexerat. Quamobrem gratam non profiteri voluntatem Nostram caelesti Numini non possumus, quod Pontificatus Nostri initium in hunc iussit incidere annum, quo eventus ille memoratu dignus recolitur, qui primum sacerdotii Nostri annum suavissime affecit; ac libentissime hanc opportunitatem nacti, sanctissimisque eiusdem Decessoris Nostri consiliis obsecuti, cultum « Regi regum et Domino dominantium »[3] debitum quasi auspicalem precem esse volumus pontificalis muneris Nostri. Estoque idem cultus et principium, quo nituntur, et propositum, quo intendunt cum voluntas ac spes Nostra, tum doctrina ac pastoralis navitas, tum denique laborum aerumnarumque tolerantia, quam quidem ad Iesu Christi regnum propagandum unice devovemus.

Ineffabilium bonorum fons

Si externarum rerum casus interioraque animorum incrementa per quadraginta hos annos habita sub luce aeternitatis meditamur, atque hinc ortas amplitudines, illinc vero defectiones metimur, illa profecto humani generis Iesu Christo Regi dedicatio luculentius usque Nobis praebet quantum sacrae significationis habeat, quid, quasi indito signo, hortetur omnes, ac quantopere eos purificet, relevet, sancteque corroborando tueatur; itemque non minus luculenter oculis observatur Nostris quam sapientissime eadem enitatur universam hominum communitatem persanare eiusque veri nominis prosperitatem provehere. Atque haec

[2] Ps. XLII, 4.
[3] Cf. *I Tim.* VI, 15; *Apoc.* XIX, 16.

eadem dedicatio videtur Nobis quasi hortationis divinaeque gratiae nuntius non modo Ecclesiae, sed cuncto etiam humano generi datus, quod, incitamentis ac regimine indigens, e via abstrahebatur recta, atque in terrenas res sè ingurgitans, easque solummodo affectans, miserrime conficiebatur; nuntius hominibus omnibus, qui numero increbrescentes cotidie magis a Iesu Christi fide, immo etiam ab agnoscenda observandaque eius lege abducebantur; nuntius denique qui illam vitae rationem aversabatur, passim iam invectam, qua caritatis praecepta seseque ac sua abnegandi doctrina, per evangelicum in monte habitum sermonem promulgata, itemque divina amoris actio in Cruce patrata offensio atque stultitia videbantur. Quemadmodum olim Redemptoris Praecursor iis, qui studiose sciscitabantur, idcirco proclamabat: « Ecce Agnus Dei »[4], ut eos admoneret Expectatum gentium,[5] etsi ignotum, inter eos commorari, ita Iesu Christi Vicarius iis omnibus, qui — infitiatores, nutantes, ancipites — vel gloriosum sequi Redemptorem renuebant, nullo non tempore in Ecclesia sua viventem operantemque, vel eum segniter neglegenterque sequebantur, obsecrando obtestandoque acclamabat: « Ecce Rex vester ».[6]

Iamvero ex propagato auctoque in animis cotidie magis cultu Sacratissimi Cordis Iesu — quod quidem non modo ex humani generis consecratione, vergente ad exitum superiore saeculo, eidem facta, sed ex instituto etiam a proximo p. r. Decessore Nostro Iesu Christi Regis festo evenit[7] — innumerabilia prorsus christifidelibus orta sunt bona, quasi « fluminis impetus » qui « laetificat civitatem Dei ».[8] Ac quaenam, magis quam nostra aetas, hisce bonis indiguit? Quaenam, magis quam nostra, quamvis machinamentorum omne genus externarumque rerum progressionem

[4] Io., I, 29.
[5] Cf. Agg., II, 8.
[6] Io., XIX, 14.
[7] Cf. Litt. Enc. *Quas primas*, *A. A. S.*, 1925.
[8] Cf. Ps. XLV, 5.

protulerit, animi ieiunitate intimaque egestate spiritus laboravit? Quadrat utique in eam perspicuum illud Apocalypsis: « Dicis: dives sum, et locupletatus, et nullius egeo; et nescis, quia tu es miser et miserabilis, et pauper, et caecus, et nudus? »[9].

Nihil profecto magis urget, Venerabiles Fratres, quam nostrorum temporum hominibus « evangelizare investigabiles divitias Christi »[10]. Nihil sane nobilius, quam divini Regis vexilla pandere ac sublime coram eis ventilare, qui fallacia signa subsecuti sint, atque ad victricem Crucem eos feliciter reducere, qui ab ea misere discesserint. Quis igitur, cum tam magnam fratrum sororumque multitudinem cernat, qui erroribus obcaecati, cupiditatibus deleniti, ac praeiudicatis opinionibus devii, a germana Dei fide aberraverint et a salutari Iesu Christi evangelio, quisnam, dicimus, caritate non ferveat atque iisdem ultro libenterque suppetias non veniat? Quicumque enim sive ex sacerdotali, sive ex laicorum ordine, *Christi militiam* participat, cur ad vigilandum magis ad tuendamque acrius rem nostram se excitatum non sentiat, cum Christi inimicorum turbas formidolosius usque increscentes videat, atque mendacis huiuscemodi doctrinae praecones aspiciat, qui, ut salutiferam christianae fidei veritatem virtutemque renuunt, vel ab actione vitae prohibent, ita videntur impietate summa Dei praeceptorum tabulas infringere, ut in earum locum alias normas sufficiant, in quibus et moralis disciplinae principia per Sinaiticam revelationem proposita et divinum ille afflatus, qui ex Cruce Christi ex eiusque sermone in monte habito profluit, omnino respuuntur? Omnes procul dubio exploratum habent, non sine animi aegritudine, horum errorum germina mortiferam sane segetem in eis edere, qui, etsi cum quietis securisque fruebantur rebus, Christi sectatores se profitebantur, cum tamen indurata vi insistere, contendere, perpeti, et occultas apertasve in-

[9] *Apoc.* III, 17.
[10] *Eph.*, III, 8.

sectationes tolerare oporteat, christianos nomine tenus, dubios, ignavos imbecillosque se gerunt, et a iacturis abhorrentes, quas religionis professio iubeat, cruenta divini Redemptoris vestigia persequi non valent.

Sub vexillo Christi Regis

Afferat igitur omnibus, Venerabiles Fratres, in his rerum temporumque condicionibus, Iesu Christi Regis festum, quod iam appetit, et quo Encyclicas primum a Nobis datas Litteras accipietis, divinae gratiae munera, quibus quidem mortalium animi evangelica virtute redintegrentur, et Christi Regnum usque quaque producatur ac virescat. Dedicatio humani generis Sacratissimo Iesu Christi Cordi, quae eo die sollemni ritu peculiarique pietate agetur, populorum ac nationum omnium fideles ad Aeterni Regis aram congreget, ut eum iidem adorent, sua caeterorumque piacula expient, atque eidem sanctissimaeque veritatis amorisque legi suae fidem per omne aevum religiosae iurent. Tum supernam hauriant gratiam christiani omnes, in quibus caelesti ignis, quem Christus Dominus nobis attulit, flammescat ac fulgeat. Gratiam itidem hauriant qui languescunt animo, qui fatigati, qui pertaesi iacent; atque adeo spiritus integritatem virtutemque renovent. Gratiam denique ii etiam sumant, qui divinum Redemptorem vel ignorant, vel miserrime deseruere; ac christifidelium multitudines, ad decies centena milia bene multa, ita sollemni eo die Deum comprecentur: « Lux vera quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum »[11] salutis iter collustrando indicet, ac superna gratia in inquietis aberrantium animis illud incensum aeternorum bonorum desiderium excitet, quod omnes ad eum ipsum compellat, qui ex cruento Crucis throno eos studiosissime advocat, eorumque etiam fieri percupit « via, et veritas et vita »[12].

---

[11] Cf. Io., I, 9.
[12] Cf. Io., XIV, 6.

Grata erga filios memoria

Dum Encyclicas has Litteras, quas primas post initum Pontificatum edimus, sub Iesu Christi Regis signo atque auspicio fidentes sperantesque ponimus, pro certo habemus universum Dominicum gregem unanima impensissimaque consensione hoc esse prosecuturum. Quae aetate hac nostra experti sumus rerum discrimina catholicorum hominum animos ad mutuam necessitudinem excitant, eiusdemque fraternae necessitudinis sensum purificant magisque exacuunt, quam fortasse numquam alias; atque in iis omnibus, qui Deum esse credunt ac Iesum Christum sequuntur ducem ac magistrum, conscientiam reviviscere iubent commune periculum in universos una simul impendere minaciter.

Mutuae huius catholicorum necessitudinis sensus, quem, ut diximus, periclitatae res tantopere auxere, quique mentes recolligendo confirmat futuraeque victoriae voluntatem alit, suavissima Nos delectatione summoque solacio iis diebus affecit, cum trepido gressu, at Deo fidentes ad eam rite obtinendam Cathedram processimus, quam magnus Decessor Noster vacantem reliquerat.

In praesens vero, dum vivida subit animum recordatio illius observantiae significationum, quae, — ut arctissimam cum Ecclesia et cum Iesu Christi Vicario filiorum coniunctionem testarentur — tum ad Nos ultro libenterque pervenerunt cum Summi Pontificatus apicem attigimus, eiusque insigne sollemni ritu accepimus, contineri non possumus quin vobis, Venerabiles Fratres, iisque omnibus, quotquot catholicam familiam participant, impensas persolvamus grates ob amoris, venerationis inconcussaeque fidelitatis testimonia undique Romano Pontifici attributa, in quo quidem Summi Sacerdotis Supremique Pastoris munus, Dei numine constitutum, agnoscebatur. Haec siquidem testimonia non humili personae, Nostrae, sed nobilissimo gravissimo-

que officio unice deferebantur, ad cuius Nos onus subeundum Christus Dominus vocabat. Quodsi iam tum magnam accepti ponderis gravitatem experiebamur, quam summa potestas Nobis imposuerat providentissimi Dei nutu data, et maximo afficiebamur solacio, dum luculentissime testatam individuam cernebamus unitatem Catholicae Ecclesiae, quae, quasi in vallum ac propugnaculum conformata, tum invictae Beati Petri arci firmius arctiusque coniungitur, cum acrior increscit inimicorum Christi iactantia.

Universa haec catholicae unitatis ac fraternae divinitusque inditae populorum necessitudinis testificatio erga communem omnium Patrem, eo Nobis uberiorem videbatur felicioremque spem afferre, quo formidolosiora in res in animosque impendebant tempora. Ac iucunda eiusmodi recordatio per primos Pontificatus Nostri menses suavissime Nos affecit, dum labores, sollicitudinesque perpeti ac discrimina superare necesse fuit, quibus mysticae Iesu Christi Sponsae iter contexitur.

Ac praeterire silentio nolumus quam accepta Nobis fuerint eorum quoque omina ac vota, qui, etsi ad aspectabilem non pertinent Catholicae Ecclesiae compagem, pro sua tamen ipsorum ingenita nobilitate sinceritateque animi, id omne oblivione obrui noluere, quo vel ob amorem erga Christi personam, vel ob Dei fidem Nobiscum copulantur. Hi igitur omnes pergratae habeant voluntatis Nostrae significationem. Eos Nos singulos universos divinae committimus tutelae divinoque regimini; dum sollemniter asseveramus hoc uno Nos consilio moveri ac dirigi, Boni scilicet Pastoris exempla sedulo imitandi, ut omnes ad veri nominis felicitatem adducamus, utque omnes « vitam habeant et abundantius habeant » [13].

[13] Cf. Io., X, 10.

CONVENTIONUM LATERANENSIUM AUSPICATUS EVENTUS

Ac singulari modo grati animi Nostri sensa heic profiteri cupimus Imperatoribus Regibusque augustis, summis civitatum moderatoribus publicisque magistratibus, qui, earum nationum nomine, quibus cum Apostolica Sede amicitiae vincula intercedunt, humanissimis observantiae officiis ea faustitate Nos prosequi voluere. Quarum in numerum, in primis hisce Encyclicis Litteris ad universos datis terrarum orbis populos, peculiari laetitia Italiam adscribere licet; Italiam dicimus, quae, quasi frugiferum catholicae fidei viridarium ab Apostolorum Principe invectae, post initum non sine providentis Dei consilio Lateranense conventum, honoris locum in iis civitatibus occupat, quae legitimis necessitudinum rationibus cum Romano Pontifice continentur. Ex pactionibus hisce « pax Christi Italiae reddita » veluti aurora feliciter effulsit, tranquillam fraternamque animorum coniunctionem praenuntians in sacris religionis rebus in civilique consortione; quae quidem pax, serenos semper referens dies, ut enixe Deum rogamus, Italorum gentis animos, qui tam prope Nobis adsunt, quique eodem, ac Nos, fruuntur vitae halitu, pervadat, recreet, augeat, intimaque indita vi corroboret. Supplici nempe adhibita prece, id ex animo ominamur, ut populus hic, Decessoribus Nostris Nobisque sane carissimus, praeclara avitae religionis facinora fidelitate summa repetens, ac divino praesidio tutus, magis in dies magisque veritatem experiatur a sacro Psalte hisce verbis declaratam: « Beatus populus, cuius Dominus Deus eius »[14].

Novus hic auspicatissimus rerum ordo, in iuridiciali ac spiritali causa statutus, quem eventus ille, indelebili per omne aevum memoria dignus, Italiae cunctaeque catholicorum consortioni impertiit ac sollemniter sanxit, nunquam

[14] Ps. CXLIII, 15.

visus est Nobis tam magnam afferre animorum consensionem, quam cum primum ex externo elatoque Vaticanae Basilicae podio paternas Nostras pandentes atque extollentes manus, tum Romae, Summi Pontificatus sedi, dilectissimaeque urbi unde ortum duximus, tum Italiae icto foedere Catholicae Ecclesiae coniunctae, tum denique universis terrarum orbis populis effusa voluntate benediximus.

Vicarii Christi officium

Utpote eius Vicarius, qui, gravissimo horae momento, coram eo, qui maximae illius temporis auctoritatis partes gerebat, grande illud protulit effatum: « Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati; omnis qui est ex veritate, audit vocem meam » [15], nihil Nos muneri Nostro Nostraeque aetati magis debere profitemur, quam « testimonium perhibere veritati ». Hoc officium, cui satis Nos apostolica firmitudine facere opus est, id necessario postulat ut errores hominumque culpas ita exponamus ac refutemus, ut iisdem perspectis ac cognitis fas sit medicinam curationemque praebere: « cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos » [16]. Hoc autem in obeundo munere, non humanis Nos terrenisque opinationibus movebimur; itemque a suscepto proposito non diffidentiae, non discrepantiae, non denique repulsae causa abstinebimus; neque Nos idcirco ab eiusmodi consiliis timor abstrahet, quod aut actio Nostra aliorum cogitatione non percipiatur, aut falso dignoscatur. Verumtamen, hoc sollerter diligenterque persequentes, paterna ea caritate compellemur, quae dum Nos iubet ob filiorum mala ac damna summa moestitia laborare, iubet itidem ut iisdem opportuna remedia praebeamus, divinum illud Pasto-

---

[15] Io., XVIII, 37.
[16] Io., VIII, 32.

rum exemplar Christum Dominum imitati, qui lucem pariterque amorem pandit: « veritatem facientes in caritate » [17].

Iamvero, nefastum illud facinus, quo Christum Dominum non pauci e suo Regno depellere annituntur, veritatisque legem ab eo datae renuunt, ac praecepta illius caritatis respuunt, quae imperium eius quasi almo divinoque afflatu refovet atque corroborat, initium malorum est, quibus per pronum ac praeceps iter ad spiritualem animorum indigentiam virtutisque inopiam nostra haec aetas collabitur. Quamobrem Christum in regali suo solio revereri, eidem regiae potestatis iura agnoscere, idque efficere ut singuli universaque societas ad christianae veritatis caritatisque legem redeant, haec omnia solummodo possunt homines ad salutis viam revocare.

Dum, Venerabiles Fratres, has lineas exaramus, terrificus affertur Nobis nuntius nefandum iam belli incendium, quod enixe deprecari conati sumus, miserrime conflatum esse. Scriptorius calamus paene consistit, quandoquidem innumeras recogitamus eorum calamitates, qui usque adhuc in domestico suo ipsorum convictu quadam, etsi tenui ac modica, prosperitate laetabantur. Summa aegritudine paternus oppletur animus, dum ea omnia mente prospicimus, quae ex tenebricoso violentiae simultatisque semine oritura sunt, cui iam gladius cruentos facit sulcos. Attamen, cum ingruentes tot malorum acerbitates consideramus, ac vel maiores reformidamus in posterum, officii Nostri ducimus oculos animosque eorum, quibus proba adhuc inest voluntas, ad eum etiam atque etiam dirigere, a quo uno salus humano generi datur; ad eum, inquimus, unum, cuius misericors ac praepotens manus tempestati huic finem imponere potest; ad eum denique unum, cuius veritas cuiusque amor intelligentias collustrare ac proposita incedere tot hominum possunt, qui errorum fluctibus suique ipsorum immoderati amoris aestu iactati ac discrepantiae luctatio-

[17] *Eph.*, IV, 15.

nisque undis paene submersi, ad sanctissimum Iesu Christi regimen ad eiusque spiritum reducendi ac reformandi sunt.

At forsitan sperare licet — quod quidem ut Deus optimus ad rem adducat precamur — fore ut miserrima haec tempora nostra cogitationes ac consilia multorum in melius commutari iubeant, qui fallacibus opinionibus tam late hodie diffusis caeca mente fidentes, inconsulte imprudenterque per iter incedebant dubium insidiarumque plenum. Ac multi, qui minime perpendebant quam valeret ac valeat pastorale Ecclesiae munus ad rite sancteque educandos animos, nunc forsitan eiusdem Ecclesiae monita, quae faciliore tutioreque tempore posthabuerant, magis intellegunt magisque aestimant. Praesentes igitur angustiae afflictissimaeque res christianae doctrinae praecepta ita collaudant, ut id magis animos ad veritatem commovere possit, quam quod maxime. Siquidem ex ingenti istiusmodi errorum cumulo placitorumque colluvie, christianum nomen aversantium, tam venenosi maturuere fructus, ut opinionum earumdem reprobationem indicent damnationemque constituant, cuius probativa vis quamlibet, ratione habitam, refutationem exsuperet.

Interdum enim, cum spes deluditur ac fallitur, divina gratia trepidis animis arridet: « transitus Domini »[18] percipitur; ac Redemptori ita alloquenti: « Ecce sto ad ostium et pulso »,[19] saepenumero ianuae reserantur, secus numquam aperiendae. Testis est Deus qua vehementi miseratione, quo sanctissimo gaudio ad eos animum convertamus Nostrum, qui, acerbos hos experientes luctus, salutare atque impellens ex praecordiis oriri sentiunt veritatis, iustitiae christianaeque pacis desiderium. Verumtamen erga eos etiam, quibus superna nondum affulsere lumina, nihil aliud nisi amorem spirat animus Noster; ac labia Nostra supplices

[18] Cf. *Exod.*, XII, 11.
[19] *Apoc.*, III, 20.

preces ad Deum admovent, ut eorum mentibus, quae Christum neglegunt vel contemnunt, aliquantulum illius lucis splendescere iubeat, quae olim Saulum in Paulum convertit, quaeque difficilioribus ipsis Ecclesiae temporibus arcanam vim suam exseruit.

Hodierni errores

In praesens vero, cum perturbati eventus calamitatesque occupent omnes, non plenam heic, edisserendo, proponere mens est errorum aetatis huius nostrae refutationem, quod quidem, si opportunitas obvenerit, facturi erimus; sed praecipuas solummodo hac super re animadversiones scribendo persequi.

Homines hodie, Venerabiles Fratres, superiorum temporum fallacias novis commentis falsisque opinationibus coagmentantes, haec omnia ita transversum ad extrema usque adegerunt, ut nihil aliud nisi conturbatio ac ruina consequi posset. Ac principio, compertum omnino est primum altioremque malorum fontem, quibus hodierna afflictatur civitas, ex eo scatere, quod universalis de morum probitate pernegetur ac reiiciatur norma, cum in privata singulorum vita, tum in ipsa re publica atque in mutuis necessitudinum rationibus, quae inter gentes nationesque intercedunt; ipsa videlicet naturalis detrectatione oblivioneque obruitur.

Haec naturalis lex veluti fundamento innititur Deo, omnipotenti omnium creatore ac patre, eodemque et supremo perfectissimoque legum latore et sapientissimo iustissimoque humanarum actionum vindice. Cum temere aeternum renuitur Numen, iam cuiuslibet honestatis principium labat nutans, iamque naturae vox silet vel pedetemptim debilitatur, quae indoctos etiam ac vel eos edocet, qui nondum ad civilis cultus usum pervenerunt, quid fas sit, quid nefas, quid liceat quidque non liceat; eosque admonet se aliquando coram Supremo Iudice de bene maleque factis suis rationem esse reddituros.

Ut profecto nostis, Venerabiles Fratres, ea de causa omnis in ordine morum probitatis fundamentum in Europa olim reici coeptum est, quod homines non pauci a Iesu Christi doctrina abducti sunt, cuius Beati Petri cathedra custos est atque magistra. Qua quidem doctrina ita per revoluta saecula Europae populi coaluere christianoque spiritu conformati sunt, ut Cruce nobilitati, et humaniores cultioresque effecti, ad tam provectam publicae civilisque rei progressionem pervenirent, ut ceteras quoque gentes ac terras omne genus disciplinis excolerent. At cum ab inerranti Ecclesiae magisterio se vindicavissent plures a Nobis seiuncti fratres eo, proh dolor, processerunt, ut ipsam Servatoris nostri divinitatem, quod christianae doctrinae caput est ac veluti centrum, respuendo subverterent, religionis conversionem dissolutionemque maturantes.

Lamentabilis ad ethnicorum mores regressus

Cum Christus Dominus, quemadmodum Evangelii narrat historia, cruci affixus est, « tenebrae factae sunt super universam terram »; [20] quod ea luctuose significare videtur, quae acciderunt continenterque accidunt, cum qui de religionis rebus increduli sunt homines, caligine obcaecati sibique nimium fidentes, divinum Redemptorem ex hodiernae vitae actione ac praesertim ex publica re quasi extorrem exigunt, atque, una cum Christi fide, Dei etiam fidem debilitant. Id siquidem consequitur, ut omnia de conformandis moribus principia ac normae, quibus superiore tempore rationes privatim publiceque vivendi diiudicabantur, quasi obsoleta facta sint; utque, ubi civilis societas omnino ad laicismi, quem vocant, effata ac placita redacta fuerit — quod quidem citatiore cotidie gradu evenit, summisque laudibus extollitur atque ubi eo usque incesserit,

[20] Matth., XXVII, 45.

ut singulos cives, domesticum convictum universamque civitatem ab almo ac benefico Dei Ecclesiaeque afflatu subtraxerit, luculentiora cotidie ac miseriora manifestentur signa ac vestigia corruptricis ethnicorum veterum falsitatis. Quod quidem in iis etiam regionibus contingit, in quibus per tot saeculorum decursum christianae urbanitatis iubar refulsit: « Tenebrae factae sunt dum crucifixissent Iesum » [21].

At multi forsitan, dum a Iesu Christi praeceptis abstrahebantur, non omnino animadvertebant se mira quadam falli veri specie splendescentibus verborum luminibus fucata, quibus haec evangelicae doctrinae repulsa quasi impositae servitutis liberatio praedicabatur; neque prospiciebant quid inde consecuturum esset, cum veritas, quae liberat, in errorem fuisset, qui servos facit, commutata; neque denique perpendebant arbitrio sese esse dedituros fluxae ac miserae hominum sagacitatis, cum paternam infiniteque sapientem Dei legem ac Iesu Christi mandata respuissent, quae caritatem redolent, homines inter se coniungunt eosque ad excelsa erigunt. Rerum omnium progressionem iactabant, dum contra ad deteriora regrediebantur; ad nobilissima quaeque se provehi reputabant, dum e suae infeliciter removebantur dignitatis gradu; ac saeculum hoc nostrum maturitatem perfectionemque afferre asseverabant, cum in servitutem veterem miserrime redigerentur. Non perspiciebant enim quemlibet hominum nisum, qui eo contenderet ut quiddam simile in christianae legis locum sufficeret, fallacem omnino vanumque esse; « evanuerunt » scilicet « in cogitationibus suis » [22].

Siquidem remissa ac debilitata Dei divinique Redemptoris fide, ac luce obumbrata in animis, quae ex universalibus probitatis honestatisque normis oritur, iam unum illud atque unicum labefactatur stabilitatis tranquillitatisque fundamentum, quo privatus ac publicus animorum rerumque

[21] *Brev. Rom.*, Parasc., respons. IV.
[22] *Rom.*, I, 21.

ordo innititur, qui quidem solummodo potest civitatum prosperitatem ac sartam tectamque servare.

Tum etiam pro certo, cum Europae gentes fraterno illo continebantur foedere, quod eadem alebant christiana instituta ac praecepta, non dissidia, non rerum conversiones, non populantia bella deerant; sed nunquam alias forsitan, ut in praesens, tam fracto homines afflictoque fuere animo, quandoquidem acri trepidatione cernunt quam difficile sit suis mederi malis. Dum contra superiore aetate praesens mentibus animisque erat quid fas, quid nefas esset, quid liceret, quid denique illicitum esset: quod quidem et consensiones faciliores reddit, et concitatas cupidines coërcet, et ad honestam rerum compositionem viam pandit ac munit. Hisce tamen diebus non ex vehementi tantummodo intemperantis animi impetu oriuntur dissidia, sed ex intimae potius conscientiae perturbatione defectioneque, ex qua privatae ac publicae probitatis honestatisque normae temere subvertuntur.

Legis caritatis oblivio

In multiplicibus variisque erroribus, qui ex neglectis detrectatisque religionis praeceptis morumque probitatis normis, quasi e venenoso fonte scatent, duo capita peculiari modo, Venerabiles Fratres, considerationi diligentiaeque vestrae proponimus, quippe quae impossibile paene, vel precarium incertumque reddant populos inter se pacifice tranquilleque vivere.

Quorum primum, tam late in praesens pernicioseque vulgatum, oblivione continetur mutuae illius hominum necessitudinis caritatisque, quam quidem cum communis origo postulat, ac rationabilis omnium hominum naturae aequalitas, ad quaslibet iidem gentes pertineant, tum Redemptionis sacrificium praecipit, quod Christus Dominus expiandis animis Aeterno Patri in ara crucis obtulit.

Narrat enim prima Sacrarum Litterarum pagina, inge-

nua illa sua verborum granditate, creatorem Deum, ut inceptum opus consummaret, fecisse « hominem ad imaginem suam »; [23] itemque Biblia edocent eum, supernis donis dotibusque ditatum, arcanae fuisse sempiternaeque destinatum beatitati. Ac praeterea narrant ex primo hominis feminaeque coniugio duxisse originem ceteros omnes; quos referunt — rem verbis vivide significanterque effingendo variis tribubus fuisse gentibusque distinctos, per variasque terrarum orbis partes disseminatos. Et cum etiam misere a suo ipsorum aberrarent Creatore, paternum animum in eos Deum gerere non praetermisisse, quos ex divinae misericordiae suae consilio iterum aliquando secum una amicitiae foedere coniuncturus esset [24].

Atque Apostolus gentium, utpote huius praeco veritatis, qua homines in magnam familiam fraterne coalescunt, haec nuntiat Graecorum genti: « Fecit... [Deus] ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terrae, definiens statuta tempora, et terminos habitationis eorum, quaerere Deum... » [25].

Humani generis necessaria unitas

Quapropter miro quodam mentis obtutu humanum genus, ob communem a Creatore originem unum, intueri ac contemplari possumus secundum illud: « Unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes et per omnia et in omnibus nobis »; [26] itemque natura unum, quae ex corporis concretione et ex immortali spiritualique animo constat; unum ob proxime omnibus assequendum finem, obque commune per praesentis huius vitae decursum fungendum munus; unum ob eandem habitationem, terrarum nempe orbem, cuius opibus naturali iure omnes frui possunt, ut sese ale-

[23] Cf. *Gen.*, I, 26-27.
[24] Cf. *Gen.*, XII, 3.
[25] *Act. Apost.*, XVII, 26-27.
[26] *Eph.*, IV, 6.

re queant seseque ad auctiora incrementa provehere; unum denique ob supernum finem, Deum ipsum, quo contendant omnes oportet, et ob res atque adiumenta, quibus eumdem finem tandem aliquando contingere valeant.

Atque idem gentium Apostolus humanae familiae unitatem ex rationum vinculis demonstrat, quibus cum aeterna haud adspectabilis Numinis imagine, Dei Filio, coniungimur in quo « condida sunt universa »; [27] itemque ex una eademque Redemptione, quam Christus per acerbissimos cruciatus omnibus dilargitus est, cum abruptam Dei amicitiam, iam ab origine inditam, redintegravit ac caelestis Patris hominumque conciliator exstitit: « unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Iesus » [28].

Ut vero eiusmodi Dei humanaeque gentis amicitiam coniunctiorem firmioremque redderet, universalis ille salutis pacisque sequester, in Caenaculi silentio supremum sui ipsius sacrificium obiturus, haec e sanctissimis labiis edidit verba, quae altissima per saeculorum spatia resonant, animisque amore vacuis simultateque laceratis praeclare excitata caritatis facinora ostendunt: « Hoc est praeceptum meum ut diligatis invicem, sicut dilexi vos » [29].

Haec supernae veritatis capita ima constituunt fundamenta arctissimaque communis omnium unitatis vincula, Dei divinique Redemptoris amore solidata, ex quo singuli universi salutem accipiunt « in aedificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi » [30].

Quamobrem, si hanc iure ac reapse datam totius humani generis unitatem intente consideramus, non seiuncti nobis singuli cives, quasi arenarum grana, videntur, sed inter se potius apto compositoque ordine ac mutua varia-

---

[27] *Col.*, I, 16.
[28] I *Tim.*, II, 5.
[29] Io., XV, 12.
[30] *Eph.*, IV, 12-13.

que ob temporum diversitatem necessitudine congregati ex naturali ac superna impulsione destinationeque. Et cum gentes ad humaniorem cultum evehantur, et pro rerum vitaeque condicionibus inter se dissimiles fiant, non idcirco debent humanae familiae unitatem infringere, sed eamdem potius familiam, suis ipsarum communicatis dotibus animique ornamentis, ditare, itemque mutuo illo bonorum commercio, quod tum solummodo efficienterque haberi potest, cum vivida ac flagrans caritas omnes eiusdem Patris filios omnesque eodem divino cruore redemptos homines fraterno foedere coagmentat.

Iesu Christi Ecclesia, utpote fidelissima almae divinaeque sapientiae custos, non ea pro certo nititur deprimere vel parvi facere, quae peculiares cuiusvis nationis notas proprietatesque constituant, quas quidem populi iure meritoque quasi sacram hereditatem religiose acerrimeque tueantur. Ea siquidem ad unitatem contendit, superno illo amore conformatam et altam, quo omnes actuose exerceantur; non vero ad unam assequendam rerum omnium aequabilitatem, externam tantummodo atque adeo insitas vires debilitantem. Et curas omnes ac normas, quae facultatibus viribusque sapienter explicandis temperateque augendis inserviunt — quae quidem ex occultis cuiusvis stirpis latebris oriuntur — Ecclesia approbat maternisque votis prosequitur, si modo officiis non adversentur, quae communis mortalium omnium origo communisque destinatio imponat. Quod profecto ex impensa opera, quam sacrarum expeditionum praecones navant, iterum iterumque ostendit; idque esse profitetur quasi rectricem stellam, ad quam in suo universalis apostolatus itinere intentis oculis respiciat. Qui quidem divini verbi praecones, innumeris pervestigationibus per temporum decursum summo labore summoque studio habitis, civilem enisi sunt variarum gentium cultum earumque instituta satius digniusque agnoscere, atque sua ipsarum animi ornamenta ac dotes ita colere ac provehere, ut faciliora inibi atque uberiora Iesu Christi evangelium in-

crementa caperet. Quidquid in populorum moribus indissolubili vinculo superstitionibus erroribusque non adstipulatur, benevole nullo non tempore perpenditur ac, si potest, sartum tectumque servatur. Ac proximus p. r. Decessor Noster, in peculiari istiusmodi causa, quae multum prudentiae et consilii postulabat, in eam sententiam nobili animo discessit, quae sui ingenii aciem suique apostolatus ardorem praesenti futuraeque aetati commendat. Iamvero vix attinet declarare vobis, Venerabiles Fratres, idem Nos iter non dubitanter esse persecuturos. Ac pro certo habeant omnes, quotquot cuiusvis originis vel sermonis catholicam amplectuntur Ecclesiam, sese in hac communis Patris domo, in qua Iesu Christi lege ac pace fruuntur omnes, ipsissima habere filiorum iura. Etenim ut hae aequabilitatis normae ad effectum pedetemptim deducantur, ex indigenarum gentibus lectissimi seliguntur viri, sacerdotum episcoporumque ordines gradatim apud suos adaugeant. Eaque de causa, ut videlicet mentem hanc Nostram exemplo demonstremus, volumus in proximo Iesu Christi Regis festo sacerdotes duodecim, qui suas cuiusque stirpium populorumque quodammodo personas gerant, ad Apostolorum Principis sepulchrum episcopali ornare dignitate.

Ita quidem ut, dum acerrimae contentiones animos lacerant, et compagem humanae familiae rescindunt, ex hoc sollemni ritu intellegant universi filii Nostri, per terrarum orbem disseminati, doctrinam, operam, voluntatemque Ecclesiae non alienam unquam esse futuram ab gentium Apostoli sententia haec adhortantis: « Induentes novum [hominem] eum, qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem eius, qui creavit illum; ubi non est Gentilis et Iudaeus, circumcisio et praeputium, Barbarus et Scytha, servus et liber, sed omnia et in omnibus Christus » [31].

[31] *Col.*, III, 10-11.

Christianus patriae amor

Heic vero animadvertendum putamus fraternae universalisque necessitudinis conscientiam, quam christianae doctrinae praecepta in animis excitant ac refovent, non amorem aversari erga patriae cuiusque suae memorias gloriasque; neque prohibere quominus auctior usque prosperitas ac legitime potiunda bona promoveantur, quandoquidem eadem doctrinâ edocemur Deum ipsum in exercenda caritate rectum statuisse rerum ordinem, ex quo impensius ii adamandi sint, uberioribusque bene factis donandi, qui peculiaribus sint vinculis nobiscum copulati. Hoc Divinus ipse Magister ex sua agendi ratione patefecit, cum potiore amore erga patrium solum exarsit, atque imminenti Urbis Sanctae ruinae maestissime illacrimavit. At patria caritas, iure meritoque alenda, christianae in universos homines caritatis praecepto non obstet, non officiat, quod ceteros quoque omnes eorumque profectus in paciferi amoris luce collocat.

Mira huiusmodi doctrina non uno nomine ad religiosae civilisque rei progressionem dignissime contulit. Eius siquidem praecones, superni afflatus ardore incensi atque permoti, non modo rude solum arare atque excolere, omneque genus morbis mederi conati sunt, sed eo potissimum contenderunt ut sibi creditos animos ad excelsa divinaque prorsus erigerent, conformarent, eosque ad summa sanctitudinis fastigia impellerent, ubi omnia circum quaque quasi sub uno Dei obtutu cernantur. Monumenta iidem ac templa excitarunt, ex quibus luculenter patet ad quam elatum granditatis verticem christianae affulgens perfectionis species animos evehat; at praesertim homines, sapientes vel indoctos, potentes vel debiles, quasi animata Dei templa eiusdemque vitis, quae Christus est, palmites effecerunt. Sapientiae veteris ingenuarumque artium thesauros advenientibus aetatibus tradiderunt, at hoc impri-

mis enisi sunt, ut eas arcani illius aeternae sapientiae muneris participes redderent, quod homines, Dei subolem caelesti gratia effectos, amico fraternoque foedere coniungat.

Ius divinum et ius humanum

Quodsi, Venerabiles Fratres, ex oblivione illius legis, quae in singulos universos caritatem praecipit, quaeque odia restinguens, contentionesque extenuans, una potest solidare pacem, tot tantaque communi pacatae populorum vitae obveniunt mala, at procul dubio nationibus omnibus cunctaeque hominum cuiusvis gentis familiae non minora eorum error detrimenta parit, qui, temerario ausu, publicae rei potestatem a quolibet nexu cum Sempiterno Numine vindicant, ex quo quidem veluti primo auctore supremoque domino cum singuli, tum humana congregatio pendent: idque eo vel magis quod a quibusvis superioribus normis, quae ex Deo ut primo fonte oriuntur, eamdem potestatem liberant, eidemque plenissimam attribuunt agendi facultatem, quae nutanti solum fluxoque arbitrio permittitur, illisve placitis, quae rerum gerendarum condicionibus peculiaribusque adipiscendis bonis tantummodo conformentur.

Itaque divina posthabita auctoritate eiusque legis imperio, id necessario consequitur ut civilis potestas absolutissima nullique obnoxia iura usurpet, quae ad summum Creatorem unice pertinent; utque, in eiusdem Creatoris locum suffecta, rem publicam vel civium communitatem efferat quasi supremam totius humanae vitae metam maximamque normam in iuris morumque ordine habendam; atque adeo omnes prohibeat quominus ad naturalis rationis christianaeque conscientiae praecepta refugiant.

Non diffitemur utique errata opinationum principia non omnino semper detrimentosam vim suam moribus inferre; idque praesertim cum christianae vitae consuetudo,

quae plurimis iam saeculis a maioribus accepta populorum animos informet, altissimas, etsi hoc non percipitur, radices egerit. Nihilo secius accurate diligenterque animadvertendum est quamlibet socialis vitae normam infirmam labantemque fore, quae in humano solummodo fundamento consistat, quae terrenis tantum consiliis propositisque dirigatur, quaeque unice ex externae auctoritatis sanctione vim suam virtutemque eruat.

Ubi humana iura a divinis pendere renuitur, ubi non nisi ad adumbratam incertamque terrenae auctoritatis speciem provocatur, ac iura vindicantur, quae nulli sint obnoxia, quaeque non probitatis, sed utilitatis tantum rationibus regantur, inibi ipsum hominum ius, in actione agitationeque vitae, interna in animos vi necessario exuitur; qua dempta, rite agnosci rerumque iacturas a civibus postulare non potest.

Interdum utique accidit ut publica potestas, quamquam nutantibus id genus fulciminibus subnixa, per fortuitos casus rerumque adiuncta, terrena eiusmodi incrementa assequatur, quae iis admirationem iniiciant, qui in res ipsas non penitus introspiciant; necessitate tamen contingit ut ineluctabilis illa lex victrix emergat, qua incepta omnia collabantur, quae fuerint ex impari prorsus, aperta vel occulta, ratione exorta, cum nempe adeptus in externis rebus magnitudinis exitus probitatis honestatisque normis intima firmaque vi sua non respondeat. Quae quidem impar ratio tum non haberi non potest, cum publica auctoritas Summi Legislatoris dominatum vel infitiatur, vel respuit, qui dum civitatis moderatoribus potestatem attribuit, eiusdem tamen potestatis terminos decrevit.

Reipublicae partes

Etenim civitatis imperium, quemadmodum per Encyclicas Litteras *Immortale Dei*[32] sapientissimus Decessor

[32] *Acta Leonis XIII*, vol. V, p. 118.

Noster p. m. Leo XIII edocet, idcirco a summo omnium Creatore statutum est, ut ex illius ordinis praescriptione, qui in universalibus, quibus regitur, principiis ac normis incommutabilis consistit, publicam rem moderetur; ut humanae personae, in praesenti hac vita, ad corporis mentisque vires quod attinet et ad rite componendo mores, perfectionis adeptionem faciliorem reddat; utque cives adiuvet ad supernum sibi destinatum finem assequendum.

Eo igitur nobilissimo munere fungitur res publica, ut, in nationis vita, privata singulorum incepta et opera recognoscat, temperet atque promoveat; eaque ad commune omnium bonum convenienter dirigat, quod quidem non ex alicuius arbitrio, neque solummodo a terrena civilis societatis prosperitate, veluti a primaria ratione sua definiatur, sed ex naturali potius hominis perfectione congruenter provehenda, ad quam civitas ipsa a supremo Creatore, quasi instrumentum atque praesidium, destinatur.

Quisquis rem publicam quasi finem considerat, ad quem omnia confluant, cuique omnia obtemperent, facere is non potest quin mansuris verique nominis nationum incrementis noceat, officiat. Quod profecto contingit, sive infinitus eiusmodi dominatus ex nationis, vel populi, vel ex alicuius civium ordinis mandato, rei publicae attribuatur, sive ipsamet eandem imperandi rationem sibi sumat civitas, utpote dominatrix absolutissima, nulli prorsus obnoxia.

Si enim res publica privatae navitatis incepta ad se trahit ac vindicat, eadem profecto incepta — quippe quae multiplicibus normis, peculiaribus ac propriis, regantur, quae quidem ad propositum tute assequendum conducant non sine publici boni iactura, detrimenta accipere queunt, cum a naturali rerum ordine abstrahantur, quarum rationem ac periculum privati in se recipiant.

Ex hoc cogitandi agendique modo id discriminis oriri potest, ut domesticus etiam convictus, primus ille ac ne-

cessarius humanae societatis fons, atque eius profectus eiusque commoda, perinde considerentur, quasi ad nationis imperium dominationemque unice respiciant; itemque ut oblivioni detur homines eorumque familias suapte natura civitatem antecedere, ac divinum Creatorem peculiaria utrisque dedisse iura facultatesque, iisdemque destinasse munus, quod naturalibus ac certis necessitatibus respondeat.

Eademque opinandi ratione novae subolis educatio non eo spectat, ut omnes corporis, mentis animique vires convenienter conformentur et adaugeantur, sed ut illa tantum civica virtus efferatur summopereque excitetur, quae ad prosperos politicae rei eventus necessaria videatur; quapropter quae animi ornamenta nobilitatem, observantiam humanitatemque redolent, minus ea commendantur, quasi acrem iuvenilis ingenii fortitudinem minuant ac deprimant.

Iura familiae

Quapropter ea paene oculis observantur Nostris pericula ac discrimina, quae ex imminutis ac sensim abolitis domestici convictus iuribus praesenti huic nostrae futuraeque aetati obventura formidamus. Nostrarum igitur esse partium ducimus ex officii conscientia, quod gravissimum ministerium Nostrum postulat, eiusmodi iura religiose affirmateque tueri; quandoquidem nostrorum temporum angustias, cum ad res externas ac terrenas, tum ad spiritualia bona quod attinet, itemque innumeras errorum fallacias atque ea quae inde misere consequuntur, nemo procul dubio tam acerbe perpetitur, quam domestica societas. Ita quidem ut cotidianum asperitatum miseriarumque pondus atque increscens ea undique indigentia, quam nulla forsitan superior aetas tam luctuosam experta est, cuiusque causa veraque necessitas saepenumero cerni nequeunt, tolerari utique non possint sine tenaci illa animi firmitate

magnitudineque, quae admirationem omnibus commoveant. Qui, pastorali munere fungentes, intimas conscientiae latebras inspiciunt, et occultas matrum lacrimas tacitumque patrum familias moerorem atque innumeros angores cognoscere possunt — de quibus ulla publica rerum rationaria nec loquuntur, nec loqui queunt — ii procul dubio gliscentem formidolose cotidie magis hunc aegritudinum cumulum anxio sollicitoque animo vident; ac probe norunt tenebricosas improborum hominum vires, qui hoc unum annituntur, ut, iisdem rerum asperitatibus abutentes, omnia misceant atque subvertant, in insidiis esse opportunitatem aucupantes, qua impia sibi assignata proposita exsequi valeant.

Quisnam prudens atque cordatus, in gravissimis hisce rerum condicionibus, rei publicae ampliora iura ultraque solita deneget, quae iisdem condicionibus respondeant, quibusque plebis necessitatibus subveniatur? Sed postulat tamen statuta a Deo ratio in ordine morum, ut diligentius perpendatur, ex boni nempe communis norma, quid fas sit, in hisce decernendis, quae tempora moneant, quid nefas; itemque quid reapse necessitas exposcat.

IURA CONSCIENTIAE

Ceterum quo graviora incommoda rerumque iacturas a singulis civibus et a domestica societate exposcit publica potestas, eo magis debet animorum iura sancta inviolataque servare. Ipsa siquidem potest opes cruoremque expetere, at numquam animam a Deo redemptam potest. Quamobrem, quod sempiternum Numen patribus matribusque familias munus concredidit, hoc est consulendi subolis cuiusque suae bono, ad praesentem futuramque vitam quod attinet, itemque filios ad vera religionis praecepta apte conformandi, id nemo unus, sine gravi iuris detrimento, ad se rapere potest. Quae quidem apta conformatio eo etiam pro certo spectat ut adulescentium animos ad nobi-

lissima ea patriae caritatis officia excitet atque compellat, ex quibus, alacri mente hilarique voluntate exsequendis, eiusdem amoris studium in patriae solum actuose demonstretur. Attamen iuvenilis institutio, quae ex consulto oblivioseque praetermiserit iuvenum oculos ad caelestem quoque patriam dirigere, cum in ipsam iuventutem, tum in christianae familiae officia ac iura, nunquam quidem abalienanda, iniusta prorsus evaserit; atque adeo, utpote fuerit statutos sibi fines transgressa, ipsum populi civitatisque bonum remedia adhibenda postulat. Istiusmodi educatio iis videatur forsitan, qui eius rationem ac periculum in se receperint, auctioris roboris firmitatisque fons; at qui consecuturi erunt eventus huius rei fallaciam ostendent. Maiestatis crimen adversus « Regem regum et Dominum dominantium » [33], in puerorum institutione patratum, quae christianos spiritus christianosque sensus neglexerit vel aversata fuerit, cum divinam illam Iesu Christi invitationem praepediat ac prohibeat « sinite parvulos venire ad me » [34], acerbissimos procul dubio proferet fructus. At contra publica potestas, quae patrum matrumque familias animos, ob id genus discrimina summo dolore affectos, ab eiusmodi sollicitudinibus liberat, eorumque iura redintegrat, internam procul dubio civitatis tranquillitatem provehit, ac tutum constituit fundamentum, quo futura patriae prosperitas innitatur. Quos parentibus Creator largitus est, filiorum animi, sacro fonte expiati ac regio distincti Iesu Christi signo, quasi sacrum constituunt thesaurum, cui sollicitus Dei amor invigilat. Divinus ipse Redemptor, qui quondam Apostolis edixerat: « Sinite parvulos venire ad me », etsi benignitatis misericordiaeque plenus, iis tamen atrocia mala comminatus est, qui puerulos sibi carissimos, pravo exemplo offendant. At quaenam flagitiosior offensio haberi potest, quaenam suboli detrimentosior ac

[33] Cf. I *Tim.*, VI, 16; *Apoc.* XIX, 16.
[34] Marc., X, 14.

magis in posterum nocitura, quam ea puerilium morum conformatio, quae iuventam transversam agat ad metam, quae longe absit a Christo « via, veritate et vita », eamque a divino Redemptore vel occulte vel palam abalienari iubeat? Qui quidem divinus Redemptor, a quo praesens ac futura iuvenilis aetas miserrime abstrahitur, idem ipse est, qui omnem ab Aeterno Patre potestatem accepit, cuiusque ex manibus pendet civitatum, gentium nationumque fortuna. Earum siquidem vitam contrahi vel produci, earumque incrementa amplitudinemque provehi, ad eum unum pertinet. Animus tantummodo ex rebus omnibus quae in terra habentur, immortalitate fruitur. Quapropter ea educationis ratio, quae sacra christianae familiae saepta, divinae legis praesidio tuta, sarta tectaque non servaverit, quae eorum fundamenta subverterit, atque iter ad Christum adulescentibus praecluserit, ne « aquas in gaudio hauriant de fontibus Salvatoris » [35]; quae denique ab eodem Christo et ab Ecclesia abalienationem praedicaverit, quasi in nationem vel in aliquem civium ordinem fidelitatis indicem, ea procul dubio in semetipsam damnationis poenâ animadverterit, eritque stato tempore ineluctabilem sententiae veritatem experta sacri vatis admonentis: « Recedentes a Te in terra scribentur » [36].

Lex naturalis suprema

Opinatio illa, Venerabiles Fratres, quae imperium paene infinitum rei publicae attribuit, non internae tantum nationum vitae et auctioribus componendis incrementis perniciosus error evadit, sed mutuis etiam populorum rationibus detrimentum affert; quandoquidem unitatem illam infringit, qua civitates universae inter se contineantur oportet, gentium iura vi firmitateque exuit, atque, viam ster-

[35] Cf. Is., XII, 3.
[36] Ier., XVII, 13.

nens ad aliena violanda iura, pacate una simul tranquilleque vivere perdifficile reddit.

Etenim hominum genus, quamquam ex naturalis ordinis a Deo statuta lege in civium classes disponitur, itemque in nationes civitatesque, quae ad suam quod attinet interni regiminis temperationem, aliae ab aliis non pendent, mutuis tamen in iuridiciali ac morali re vinculis obstringitur, et in universam magnamque coalescit populorum congregationem, quae ad assequendum omnium gentium bonum destinatur, ac peculiaribus regitur normis, quae et unitatem tutantur, et ad res cotidie magis prosperas dirigunt.

Iamvero nemo est qui non videat asseverata illa rei publicae iura, absolutissima nullique prorsus obnoxia, legi huic naturali et insitae omnino adversari, eamdemque funditus refellere; itemque patet eadem iura illas legitime initas necessitudines, quibus nationes inter se coniunguntur, civitatis moderatorum arbitrio permittere, ac praepedire quominus recta habeatur animorum omnium consensio ac mutua adiutricis operae collatio. Id siquidem postulant, Venerabiles Fratres, congruenter compositae perpetuoque mansurae civitatum rationes, postulant amicitiae vincula, e quibus uberes oriantur fructus, ut naturalis iuris principia ac normas, quibus nationes inter se contineantur, rite populi agnoscant, iisdemque obtemperent. Parique modo eadem ipsa principia iubent libertatem cuique suam servari incolumem, eaque omnibus tribui iura, quibus vivant, ac per civilis progressionis iter ad res magis cotidie prosperas adveniant; iubent denique pacta conventa, ex gentium iure stipulata ac sancta, integra inviolataque permanere.

Haud dubium est tum gentes solummodo posse una simul quieteque vivere, tum solummodo posse publice iureque statutis necessitudinibus regi, cum mutua intersit fiducia, cum omnibus parsuasum sit datam fidem incolumem utrinque servatum iri, cum omnes denique illud pro

certo accipiant « meliorem esse sapientiam quam arma bellica » [37]; ac praeterea cum ad rem suam aptius inquirendam disceptandamque omnes parati sint, non vero ad discriminis causam vi minaciterque decernandam, si morae, si controversiae, si difficultates mutationesque obvenerint, quae quidem omnia non ex prava tantum voluntate, sed ex mutatis etiam vicissitudinibus et ex repugnantibus invicem suis cuiusque utilitatibus oriri queunt.

Ceterum, ius gentium idcirco a divino iure vindicare, ut in rei publicae moderatorum arbitrio veluti fundamento unice innitatur, nihil aliud significat quam illud ipsum ex honoris sui suaeque firmitatis solio detrudere, idemque nimio concitatoque privati publicique commodi studio permittere, quod non alio contendit, nisi ut propria iura efferat, aliena deneget.

Superbae illusiones

Asservandum utique est, temporis decursu ob graviter immutata rerum adiuncta — quae, dum pactio transigebatur, nec prospiciebantur, nec prospici quidem forsitan poterant — aut integras conventiones, aut quasdam earumdem partes alteri ex adstipulantibus iniustas quandoque evadere vel videri posse, vel saltem nimio graviores evenire, vel denique eiusmodi fieri ut ad rem deduci nequeant. Quod si contingat, procul dubio necesse est tempestive ad sinceram honestamque disceptationem confugere, ut pactio vel opportunas immutationes accipiat, vel iterum omnino componatur. Sed contra, pacta conventa aeque ac res fluxas et caducas habere, sibique tacitam facultatem tribuere, quotiescumque propria utilitas id postulare videtur, eadem infringendi sua sponte, inconsulto nempe vel posthabito altero paciscente, hoc pro certo debita mutuaque fide civitates exuit; atque adeo naturae ordo fun-

[37] Cf. *Eccle.*, IX, 18.

ditus subruitur, ac populi nationesque quasi praeruptis immensisque voraginibus invicem segregantur.

Hodie, Venerabiles Fratres, trepidi omnes malorum cumulum considerant, quem et errores simulataeque normae, de quibus explicando diximus, et ea, quae inde consecuta sunt, miserrime coëgerunt. Falsae ac superbae infinitae progressionis species, quae multorum illiciebant animos, evanuerunt; iamque ingruentia ruinarum discrimina nondum experrectos e somno expergefacere videntur, quasi illâ iteratâ sacri vatis sententiâ: « Surdi, audite, et caeci, intuemini » [38]. Quae externo ordine composita videbantur, reapse nihil aliud erant, nisi omnia invadens rerum perturbatio: perturbationem dicimus, quae ipsa morum praecepta attigerat, cum eadem, a divinae legis maiestate avulsa, omnem infecissent humanae navitatis campum. At iam non ad praeterita, sed ad futura illa tempora mentis oculos convertamus, quae, ut ii pollicentur, a quibus populorum sors ac fortuna pendet — praesentibus cruentisque conflictationibus tandem aliquando pacatis — novam rerum rationumque temperationem afferent, iustitiae prosperitatisque fundamento suffultam. Verumtamen numquid alia reapse et, quod praecipuum est, melior atque felicior orietur aetas? Ac nova pacis conventa, novaque inter nationes constituta ordinatio, quae huius belli finem consequentur, num iustitia aequitateque erga omnes ac redintegranti paciferoque spiritu conformabuntur, vel potius veteres recentesque errores luctuose repetent? Vanum profecto est ac fallax, quod experiendo comprobatur, e belli solummodo conflagratione ex eiusdemque exitu novum sperare ordinem. Dies, quo victoria affulget, ei utique, qui eam ad se rapuit, triumphum affert; attamen illius horae momentum, dum iustitiae angelus cum violentiae daemone contendit, non discrimine caret. Siquidem nimio saepius victoris animus obdurescit; eidemque temperantia et

[38] Is., XLII, 18.

sagax longeque prospiciens prudentia infirmitas animique debilitas videtur. Ac praeterea popularium animorum concitatio, quam tot tantaeque factae iacturae toleratae acerbitates exacuerunt, eorum quoque oculos saepenumero quadam caligine obtendere videtur, qui decernendarum rerum rationem in se recipiunt: eosdemque paene iubet aures habere clausas admonenti humanitatis aequitatisque voci, quae immani illo clamore opprimitur ac restinguitur: « vae victis ». Quamobrem si in hisce rerum adiunctis consilia ineantur, exortaeque quaestiones diiudicentur, id contingere potest ut non nisi iniustitiae facinora habeantur fucata iustitiae specie.

Vires quae renovent

Non ex externis igitur rebus, Venerabiles Fratres, non ex gladio, qui pacis condiciones imponere, non pacem gignere potest, salus civitatibus oritur. Vires virtutesque, quae faciem terrae renovent, ex animorum praecordiis proficiscuntur. Novus rerum ordo, qui nationum vitam moderetur, mutuasque earumdem necessitudines temperet, dirigat — cum aliquando immania certamina saevaeque atrocitates conquieverint — non iam fluxis illis, quasi infidis mobilibusque arenis, suffulciatur normis, quas nimium invexerit ex arbitrio privatae publicaeque utilitatis studium, sed inconcusso potius firmissimoque naturalis iuris divinaeque revelationis fundamento subnixus consistat. Indidem enim legislator illius aequilibritatis rationes illamque suscepti officii conscientiam ac prudentiam hauriat, quibus praetermissis, facile profecto est statutos terminos non agnosci, qui legitimum ab iniusto potestatis usum discernant. Hoc tantum agendi modo latae ab eo sententiae intima firmitudine, nobili dignitate religionisque sanctione fruentur; non vero immoderatae sui cuiusque commodi affectationi animorumque cupidinibus inservient. Etenim si mala, quibus hodie hominum genus laborat,

ex inordinatae etiam scatent rei oeconomicae perturbatione, itemque ex concito illo certamine, quo ad magis aequam contenditur bonorum assignationem, quae quidem mortalibus Deus dilargitus est ut se sustentent seseque ad civilem progressionem provehant; at certissime omnino patet eorumdem malorum radicem altiorem esse, quippe quae ad religionis fidem et ad initas in ordine morum opiniones susceptasque normas pertineat, quae profecto ea de causa corruptae ac pessumdatae sint, quod populi ab honestatis principiis et ab christianae fidei christianaeque doctrinae unitate, pedetemptim digrediantur, quam olim indefatigabilis ac benefica Ecclesiae opera provexerat. Quamobrem nova hominum institutio ac reformatio, ut suos queat edere fructus, religionis praesertim spiritu imbuatur oportet; a divino igitur Redemptore, veluti ab necessario capite, oriatur, integra iustitia actuose temperetur, caritate denique consummetur ac perficiatur.

Maternum Ecclesiae munus

Hanc vero efficere animorum renovationem, cuius rationes cum mutatis temporum condicionibus mutatisque hominum necessitatibus exaequari debent, potissimum materni Ecclesiae muneris officium est. Enimvero, quam eidem divinus Conditor commisit, Evangelii praedicatio, qua veritatis, iustitiae caritatisque praecepta hominibus traduntur, itemque studium eo contendens ut eadem praecepta firmas in animis et altas radices agant, haec quidem tam apta ad assequendam pacem, tam nobilis ac frugifera opera est, ut nihil aptius ac nobilius, nihil fructuosius haberi possit. Quod quidem munus, pro sua gravitate amplitudineque, eorum pectora frangere videatur, qui militantis Ecclesiae ordinibus adsciscuntur; sed tamen id eniti ut Dei regnum pro facultate provehatur — quod per saeculorum decursum variis est ac multiplicibus modis, nec sine ingentibus laborum asperitatibus, ad effectum deductum —

officium est, quo omnes adstringuntur, quotquot, divina aspirante gratia e Satanae servitute liberati, per sacrum baptismatis lavacrum ad Dei regnum vocati sunt. Quodsi huius regni participem fieri ad eiusque praecepta vitam conformare suam, idque conari ut, eius finibus magis in dies magisque productis, novi usque cives queant spiritualibus eius bonis potiri, si haec omnia nostris hisce diebus postulant ut quaevis impedimenta difficultatesque superanda sint, ex composito congesta atque ita gravia, ut nunquam forsitan alias; nihilo secius christifideles non idcirco sincera atque animosa catholicae fidei professione eximuntur, sed potius eiusmodi causam, suae quoque vitae suarumque rerum iacturâ, etiam atque etiam urgere debent. Quisquis ex Iesu Christi spiritu vivit, non iis, quae obveniant, difficultatibus frangitur, sed Deo omnino confisus, quoslibet volenti animo labores tolerat; non angustias, non necessitates, quas tempora ingerant, refugit, sed eas potius oppetit, paratus semper caritate illa suppetias ire, quae, morte fortior, nec incommoda renuit nec aerumnarum fluctibus submergitur.

Ac Nos, Venerabiles Fratres, intimo solacio caelestique gaudio perfundimur, ac cotidie summas Deo optimo persolvimus grates, dum in omnibus catholici terrarum orbis regionibus praeclara ac luculentissima exempla cernere fas est incensi illius christiani studii, quod ea omnia, quae nostra haec aetas deposcit, animose aggreditur, quodque nobili nisu et propriam cuiusque adipiscendam sanctimoniam curat — quod primum ac praecipuum est — et, ad augenda divini regni incrementa, apostolatus incepta atque opera provehit. Siquidem ex invectis passim Eucharisticis Conventibus, quos Decessores Nostri impensissima cura refovere non destiterunt, atque ex adiutrice laicorum hominum opera, qui in Catholicae Actionis ordinibus ad sui officii suique muneris conscientiam actuose informantur, tam uberes gratiae virtutisque fontes profluunt, ut, dum saeculum maiora videtur detrimenta minitari, maio-

resque afferre necessitates, dumque christianum nomen cotidie acrius ab impietatis viribus impugnatur, tantum momenti opportunitatisque habent, ut magis quam pro merito aestimari non possint.

Laicorum labores apostolici

Quandoquidem, proh dolor, sacerdotes hodie numero pauciores sunt quam eorum munera expetunt, et in nostram quoque aetatem haec divini Servatoris sententia convenit « messis quidem multa, operarii autem pauci » [39], consociata illa laicorum hominum navitas, ecclesiasticae hierarchiae praestita, quae sit cotidie increbrescens ac nobili ardentique se devovendi studio animata, auxiliares opes sacrorum administris praebet pretiosissimas, atque eiusmodi profectus spondet, qui optime sperare iubeant. Preces ab Ecclesia admotae ad Dominum messis, ut mittat operarios in vineam suam [40], ea ratione admissae videntur, qua peculiares temporum necessitates postulant; ita scilicet ut sacerdotum opera, impar saepenumero ac praepedita, feliciter substituatur atque compleatur. Alacres hominum vel mulierum, iuvenum vel puellarum phalanges, dicto audientes Summo Pontifici, Episcoporumque cuiusque suorum normis obtemperantes, toto pectore incensoque ardore apostolatus operibus se devovent, ut populi multitudines, quae a Iesu Christo misere aberraverint, ad eum tandem aliquando remigrent. Habeant igitur illi, hac hora, Ecclesiae humanaeque consortioni gravissima, paternam salutationem Nostram; gratiam habeant, quam iisdem effuso animo referimus, ac probe noscant eos Nos paterno fidentique animo prosequi. Cum Iesu Christi Regis signa volentes libentesque sequantur, eidemque se, operam vitamque suam addixerint, haec sacri Psaltis verba iure

---

39 Matth., IX, 37; Luc., X, 2.
40 Cf. Matth., IX, 38; Luc., X, 2.

usurpare possunt: « Dico ergo opera mea Regi » [41]; ac non modo precando sed operando etiam id efficere annituntur ut Dei regnum adveniat. In omnibus civium classibus atque ordinibus eorum adiutrix navitas, sacrorum administris data, vires exserit pretiosissimas, quibus id muneris committitur, quod nobilissimus nemo ac fidelissimus nec pulcrius, nec maioris solacii optare possit. Apostolicus hic labor, ex Ecclesiae afflatu ac normis exantlatus, ea ratione laicos homines quasi Christi administros consecrat, qua S. Augustinus luculenter explicat: « Cum ... auditis, fratres, Dominum dicentem: *Ubi ego sum, ibi et minister meus erit,* nolite tantummodo bonos Episcopos et clericos cogitare. Etiam vos pro modo vestro ministrare Christo, bene vivendo, eleemosynas faciendo, nomen doctrinamque eius, quibus potueritis praedicando, ut unusquisque etiam pater familias hoc nomine agnoscat paternum affectum suae familiae se debere. Pro Christo et pro vita aeterna suos omnes admoneat, doceat, hortetur, corripiat, impendat benevolentiam exerceat disciplinam; ita in domo sua ecclesiasticum et quodammodo episcopale implebit officium, ministrans Christo, ut in aeternum sit cum ipso » [42].

In societate domestica

Atque heic animadvertendum est domesticam societatem, hac in laicorum adiutrice opera promovenda, quae in praesens, ut diximus, tantum momenti habet, peculiares obtinere partes, cum familiae regimen ac temperatio ad informandos filiorum animos multum possit ac valeat. Usquedum in domesticis focis sacra fulgebit christianae fidei flamma, ac patres matresque familias subolis animos hac fide imbuent, procul dubio nostra iuventus regiam Iesu Christi potestatem prompte actuoseque agnoscet, iis-

---

[41] Ps. XLIV, 1.
[42] *In Ev. Ioa.*, **tract. 51, n. 13.**

que omnibus, qui Redemptorem ex hominum communitate quasi extorrem exigere conentur, in eiusque sanctissima iura sacrilego facinore invadant, pro virili parte strenuoque pectore adversabuntur. Ubi sacrae aedes operiuntur, ubi Iesu Christi cruci affixi imago e scholis, e litterarum ludis eicitur, ibi domesticus convictus unicum restat quodammodo impervium christianae vitae perfugium, quasi a providentissimi Dei benignitate datum. Immortales igitur Deo grates agimus, quod innumeras cernimus familias hoc munus exsequi studiosa illa fidelitate, quae neque rerum iacturis, neque oppugnationibus frangatur. Potens iuvenum puellarumque instructa acies, in iis etiam regionibus, in quibus Iesu Christi fides cum iniqua insectatione omneque genus malorum tolerantia arctissime coniungitur, ad divini Redemptoris solium ita impavida ac secura consistit, ut praeclara martyrum exempla in memoriam reducat. Quodsi Ecclesiae ubique gentium, iustitiae caritatisque magistrae, libera illa tribuatur agendi facultas, cuius ius ex divino mandato eidem est indubium ac sacrosanctum, tum uberes profecto bonorum fontes usque quaque profluant, tum lux mentibus ac pacatus rerum ordo civitatibus oriantur, tum denique necessariis pretiosisque viribus vera humani generis incrementa promoveantur. Ac si suscepta illa consilia, quae eo contendant ut in civilis societatis ordinibus interque nationes pax tandem constabiliatur, iis evangelicis temperentur normis — quibus adversus immodica suae cuiusque utilitatis studia, quae singulos multitudinesque exagitant, christianus amor effertur ac praedicatur — tot procul dubio tantique devitentur luctus ac felix tranquillitas mortalibus concedatur.

Pacificatoria Opera

Enimvero leges, quibus christianorum vita regitur, ac genuinae germanaeque humanitatis praecepta non sibi invicem obstant, sed communi mutuoque praesidio inter se

adiuvant. Nos igitur, qui humano generi laboranti ac spiritualium terrenarumque rerum detrimentis perturbato prospicere ac consulere tantopere cupimus, nihil magis optamus quam ut praesentes angustiae ex oculis multorum caliginem discutiant, qui Christum Dominum Ecclesiaeque munus intentis animis considerent in suaque luce ponant; utque ii omnes, qui publicae rei gubernacula moderantur, liberum iter Ecclesiae praebeant, quae idcirco queat ex iustitiae pacisque rationibus novam effingere aetatem atque componere. Pacificatoria eiusmodi opera id profecto postulat, ut Ecclesia ab exercendo munere, sibi a Deo concredito, repagulis ne impediatur, neve eiusdem Ecclesiae navitatis campus iniustis definiatur terminis, neve denique populi multitudines, ac iuventus praesertim, a benefico eius afflatu abstrahantur. Quamobrem Nos, ut eius in terris vices gerimus, qui a sacro vate « Princeps pacis » [43] appellatur, civitatum rectores eosque omnes, e quorum opera quovis modo publica res pendet, compellamus vehementerque obtestamur ut Ecclesia plena semper libertate fruatur debita, qua suam possit educationis operam exsequi, ac veritatem impertire mentibus, animis inculcare iustitiam, eosque divina Iesu Christi refovere caritate.

Etenim, ut Ecclesia nequit exercendo munere suo se abdicare, cuius est divinum illud consilium pro sua parte exsequi, videlicet « instaurare omnia in Christo, quae in caelis et quae in terra sunt » [44], ita eius opera magis in praesens necessaria videtur quam unquam alias; quandoquidem experiendo edocemur externas solummodo rationes, humana praesidia atque ea omnia, quae politica periclitatur disciplina, gravissimis malis quibus homines afficiantur, efficacia non posse lenimenta praebere.

Haud pauci igitur, cum fractos noverint dolore summo hominum nisus, eo spectantes ut tempestates compescant

[43] Is., IX, 6.
[44] *Eph.*, I, 10.

atque coërceant, quae civilem cultum humanitatemque subvertere contendant, oculos experrecta spe ad Ecclesiam, veritatis caritatisque arcem, et ad hanc Beati Petri Cathedram erigunt unde intellegunt eam restitui posse religionis moralisque disciplinae unitatem, quae superiore aetate mutuas populorum necessitudines tutas ac pacatas consistere iusserit. Ad quam quidem unitatem tot homines, a quibus nationum fortuna pendet, incenso respiciunt desiderio, cum continenter earum rerum fallaciam experiantur, quibus tantopere olim confisi erant; unitatem dicimus, quam impensis votis studiisque innumera Nostrorum filiorum agmina expetunt, qui « Deum pacis et dilectionis »[45] cotidie comprecantur; unitatem denique, quam non pauci nobiles animi, a Nobis seiuncti, praestolantur, qui quidem cum esuriant ac sitiant iustitiam et pacem, ad Petrianam Sedem oculos convertunt, ab eaque consilium, lucem opperiuntur.

Ii siquidem Catholicae Ecclesiae inconcussam agnoscunt profitendae fidei vitaeque christianis praeceptis componendae firmitudinem per viginti paene saecula comprobatam; itemque arctissimam agnoscunt unitatem ecclesiasticae hierarchiae quae, Apostolorum Principis successori obstricta, evangelicae doctrinae veritate mentes actuose collustrat, homines ad morum sanctitudinem dirigit, atque dum omnibus materno animo indulget, stat tamen impavida vel acerrimos cruciatus ipsumque martyrium oppetens, cum hisce verbis omnino rem decernere oportet: Non licet!

Hostiles erga Ecclesiam suspiciones

Nihilo secius, Venerabiles Fratres, Iesu Christi doctrina, quae una potest hominibus fidei principia praebere, quaeque et mentis aciem exacuit, et animos divinitus auget, et opportuna ingravescentibus difficultatibus remedia

---

[45] Cf. II *Cor.*, XIII, 11.

proponit, parique modo Ecclesiae navitas, quae eamdem doctrinam, usque quaque propagatam, homines edocet, eosque ad evangelica instituta conformat, haec quidem interdum hostilibus suspicionibus obtrectantur, quasi civilis auctoritatis cardines concutiant, in eiusque iura involent.

Quas adversus suspiciones Nos — salvis iis omnibus atque integris, quae Decessor Noster im. m. Pius XI, per Encyclicas Litteras *Quas primas* die XI mensis Decembris a. MDCCCCXXV datas, edocuit de Iesu Christi Regis eiusque Ecclesiae potestate — apostolica sinceritate declaramus Ecclesiam esse prorsus ab eiusmodi propositis alienam, cum eadem ad homines omnes materna brachia pandat, non ut in eos dominetur, sed ut iisdem qua potest ope inserviat. Neque in peculiarem ac proprium ceterarum legitimarum auctoritatum locum se sufficere conatur, sed potius easdem adiuvat, divini Conditoris sui spiritu pervasa, eiusque vestigiis insistens, qui « pertransiit bene faciendo » [46].

Ecclesia enim edicit ac praedicat obedientiam observantiamque terrenis potestatibus deberi, quae suam a Deo nobilem originem obtinent; ac Christi Domini praecepto obsequitur dicentis: « Reddite quae sunt Caesaris, Caesari » [47]. Quae in sacra Liturgia concinit « non eripit mortalia, qui regna dat caelestia » [48] non ea ad se rapere aliena iura contendit. Neque eadem humanas vires deprimit, sed ad magnanima et ad nobilissima quaeque erigit, strenuos effingendo animos, qui suae conscientiae officium non prodant. Quae tot populos ac gentes ad humaniorem cultum provexit, ea nunquam pro certo homines ab civili progressione remorata est, cuius splendore potius materna gaudet voluntate. Propositum, quo Ecclesia nititur, ab Angelis, super Incarnati Verbi cunabula volitantibus,

---

[46] *Act.*, X, 38.
[47] MATTH., XXII, 21.
[48] Hymn. Fest. Epiph.

mirando prorsus modo declaratum est, cum haec cecinere: « Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis » [49]. Hanc pacem, quam mundus dare non potest, divinus ipse Redemptor quasi sacram hereditatem hisce verbis discipulis tradidit: « Pacem relinqua vobis, pacem meam do vobis » [50]; atque adeo eam innumeri homines volenti animo Iesu Christi praecepta amplectentes, quae Dei proximorumque caritate quasi compendiaria lege continentur, quemadmodum consecuti sunt, ita in praesens consequuntur et in posterum consequentur. Ac per viginti paene saecula rerum gestarum historia, quam summus orator significanter fatetur « magistram vitae » [51] illam Sacrarum Litterarum veritatem praeclare demonstrat, eum nempe, qui Deo resistit, non habere pacem [52]; solummodo enim Christus « lapis angularis » [53], est, in quo uno cum civilis societas, tum singuli homines possunt salvi consistere.

Iam vero, cum super hoc angulari lapide condita sit Ecclesia, numquam procul dubio ab adversis potestatibus obrui poterit, numquam deprimi: « Portae inferi non praevalebunt » [54], immo potius domestica externaque certamina ut eius vim virtutemque augent, ita ei novas victorias pariunt, novasque tribuunt coronas. Contra vero, aedificia quaelibet alia, quae in Iesu Christi doctrina veluti fundamento non innitantur, quasi in mobili arena exstructa videntur, atque adeo aliquando misere collabentur [55].

Praesentes angustiae

Dum has primas, Venerabiles Fratres, vobis damus Encyclicas Litteras, non una de causa videtur Nobis in ho-

---

49 Cf. Luc., II, 14.
50 Io., XIV, 27.
51 Cic., *Orat.*, L. II. 9.
52 Cf. Iob., IX, 4.
53 Cf. *Eph.*, II, 20.
54 Matth., XVI, 18.
55 Cf. Matth., VII, 26-27.

mines ingruere hora tenebrarum [56], qua violentiae discordiaeque turbines veluti ex cruento calice innumeros luctus innumerosque dolores profundunt. Num igitur opus est ut vobis asseveremus paternum animum Nostrum, vehementi miseratione permotum, filiis omnibus adesse, iisque praesertim qui aerumnis insectationeque laborant? Quamvis enim populi, belli vortice submersi, adhuc « initia dolorum » [57] forsitan solummodo perpetiantur, innumeras tamen familias mors, vastitas, plangor, miseria occupant. Atque tot hominum cruor, eorum etiam, qui, exercitus ordinibus non adsciti, misere occubuere, lugubrem videtur gemitum ex dilecta praesertim ea natione extollere, ex Polonia dicimus, quae ob tenacem suam erga Ecclesiam fidelitatem, itemque ob praeclara in christianum tutandum civilemque cultum promerita, historiae fastis inscripta immortalitatique commendata, humanam fraternamque iure meritoque postulat ab omnibus commiserationem; ac Deiparae Virgini fidens « Christianorum auxilio », optatum praestolatur diem, quo, ex iustitiae solidaeque pacis rationibus, sibi tandem aliquando liceat quasi e fluctibus sospiti emergere.

Quod proxime factum est, quod hisce etiam fit diebus, Nostris tunc oculis quasi praemonstrata specie offerebatur cum, nondum conciliationis spe omnino praecisa, nihil sane inexpertum, nihil inexploratum omisimus ut eâ ratione, quam sive apostolicum munus sive permissa Nobis instrumenta suaderent, prohiberemus ne ad vim et arma descenderetur, neve aditus omnes praecluderentur cum utriusque partis honore contentionem dirimendi. Cum enim persuasum haberemus, si ab altero concertantium vis adhibita esset, ab altero etiam arma adhibitum iri, apostolici officii Nostri christianaeque caritatis partes esse duximus omnia conari si tam ab universa hominum consortione quam a christiana re atrocitates cohiberemus,

[56] Cf. Luc., XXII, 53.
[57] Matth., XXIV, 8.

quae omnium gentium bellum haud dubie essent consecutura; quamquam timendum Nobis erat ne patefacta a Nobis consilia ac proposita in haud rectam acciperentur partem. At quae monebamus, si obsequenter audita sunt, non iis tamen obtemperatum est. Ac dum Noster Pastoris animus, dolore ac sollicitudine affectus, rem graviter considerat, Nostros quasi ante oculos Boni Pastoris obversatur imago; a quo mutuatis verbis, ad universum hominum genus videtur Nobis merito gemitus ille iterandus: « *si cognovisses... quae ad pacem tibi! nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis!* » [58].

In hac hominum societate, quae in praesens tantopere cum pace Christi in regno Christi discrepat, Ecclesia mater cum suis fidelibus eiusmodi exercetur molestiis, sacri quas eius annales, luctationibus utique rebus adversis referti, minus saepe referunt. Sed qui in tam difficili rerum cursu sibi in fide constant, ac forti et magno animo sunt, Christum Regem iidem sentiunt propius numquam astare sibi quam discriminis tempore, cum fidelitas videlicet re ipsa est praestanda. Ob tot filiorum suorum aerumnae cruciatusque moerore confecta, sed constantia virtuteque erecta quam e divinis derivat pollicitationibus, Christi Sponsa, tantas perpessa miserias, in impendentes sibi procellas contendit. Ea siquidem non dubitat quin e veritate, quam docet, itemque e caritate quam simul praecipit, in rem simul deducit, sincerae voluntatis hominibus incitamenta atque adiumenta oritura aliquando sint ad novum in populis ordinem ex iustitia caritateque restituendum, postquam mortales, erroris tandem iter pertaesi, de tristibus invidiae violentiaeque fructibus degustaverint.

---

[58] Luc., XIX, 42.

CHRISTI REGNI CARDO PRAECIPUUS

Interea vero, Venerabiles Fratres, enitendum est ut omnes, at ii praesertim qui belli calamitatibus afflictantur, percipiant christianae caritatis officium, praecipuum quidem Christi Regni cardinem, tantum abesse ut inane sit verbum, ut praesens etiam res sit et veritas. Infinitae propemodum hoc tempore opportunitates multiplicibus christianae caritatis inceptis praebentur. Quam ob rem maximopere confidimus universos filios Nostros, eos praecipue qui belli eximuntur asperitatibus, divinum imitatos Samaritanum, iis omnibus pro viribus esse consulturos qui, quod bello opprimuntur, non modo miserationis affectum, sed opem etiam peculiari iure mereantur.

Catholica Ecclesia, *civitas Dei* « *cuius rex veritas, cuius lex caritas, cuius modus aeternitas* » [59] cum christianas veritates docens, qualibet fallacia extenuationeque immunes, tum materni animi impulsu in christianae caritatis operibus desudans, ipsos errorum et cupiditatum fluctus, veluti *beata pacis visio*, supereminet, ac dies opperitur, in quibus omnium potentissima Christi Regis manus tumescentes comprimat tempestates atque dissensionis spiritus eiciat, qui eas concitaverint. Quantum in Nobis potestatis est ad diem illum maturandum cum pacis columba in hac terra, discidiorum obruta diluvio, ubi considat reperiet, totum illud Nos praetermissuri non sumus, cum eorum civitatum moderatorum opera freti, qui, antequam belli conflagratio erumperet, immanem eiusmodi procellam nobili nisu repellere conati sunt, tum iis confisi, innumeris prorsus, qui, ex quavis natione et ex quovis civium ordine, non modo iustitiam, sed caritatem etiam ac misericordiam inclamant, tum denique potissimum omnipotenti Dei Numine fidentes, ad quem precatione hac co-

[59] S. Aug., *Ep. CXXXVIII ad Marcellinum*, c. 3, n. 17.

tidiana utimur: « In umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas » [60].

Infinita Dei potestas

Infinita sane Deus potestate fruitur; quapropter non minus is prosperitatem fortunamque populorum quam singulorum hominum consilia moderatur, in quam maluerit partem leniter haec convertens; eo scilicet usque ut ea ipsa quae inferantur impedimenta, haec pro sua potestate in instrumenta mutet, quibus rerum eventus fingat atque hominum mentes voluntatemque liberam ad suam inflectat proposita.

Ad Deum igitur, Venerabiles Fratres, admovete preces, admovete continuas, tunc maxime admovete, ubi divina amoris Hostia litatis. Deo vos supplicate, quibus animose professa fides gravia, molesta, plus quam humana haud raro incommoda parit; ad Christum Iesum vos ipsi precamini, aerumnis doloribusque confecta Ecclesiae membra, cum vos ille de laboribus vestris consolaturus ac recreaturus accedit.

Ac recta adhibita sui ipsius suarumque cupiditatum refrenatione, dignisque paenitentiae operibus susceptis, ne praetermittatis supplicationes vestras ei magis acceptas reddere, qui « allevat omnes, qui corruunt, et erigit omnes elisos », [61] ut miserentissimus Redemptor harum angustiarum finem maturet; atque ita haec sacri Psaltis verba precibus quoque vestris respondeant: « Clamaverunt ad Dominum cum tribularentur, et de necessitatibus eorum liberavit eos » [62].

Ac vos item, candida puellorum agmina, quos Christus Dominus in deliciis habet, castas preces cum Ecclesiae precibus coniunctas, ubi potissimum Angelorum vescimi-

---

60 Ps. LVI, 2.
61 Ps. CXLIV, 14.
62 Ps. CVI, 13.

ni Pane, ex ingenuo pectore fundite. Ac profecto Sacratissimum Cor Iesu, quod tanta vos caritate complectitur, innocentium animorum obsecrationes neutiquam respuet. Precatione utimini omnes, continenterque utimini: *sine intermissione orate* »[63].

Ita enim illud in rem deducetis, quod Divinus Magister praecipit sacroque Cordis sui testamento cavet: *ut omnes unum sint*:[64] ut omnes videlicet in eiusdem fidei caritatisque consensu atque unitate vivant, unde perspiciant homines quid valeant quidve efficienter gignere possint cum peracta a Christo redemptio, tum constitutae ab eo Ecclesiae opus et labor.

Priscorum Ecclesiae temporum fideles divinum hoc praeceptum, quod et intelligentia tenebant et ad effectum operibus deducebant, significanti quadam precatione complexi sunt; cum iis igitur coniuncti eadem vos orando exprimite sensa, quae tam sunt nostrae huius aetatis necessitatibus accommodata: « Recordare, Domine, Ecclesiae tuae, ut eam liberes ab omni malo, eamque perficias in caritate tua; et collige eam a quattuor ventis sanctificatam in regnum tuum, quod ei parasti; quoniam tua est virtus et gloria in saecula »[65].

Postremo id vehementer cupientes ut Deus, *auctor pacis et amator*, Ecclesiae suae obtestationes benignus admittat, supernorum conciliatricem munerum atque propensae voluntatis Nostrae testem, Apostolicam vobis omnibus Benedictionem paterno animo impertimus.

Datum ex Arce Gandulphi, prope Romam, die xx mensis Octobris, anno MDCCCCXXXIX, Pontificatus Nostri primo.

PIUS PP. XII

---

[63] *I Thess.*, V, 17.
[64] IOAN., XVII, 21.
[65] Doctrina Apost., c. 10.

Annotationes

Encyclicae Litterae *Summi Pontificatus* a Pio XII die 20 octobris anni proxime elapsi datae magno plausu fuerunt ubique exceptae. Haec universalis consensio in praedicto documento pontificio laudando aperte ostendit illud apprime respondisse exspectationi eorum, qui mediis in calamitatibus hodiernorum temporum ardenti flagrant desiderio audiendi vocem veritatis et iustitiae. Sane in his primis Litteris Encyclicis Pontificis f. r. et acute detegunt altae radices malorum quibus nunc affligitur societas humana, et sapienter indicantur remedia pro feliciore ordine internationali instaurando, cum tandem, cessato strepitu armorum, verae et stabilis pacis constituendae exoptatus illucescat dies. Opportunum duxi sapientissimas normas, quae sive de hac re sive de interna cujusque Status constitutione ample exponuntur in hoc documento, breviter hic colligere et paucis illustrare; primum vero principia quaedam fundamentalia summatim exponam.

Principia fundamentalia. Exsistentia universalis normae de morum probitate habetur in doctrina catholica veluti principium fundamentale totius ordinis moralis et iuridici. Haec norma, utpote universalis, debet complecti non modo actiones omnes singulorum hominum sed etiam necessitudines illas, quae sive inter personas iuridicas unius eiusdemque Status sive inter diversos populos intercedere solent. Ac quemadmodum haec universalis de morum probitate norma independens est, ut patet, a libero fluxoque hominum arbitrio, ita quiescit ultimatim tota super fundamento inconcusso omnipotentis Dei, Creatoris ac Patris omnium, qui simul est sapientissimus legislator, ac erit opportuno tempore humanarum actionum vindex. Negata exsistentia supremi Entis, a quo dependeant sive singuli homines sive etiam ipsae societates perfectae, cui de-

mum competat humanas actiones vel benigne remunerari vel iuste punire, quodlibet honestatis principium tota sua vi prorsus exuitur. Quo fit ut corruat pariter stabile tranquillitatis fundamentum, quo innititur ordo sive privatus sive publicus tam intra societates particulares quam in universo genere humano. Qui ordo si deest, felicitas civitatum et consequenter singulorum hominum pereat necesse est. Ex dictis liquet potestatem ipsam supremam, qua reguntur Status, omnino pendere a Deo, et consequenter obnoxiam esse altioribus illis normis, quae ab eo ut primo fonte originem ducunt. Deus qui dat potestatem civitatum moderatoribus statuit pari tempore sapientes normas pro recto usu eiusdem. Si civilis potestas vindicetur libera a supremis normis quae proveniunt a Deo, subvertetur ordo internus Statuum singulorum et impossibilis reddetur pacifica vita internationalis.

Rectus ordo intra singulos Status. Civitatis imperium ideo fuit a Deo constitutum ut singulis hominibus auxilium praestet, tum ad perficiendas vires et facultates naturales quibus ipsi gaudent, tum etiam ad conformandos mores verae honestatis normis; exinde sponte sequetur ut adiuventur quoque cives in assequendo supernaturali fine, ad quem ultimatim destinantur. Finis Status est, ut solet dici, commune civium bonum; in quo autem reapse consistat hoc commune bonum definiendum erit non ex arbitrio moderatorum civitatum, neque primario ex terrena civilis societatis prosperitate, sed ex naturali hominis perfectione congruenter provehenda. Ad hunc enim finem, concludit sapienter Pius XII, civitas ipsa destinatur a Deo tanquam praesidium atque instrumentum; Status non est finis in se ipso; non competit proinde ei ex natura rerum potestas suprema nullo vinculo morali ligata; immo neque aliquis ordo civium, neque ipse populus valet eiusmodi potestatem absolutam communicare Statui. Ante civitatem adsunt singuli homines, adsunt domestici convictus, qui praecedunt eam non solum tempore, sed etiam iuri-

dice, quatenus possident iam determinata iura inalienabilia a Deo accepta in ordine ad assequendum munus naturale eisdem praestitutum.

Ex hoc fundamentali conceptu Status, quem christiana philosophia prae se fert, quasi sponte sua fluunt iura et officia eiusdem, tum respectu singulorum civium, tum etiam respectu familiarum. Privata incepta non sunt absorbenda neque supplantanda, sed promovenda potius et adiuvanda. Nimia seu non legitimata intromissio Status in campum activitatis singulorum non parum potest nocere prospero successui inceptorum privatorum, quorum ruina non exiguum afferet damnum ipsi bono publico societatis. Quodsi interdum gravior rerum condicio exspostulet ut maiora solito attribuantur iura Statui, eorundem maior vel minor extensio dimetienda erit ex vero bono communi, prout illud superius descriptum est. Si vero bonorum materialium, immo et ipsius vitae sacrificium poterit aliquando secundum gravitatem rerum expetere a civibus publica potestas, iura tamen animae immortalis sancte debebit semper revereri. Itaque munus a Deo parentibus concreditum consulendi bono spirituali filiorum non potest unquam ab Statu absorberi sine gravi laesione iuris inalienabilis. Neque educatio iuvenum unice vel praecipue eo spectare debet ut aptissimi evadant illi ad praestandam operam rei politicae eventibus, qui dominationem populi vel nationis solum respiciant; animi fortitudo non est ita laudibus extollenda ut aliae virtutes, quae itidem sunt pretiosa animi ornamenta, vel nihili fiant vel saltem grave detrimentum patiantur. Adaequata iuvenum educatio postulabit quidem ut iidem apte praeparentur ad solvenda alacri animo officia patrii amoris; sed iuvenilis institutio, quae negligat animos in caelestem patriam dirigere, iniustissima erit tum erga ipsos adolescentes tum etiam erga parentes.

Erit pariter crimen Maiestatis adversus Regem regum et Dominum dominantium nullo spiritu christiano iuve-

num informare animos, qui a Deo creati et sacro fonte expiati quasi sacrum thesaurum constituunt, cui Deus sollicito amore invigilat constanter. Quid vero dicendum, si abalienatio a Christo et ab Ecclesia consulto intendatur, et quasi signum praedicetur fidelitatis in patriam vel in aliquem civium ordinum? Nihil profecto scelestius! Hic autem agendi modus non poterit lapsu temporis non esse nocivus ipsi Statui, tum quia educatio antichristiana amaros iam sponte sua feret fructus, tum potissimum quia iustam iram excitabit eius, e cuius manibus pendet civitatum, gentium nationumque fortuna. Contra vero publica potestas, quae parentum ius et officium curandi christianam educationem filiorum plene revereatur, plurimum conferet ad internam civitatis tranquillitatem, quae vicissim tutum constituit fundamentum verae prosperitatis.

Firmior atque solidior defensio iurium sive singulorum hominum sive potissimum domestici convictus dari non potest. Ea nempe innititur inconcusso fundamento legis naturalis, quae cuique scripta inest in latebris conscientiae. Maxima firmitate adscribitur familiae munus quoddam naturale prorsus inalienabile; ex quo sponte sequitur eiusdem perfectionem et felicitatem non esse unice dimetiendam ex iis, quae respiciunt nationis dominationem atque imperium. Ne autem haec familiarum iura quasi incerta maneant in fere continua mutatione rerum, statim traditur secura regula, qua decerni possit clare in quibuslibet adiunctis quid liceat quidve non liceat Statui quoad onera imponenda vel quoad iura detrahenda familiis. Nec potest quis non commoveri acerbo dolore quo afficitur S. Pontifex, cum describit ingentem cumulum et onerum et aegritudinum, quibus hodie fere obruitur domestica societas. Eo vel magis quod hoc modo possunt facile adduci homines veluti in desperatam condicionem; quo tristi rerum statu abuti non negligent perturbatores, qui non nisi eversionem totalem ordinis gestiunt. Quisquis

igitur christiano spiritu imbuatur vere omni ope eniti debebit ut quaedam tranquilla prosperitas, etiam in ordine materiali, honestis et actuosis familiis procuretur. Si autem id semper possibile non sit, illud saltem praestet publica potestas quod semper penes eam est, sublevare scilicet summum dolorem parentum christianorum, qui religiosam filiorum educationem gravibus periculis obnoxiam vident. Haec dum leguntur, sponte subit animum memoria aurei illius documenti, quod de christiana iuventutis educatione donavit nobis Pius XI p. m.,[1]; ibi integrum argumentum fuse exponitur; hic vero explicite enuntiantur conclusiones atque applicationes quaedam novis necessitatibus aptissime respondentes. Hanc opportunam instructionem supremi Pastoris suscipiant animo reverenti et grato familiae christianae; quae praeterea attente considerare debebunt gravia illa verba, quibus S. Pontifex partem describit, quae eis incumbit, nostris praesertim temporibus, in christiana filiorum educatione. Ubi ferveat diligentia parentum in recta educatione sobolis, domestica societas remanebit, etiam in difficillimis adiunctis, securum atque inexpugnabile christianae vitae refugium. Reliqua omnia media poterunt vel impediri vel destrui violentia; hoc unum sanctuarium familiae christianae invadere non licebit, si parentes suo officio strenue fungantur.

Quod vero spectat ad Ecclesiam, quae est societas universalis a Christo Domino condita, debet potestas civilis plenam libertatem ei concedere ut pro bono generis humani totam suam activitatem plene exserere possit. Quae plena libertas postulat ut campus activitatis Ecclesiae arbitrarie non restringatur, vel eius actio salutaris obstaculis non praepediatur. Debita libertate si gaudeat Ecclesia, educatricem suam operam poterit tam inter multitudines quam praesertim inter iuvenes fructuose persequi.

---

[1] *A. A. S.* v. XXII, p. 49.

Atque fieri non poterit quin exinde ipse quoque Status uberrimos colligat fructus, cum verae humanitatis praecepta et legis evangelicae postulata non sibi invicem obstent, sed potius efficax adiutorium mutuo sibi praestare possint. Ecclesia enim, ut ait Leo XIII [2]; quamquam per se et natura sua salutem spectat animorum adipiscendamque in caelis felicitatem, tamen in ipso etiam rerum mortalium genere tot ac tantas ultro parit utilitates, ut plures maioresve non posset, si in primis et maxime esset ad tuendam huius vitae, quae in terris agitur, prosperitatem institutum. Illa enim obedientiam inculcat erga terrenas potestates, illa per viam civilis progressionis impellit gentes easque ad nobilissima quaeque continuo dirigit simulque docet eas nullis in adiunctis licere conscientiae officia violare. Populi, in quibus floruit olim christiana religio, misera nunc laborant indigentia spirituali, quia derelinquentes doctrinam illam, qua illustrantur mentes veritate et informantur animi iustitiae et caritatis sensis, ad alia confugerunt placita, quae christianae religionis salutarem influxum nullo modo supplere possunt. Quod splendidius elucet adhuc in vita internationali, cum Ecclesia sola sit capax instaurandi illam unitatem religionis et moralis disciplinae, quae superiore aetate mutuas inter diversos populos necessitudines tutiores pacatioresque reddebat.

Non quod illo tempore defuerint dissidia et bella inter populos christianam religionem profitentes, cum humanae cupiditates semper et ubique corruptricem suam operam exserant, sed tunc aderat saltem consensio in agnoscendis normis, quibus mores populorum regi deberent; hinc spes mutuae concordiae instaurandae, cum impetus passionum defervesceret; nunc vero antiquae normae honestatis temere subvertuntur et nisus hominum ad statuendas alias

---

[2] *A. S. S.* v. XVIII, p. 161.

normas, loco legis christianae iam repudiatae, prorsus inutiles evadunt. Dolendum est igitur quam maxime quod non raro Ecclesiae doctrina ciusque actio salutaris hostilibus suspiciones circumdetur, quasi vellet Ecclesia in alienum campum sese intrudere ad iura auctoritatis civilis temere usurpanda. Ecclesia brachia pandit non iam ad opprimendos, sed potius ad recreandos et adiuvandos eos, qui ad eam confugiunt.

Quae hucusque exposita sunt non semel revocant in memoriam quae sapienter docuerat Leo XIII de civitatum constitutione christiana in Litteris Encyclicis « Immortale Dei » [3]. Profecto utrumque documentum pontificium non pauca similia continet; potest tamen dici omni iure unumquodque suis veluti notis propriis praestare et utrumque simul exhibere nobis de recta ordinatione populorum systema quoddam completum, solidis principiis sapientiae christianae innixum. In priore documento disseritur diligenter circa originem et societatis et auctoritatis civilis, ac utriusque arcta dependentia a Deo firmiter statuitur; sequitur deinde Ecclesiae, qua societatis perfectae, ampla descriptio ut possit demum absque ulla dubitatione decerni quid cuique societati competat in regimine populi christiani. Absolvitur haec pars pulchra descriptione civitatis secundum philosophiae christianae principia ordinatae, et enumeratione postulatorum novi iuris, quae a lege non solum christiana sed etiam naturali saepe discrepant.

In altero vero documento initium sumitur praecise a fructibus venenosis describendis, qui ex cumulo errorum sic dicti novi iuris iam maturuere, ut transitus fiat deinde ad proponenda remedia efficacia, quae tot tantaque mala sanare possint. Hinc est quod ea philosophiae christianae capita tractentur praecipue quae magis directam connexionem habent cum necessitatibus recentiorum temporum.

---

[3] *A. S. S.* v. XVIII, p. 161.

Momentum prioris documenti in eo stat quod accurate describatur quid competat sive Statui sive Ecclesiae in regimine populi christiani; meritum posterioris documenti illud videtur esse praecipuum, quod scilicet intrepide manifestetur fons calamitatum, sub quarum acerbitate luget genus humanum, et sapienter indicetur simul via veritatis, iustitiae et caritatis, quae solae possunt gignere pacem universalem vereque stabilem. Tristissima adiuncta, in quibus versantur nunc populi, compulerunt cor paternum S. Pontificis ad normas pacificae vitae internationalis mirabili perspicuitate describendas; haec pars, in qua iuris internationalis fundamenta exponuntur, characterem proprium et distinctivum tribuit primis Litteris Encyclicis Pii XII.

Rectus ordo inter diversos populos. Sicut pro recta gubernatione interna cujusque Status, ait S. Pontifex, necesse est ut potestas suprema agnoscat normas altiores, quibus sese accommodet in agendo, ita etiam pro tranquillo atque stabili commercio inter diversos populos generis humani legis naturalis dictamina admittenda sunt. Deus ita disposuit res ut quemadmodum intra Statum diversi exsistunt ordines sociales, ita etiam in genere humano diversi constituerentur Status. Qui sunt profecto plane independentes quoad regimen internum; sed subiacent pari tempore vinculis moralibus et iuridicis quoad alios populos.

Magna congregatio nationum commune habet assequendum bonum, quod secum fert necessario agnitionem peculiarum normarum immutabilium. Quae ut sint vere immutabiles, Deo tanquam fundamento ultimo innitantur necesse est; secus earum subsistentia ab arbitrio moderatorum civitatum penderet, qui prompti esse solent ad iura propria extollenda et aliena deneganda. Nec enim oblivioni tradendum est etiam eos, qui ceteroquin moderati esse solent pro iuribus personalibus vindicandis, facile omnem limitem transgredi, cum agitur de propugnandis iis, quae

ad prosperitatem vel gloriam propriae nationis conferre videntur. Sui ipsius inordinata dilectio vitium, propriae patriae immoderatus amor virtus reputatur.

Ut inter diversos populos stabilis pax instauretur, necesse est in primis ut singuli et vera gaudeant libertate interna et simul possint disponere de mediis necessariis, non solum ad vitam convenienti modo ducendam, sed etiam ad ulterius incedendum per viam civilis progressionis. Deinde principium quod statuit pacta sancte esse servanda ab omnibus est acceptandum firmiterque tenendum. Ad pacificam enim cooperationem populorum, quam commune bonum generis humani nostris temporibus reapse postulat, mutua fiducia est prorsus necessaria; haec autem solum adesse poterit, cum omnibus persuasum sit fidem datam incolumem servatum iri, et animos dispositos esse ad quascumque difficultates, lapsu temporis forte obventuras, pacifice et discutiendas et componendas. Neque enim dubitari potest quin gravis mutatio rerum, quae fortasse nec praevideri poterat cum pactio inita fuit, potestatem faciat parti, cui adimpletio rei promissae vel impossibilis vel iniusta vel etiam gravior iusto evaserit, ut tempestive proponat sinceram disceptationem ad opportunas immutationes inducendas. Quod vero funditus evertit mutuam illam inter diversos populos fiduciam, quam ut necessariam ad tranquillitatem familiae humanae omnes uno ore proclamant, principium illud est quod pacta conventa habet ut natura sua caduca, immo ut mutabilia ad nutum unius partis, ubi primum utilitas propria suadeat; utilitas vero vel generalis vel particularis alterius partis prorsus negligitur.

Fundamentum solidissimum, quo haec harmonica populorum ordinatio innitatur, iterum nobis exhibetur in doctrina evangelica, quae docet genus humanum integrum ab uno eodemque coniugio originem ducere et ad unum eundemque finem supernaturalem tendere. Hae duae veritates facile suscitabunt in nostris animis illa fraternitatis univer-

salis sensa quam maxime hodie necessaria. Sane nihil doctrina christiana efficacius ad hoc ut considerari possit, universum genus humanum tanquam immensa familia arctissimis vinculis ligata. Non modo identitas originis primaevae vel ultimi finis et consequenter mediorum quae ad illum conducunt, sed etiam identitas finis proximi obtinendi in hoc mundo, cuius opes debent esse omnibus perviae, tum ad honestam sustentationem, tum ad convenientem perfectionem facultatum, quam maxime confert ad illa vincula communia solidanda. Huc accedit quod Christus Redemptor, in quo sunt condita universa, uno eodemque sacrificio omnes homines caelesti Patri reconciliaverit.

Has omnes veritates materna sollicitudine constanter nos edocet Ecclesia, cuius divinus conditor in suprema nocte suae vitae terrestris sublime illud addidit caritatis praeceptum, quo nihil efficacius sive ad pacem servandam sive ad fructuosam communicationem bonorum fovendam. Haec omnia si alte nostris mentibus adhaereant, pretiosi ubique colligentur fructus et prosperitatis et pacis.

Huic mirabili unitati non debet obstare varietas illa multiformis, quae lapsu temporis quasi sponte sua surgit in genere humano ex diversitate condicionis vitae aliisque adiunctis, sed potius eam roboret et locupletet necesse est. Non intenditur enim uniformitas inefficiens, quae si aequalitatem externam imponere potest, damnum infert gravissimum evolutioni virium intrinsecarum cuique populo insitarum, sed illa potius quaeritur unitas, quae cum varietate multiformi amice componi queat. Hinc est quod Ecclesia qualitates cuiusque populi proprias magni faciat et consequenter approbet atque foveat quidquid ad convenientem earundem perfectionem conferre possit, modo in his omnibus inviolata maneant gravia officia, quae vinculum fraternitatis universalis omnibus imponit.

Neque haec doctrina Ecclesiae de vita publica internationali ullum nocumentum affert amori speciali, quem om-

nes cives profiteri debent erga propriam patriam, nec impediet quominus iidem pro maiore eiusdem prosperitate indefesse adlaborent; virtus enim caritatis, utpote ordinata, incipere debet a proximioribus; ea insuper intensius exerceri licet erga eos quibuscum homo peculiaribus vinculis astringatur; id unum debet diligenter caveri, ne scilicet hac intensitate ultra modum exaggerata caritas deveniat exclusiva et iam non complectatur debito amore reliquos omnes, qui speciales illas rationes non habeant. Ubi incipit exclusivitas, ibi desinit subsistere caritas, quae est essentialiter universalis.

Ecce paucis descriptum ordinem iuridicum, qui sive intra unum eundemque Statum sive inter diversos populos generis humani vigere debet secundum principia philosophiae christianae. Quae ordinatio est vere completa, cum nihil essentiale praetermittat nihilque incertum proponat, et est simul organica, cum suum quaeque res occupet locum per debitam subordinationem bonorum particularium ad bonum supremum vel etiam magis generale. Est denique haec ordinatio solidissima ,cum legis naturalis dictaminibus plane respondeat et lapide angulari, scilicet Christo, innitatur, in quo uno et singuli homines et civiles societates possunt secure consistere. Praesens rerum condicio postulat omnino ut veri christiani alte in suis animis has salutares veritates imprimant easque quaquaversus indesinenter diffundant; hoc modo sternetur via ut, cum advenerit tempus ab omnibus ardenter exoptatum instaurandi novum ordinem internationalem, tam gentes quam civitatum moderatores sese conforment doctrinae Christi. Huic autem arduo labori tunc praecipue erit insistendum, cum in momento triumphi daemon violentiae omni vi contendat ut populi, quibus victoria subriserit, eorumque moderatores humanitatis aequitatisque voci aures clausas praebeant. Fundamentum enim prorsus necessarium duraturae concordiae internationalis, quae respondeat normis descriptis,

pax est vera, quae informetur spiritu iustitiae, aequitatis et misericordiae.

PHILIPPUS AGUIRRE S. I.

2 - SS. D. N. Pius Pp. XII

EPISTULA ENCYCLICA *Sertum Laetitiae* 1 nov. 1939

AD DILECTOS FILIOS GULIELMUM S. R. E. PRESBYTERUM CARD. O'CONNELL, ARCHIEPISCOPUM BOSTONIENSEM, DIONYSIUM S. R. E. PRESBYTERUM CARD. DOUGHERTY, ARCHIEPISCOPUM PHILADELPHIENSEM, CETEROSQUE VENERABILES FRATRES ARCHIEPISCOPOS ET EPISCOPOS ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS FOEDERATARUM AMERICAE CIVITATUM PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES: ANNO CL VERTENTE AB ECCLESIASTICA HIERARCHIA IN FOEDERATIS AMERICAE CIVITATIBUS CONSTITUTA.

PIUS PP. XII

DILECTI FILII NOSTRI ET VENERABILES FRATRES
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

1. Sertum laetitiae sanctae augere cupientes animo vastissima transimus maria et ecce coram adsumus vobis, qui centum et quinquaginta fauste revolutos annos ab ecclesiastica Hierarchia in Foederatis Americae Civitatibus constituta una cum universis gregibus vestris concelebratis. Id autem facimus perlibenter, quia in primordio summi pontificatus Nostri, quo sollemnior eo gratior ita obvia Nobis datur occasio palam obtestandi, quanam aestimatione, quonam studio validum iuventa inclitum americanum genus prosequamur.

2. Memorias annalium vestrorum replicantibus et eventuum causas considerantibus facile patet ad gloriam prosperitatemque, qua vestra gaudet patria, haud paulum contulisse divinae religionis triumphum, quae, quamvis e caelo orta institutis et legibus homines ad sempiternam beatitatem perducat, mortalem etiam vitam tot perfundit beneficiis, ut non posset maiora tribuere, si nata esset ad terrigenas felicitate ornandos, dum heic breviter vivunt.

3. Libet cognita in memoriam revocare. Cum Pius Pp. VI Ioannem Carroll americanum civem Baltimorensibus praeficiens primum episcopum vestratibus dedit, tum tenuis et exiguus istic fuit catholicorum numerus simulque Foederatarum Civitatum conditio ita periculosa, ut ipsarum unitas et compago in discrimen vocaretur, propterea quod, cum diu immane arsisset bellum, ingenti aere alieno premebatur fiscus, iacebant industriae, defessi calamitatibus cives in contrarias partes scindebantur. Afflictas, imo labentes res erexit ille celeberrimus Georgius Washington, pectoris constantia et mentis sagacitate illustris. Hic autem cum sacro Baltimorensi praesule firma in amicitia erat. Parens ideo patriae ac ista in dilecta terra primus Ecclesiae sacer pastor benevolentiae nexibus iuncti ad perpetuum posterorum exemplum inque serae aetatis documentum, veluti dexteris mutuo datis, significabant americanae genti sanctum sollemneque esse Christi fidem vereri, quippe quae recti honestique fundamentum continens communis salutis ubertatisque afferat elementa.

4. Multae vero fuerunt causae, cur istic catholica Ecclesia prospere floruerit: unam attingimus memoratu dignam. Sacerdotes, qui saevientibus vexationibus, istuc appulerant, memorato sacro pastori optata auxilia attulerunt eidemque adiutricem operam dantes pretiosa germina severunt, unde virtutum seges crebuit; quin etiam ex iis nonnulli episcopali postea dignitate induti de catholici nominis incrementis splendidius meriti sunt. Itaque, ut, historia teste, evenire plerumque suevit, exortis insectationum pro-

cellis, non cohibetur, sed latius funditur apostolicus ignis, si is fide non ficta et sincera caritate alitus generosa pectora adurit.

5. Cum centum complerentur anni, ex quo eventus, qui vos meritis perfundit gaudiis, felicis recordationis Leo Pp. XIII Litteris datis *Longinqua oceani* recoluit et recensuit emensam istic ab Ecclesia viam, addens monita et praecepta, in quibus benevolentiae sapientia par. Quae ab augusto Decessore Nostro egregie tunc scripta sunt, perpetua sunt consideratione prosequenda. Postremis autem quinquaginta annis istic Ecclesiae cursus non remisit, quin potius se patentius protendit et maiores assecutus est auctus.

6. Florens enimvero istic viget vita, quam Spiritus Sancti gratia intimo in pectoris sacrario alit; conferti ventitant ad domos Dei fideles; frequentatur Mensa, ubi Angelorum Panis, esca fortium sumitur; ignatianae commentationes, quae saeptis locis tenentur, magno studio celebrantur; multi divinam vocem ad sublimiora arcessentem secuti, sacerdotium aut religiosae vitae statum capessunt.

7. Nunc temporis undeviginti sunt istic provinciae ecclesiasticae, centum et quindecim dioeceses, ferme ducenta sacra Seminaria, innumera exstant templa, ludi litterarii pueris educandis, domicilia maiorum disciplinarum, collegia, valetudinaria, egentium refugia, coenobia. Iure meritoque advenis admirationi est temperatio et forma, qua scholae vestrae uniuscuiusque ordinis reguntur, generoso dispendio christifidelium innixae, vigilanti cura praesulum custoditae, turbas prodentes bene cordatorum moratorumque civium, qui divinas humanasque leges verentes Ecclesiae et patriae robur, flos et honor rite esse aestimantur.

8. Consociationes vero missionales, praesertim Pontificium Opus a propagatione fidei, firmitate et operositate praestantes in exemplum prece, stipe, praesidiis varii generis Evangelii praecones iuvant, qui infidelium terris salutiferae Crucis inferunt vexillum. Temperare Nobis non possu-

mus, quin modo aperto praeconio Nostro honestemus missionalia opera nationi vestrae peculiaria, quae catholici nominis amplificationi sollerti studio incumbunt. Hisce nominibus nota eadem sunt: « Catholic Church Extension Society », sodalitas piorum benefactorum gloria praeclara; « Catholic Near East Welfare Association », quae rei christianae in Oriente multis necessitatibus laboranti provida auxilia praestat; « Indian and Negroes Mission » coeptum a Concilio Baltimorensi tertio sancitum (cfr. Acta eiusdem Concilii, cap. II) quod confirmamus et commendamus quia eximia erga concives caritas id exigit. Fatemur namque Nos in Nigritas accolas vestros, adflante Deo, impensa caritate ferri, quia novimus eos, ad religionem et animorum cultum quod spectat, peculiaribus curis et solaciis indigere eaque mereri. Quapropter uberrimam caelestem opem adprecamur et salutaria cupimus iis, qui generosa virtute de eisdem solliciti sunt. Hoc amplius, ut pro inenarrabili accepto integrae fidei dono Deo magis congrua ratione grates reddantur, vestrates strenue agere cupidi missionalium exercitui confertos mittunt manipulos, qui tolerantia laboris, invicta patientia et egregiorum inceptorum vi pro regno Christi promovendo promerita metunt, quae tellus admiratur Caelumque aequis retribuet coronis.

9. Neque minus invalescunt istic opera, quae in patriae gremio Ecclesiae filiis vario usui sunt: dioecesana caritati exercendae officia, apte accomodateque disposita ac temperata, curionibus consulentibus, religiosis familiis opitulantibus, egenis, inopibus, infirmis christianae largitatis munera afferunt, miserias levant: hoc autem in pernobili ministerio absolvendo Christus acutis ac dulcibus fidei oculis cernitur, benignissimus Redemptor intelligitur, cuius sunt pauperes afflictique mystica dolentia membra.

10. Prae ceteris laicorum hominum Consociationibus quas cunctas enumerare longum est, haud caducae gloriae lauros sibi pepererunt Actio catholica, Congregationes mariales, Sodalicium a christiana doctrina fructibus iam laeta,

futurae segetis spe autem laetiora, itemque Consociatio quae a SSmo Nomine vulgo appellatur, ad religionis cultum fovendum pietatemque excolendam ductrix optima. Multiplici autem catholicorum hominum operositati, in varias provincias prout ratio temporis postulat exserenti vires, praeest Consilium illud, cui nomen inditum est « National Catholic Welfare Conference », ad episcopale ministerium vestrum expedita instrumenta suppeditans. Ex his praecipua carptim mense Octobri anno MDCCCCXXXVI invisimus, cum, transmarino itinere suscepto, vos vestraque de facie cognoscere Nobis gratissimum fuit. Numquam occidua et iucunda haeret animo imago rerum, quas tunc oculis Nostris conspeximus.

11. Hac de causa debito cum observantiae obsequio vobiscum Deo persolvimus grates, canimus laudes: « Confitemini Deo caeli, quoniam in aeternum misericordia eius » (Ps. CXXXV, 26). Ipse, cuius nullis circumscripta terminis est bonitas, sicut tellurem vestram benignitatis suae cumulavit largitate, ita ecclesiis vestris dedit operandi virtutem, earumque impigros labores fructibus cumulavit. At rite persoluto gratiarum actionum debito Deo, a quo omnia bona principium ducunt, agnoscimus, dilectissimi Nobis, etiam acri ingenio, sedulae operositati pastorum oviumque, queis istic Christi grex coalescit, deberi uberem huiusmodi fecunditatem, quam gaudentes nunc vobiscum contuemur; agnoscimus eam deberi clero vestro, qui ad strenue agendum proclivis generoso studio mandata vestra exsequitur, religiosis viris omnium Ordinum et Congregationum, qui virtutum ornamentis praeclari certatim agrum Dei excolunt, itemque religiosis feminis, quae, lilia Christi ac delectamentum Sanctorum, innumerae ac saepe silentes et ignotae hominibus, divinae caritatis aestu percitae, Evangelii causae in exemplum se devovent.

12. Salutaris Nostra sit laus. Oportet enim gestarum rerum consideratio non otiorum relaxationem inducat, non inanis gloriae delectationem animos titillantem progignat, sed nova studia incendat, ut arceantur mala et quae salu-

taria, provida et laudatione digna sunt firmiore soliditate adolescant. Christianus, si sui servat nominis dignitatem, numquam non apostolus; numquam Christi militi e proelio excedendum est, cuius participationi mors tantum finem imponit. Nostis, ubi oporteat expergitior vestra evigilet cura et quonam advocanda sit sacerdotum fideliumque opera ut Christi religio, amotis impedimentis, teneat mentes, regat mores et, una causa salutis, civilis consortionis penetret venas intimosque meatus.

13. Quodsi bonorum externorum et corporis progressio, aptiora et copiosiora commoda afferens vitae, haud parvi facienda est, nequaquam tamen ea sufficit homini, ad praestantiora et sublimiora nato. Is namque ad imaginem et similitudinem Dei conditus, Deum ineluctabili animi impulsu appetit, semper lugens ac tristis, si ibi ponit delectum amoris, ubi veritas summa bonumque infinitum abest. Ad Deum autem, a quo recedere est interire, ad quem converti est vivere, in quo stare est splendescere, non acceditur corporei spatii transvectione, sed Christo duce, sincerae plenitudine fidei, intemerata rectae voluntatis conscientia, operum sanctitudine, comparata et adhibita vero nominis illa libertate, cuius sacratas normas Evangelium promulgavit. Si contra divina praecepta despicatui sunt, non solum sempiterna desperanda est beatitas ultra terrestris vitae breve aevum locata, sed nutat ipsa basis, in qua haud fallax cultus et humanitas consistit et lacrimandae exspectandae sunt ruinae: quae enim ad aeterna ducunt temporalium tenax sunt vigor tutumque firmamentum.

14. Quomodo reapse publicum bonum urganitatisque decus stare possunt, pessumdatis iuribus atque derelictis et contemptis virtutibus? Nonne Deus est iurium auctor et stator, nonne est virtutum altor et praemium Ipse, cui nullus est similis in legislatoribus (cfr. Iob, XXXVI, 22)? Haec est --- fatentur omnes qui sapiunt — ubique gentium amara fecundaque malorum radix divinae maiestatis ignoratio, caelestium praescriptorum neglectus aut lamentabilis quaedam incon-

stantia, qua inter fas et nefas, inter rectum et pravum claudicatur. Illinc coecus et immodicus amor sui, voluptatum sitis, ebrietatis vitium, sumptuosus et impudicus vestium habitus, crebra flagitia eademque nec in immatura aetate insueta, potiundae potestatis cupiditas, pauperum incuria, iniquarum divitiarum fames, agrorum desertio, in matrimoniis contrahendis ludificatio, nuptiarum repudia, familiarum dissipatio, frigens mutua parentum filiorumque caritas, vitata liberorum procreatio, gentis extenuatio, in magistratus languida verecundia aut servile obsequium aut obstinata voluntas, officiorum in patriam inque hominum genus negligentia. Id valde licet paterne conquerimur, quod istic tot in scholis, saepe spreto aut ignorato Christo, quidquid ad mundum et humanum genus attinet, natura et ratione tantum ducibus, explicatur et ad iuventutem educandam novae temptantur viae et rationes, ex quibus fieri nequit, quin in fingendis animis moribusque tristes nationi isti fructus maturescant.

15. Simili modo domestica vita, sicut servatis Christi mandatis veri nominis felicitate fruitur, ita abiecto Evangelio, misere perit vitiisque vastatur: « Qui quaerit legem, replebitur ab ea: et qui insidiose agit scandalizabitur in ea » (*Eccli.*, XXXII, 19). Quid iucundius, quid laetius in terra est quam christiana familia? Orta coram Domini ara, ubi amor sanctus appellatus est nexus perpetuoque mansurus, eodem amore, quem superna gratia alit, solidatur et crescit. Illic « honorabile conubium in omnibus et torus immaculatus » (*Hebr.*, XIII, 4); tranquillae domus parietes non resonant iurgia, non vident secreta martyria ob vafras patefactas adulterorum insidias; solidissima fiducia suspicionis aculeos depellit; mutuo benevolentiae affectu leniuntur dolores, augescunt gaudia. Illic nati non gravia pondera, sed dulcia aestimantur pignora; neque foeda commodorum ratio sterilisque voluptas efficiunt, ut munus prohibeatur vitae ac fratrum sororumque suavis desuescat appellatio. Quo studio illic incumbunt parentes, ut filii validis adolescant viribus ac, maiorum terentes rectas saepe memoratas semitas, pu-

rissima fide morumque honestate relucescant. Tot autem commoti benefactis filii hoc debitum sibi rentur esse maximum honorare parentes, optatis eorum obsequi, seniles eorum annos fido auxilio fulcire, canitiemque delectare amore, qui morte non fractus in superna aula caeli gloriosior reddetur et plenior. In adversis rebus non queruli, in secundis autem non ingrati christianae incolae domus nullo non tempore confidunt Deo, cuius imperio oboediunt, in cuius voluntate requiescunt, cuius auxilia haud frustra praestolantur.

16. Ad familias idcirco secundum Evangelicae sapientiae normam constituendas et servandas crebro debent compellere fideles ii, qui in ecclesiis rectorum et doctorum ministerio fungentes adsidua enituntur sollertia, ut plebs Domino paretur perfecta. Hac ipsa de causa summopere curandum est, ut dogma, quod adserit divino iure individuum perpetuumque matrimonium vinculum, a nuptias contrahentibus religiose retineatur sancteque custodiatur. Quod catholicae doctrinae caput plurimum valere, ut constent familiae, societas civilis prospere cedat, polleant sanitate populi, genuina humanitatis laus splendeat, haud pauci confitentur etiam a fide nostra alieni, civili sapientia insignes. Utinam patria vestra alieno experimento potius quam proprio usu novisset damnorum cumulum, quem divortiorum licentia parit! Suadeat religionis reverentia, suadeat erga nobile americanum genus pietas, ut dire invalescens curetur et avellatur morbus, cuius consectaria ita nervose et vere Leo Pp. XIII descripsit: « Divortiorum causa fiunt maritalia foedera mutabilia: extenuatur benevolentia: infidelitati perniciosa incitamenta suppeditantur: tuitioni atque institutioni liberorum nocetur: dissuendis societatibus domesticis praebetur occasio: discordiarum inter familias semina sparguntur; minuitur ac deprimitur dignitas mulierum, quae in periculum veniunt, ne, cum libidini virorum inservierint, pro derelictis habeantur. Et quoniam ad perdendas familias, frangendas regnorum opes nihil tam valet quam

corruptela morum, facile prospicitur prosperitati familiarum ac civitatum maxima inimica esse divortia » (Litt. Enc. *Arcanum*).

17. Minime dubitamus, quin apud vos in nuptiis celebrandis, quas contrahentium alteruter de catholico dogmate dissideat aut baptismatis sacramentum non receperit, Codicis iuris canonici praescripta diligenter serventur. Huiusmodi enim matrimonia — id ipsi e crebris exemplis comperistis — saepe diuturna felicitate non utuntur et Ecclesiae catholicae magna detrimenta afferre solent.

18. Quo tanta nocumenta abscedant, id potissimum confert, si divinae veritatis plenitudo singulorum mentibus affulgeat et populis integre innotescat via salutis. Quam ob rem enixe sacerdotes hortamur, ut divinarum humanarumque rerum scientia abundent; ne contenti vivant scientia iuvenili hausta aetate; legem Domini, cuius eloquia argento sunt puriora, attento animo considerent; continenter gustent delibentque castas Sacrarum Scripturarum delicias; Ecclesiae res gestas, dogmata, sacramenta, iura, praescripta, ritus, sermonem altius, labentibus annis, pervestigent, ut tum virtute tum veri ornatu et instructu crescant. Litterarum quoque studia et profanas disciplinas praesertim eas, quae cum religione maiorem habent necessitudinem, colant, ut facunde et nitide valeant salutifera tradere praecepta et docta quoque ingenia levi Christi sarcinae iugoque subicere. O quam felix Ecclesia, si ita « fundabitur in sapphiris » (cfr. *Is.* LIV, 11). Ratio praeterea temporis flagitat, ut laici quoque homines imprimis qui ecclesiasticae Hierarchiae adiutricem operam dant, non ieiunam et exilem, sed uberem solidamque sibi comparent in rebus sacris doctrinam, libris, disceptationibus, circulis adhibitis, ut ipsi sibi prosint, indoctos instruant, contumaces refellant, bonos sodales iuvent.

19. Haud exiguo cum animi gaudio novimus istic scripta, quae typis eduntur, strenue catholicam causam agere et marconianum instrumentum, quo vox emissa illico ubi-

que terrarum percipitur — mirum inventum apostolicae fidei humani generis universitatem amplectentis imago — saepe et utiliter adhiberi, ut quae ad Ecclesiam pertinent quam latissime circumsonent. Fauste acta laudamus. At caveant qui huiusmodi officio praestant, ut etiam in re sociali explicanda vel promovenda ecclesiastici magisterii institutionibus haereant; propriae utilitatis obliviosi, gloriolae non cupidi, non factionum partes sectantes, loquantur « sicut ex Deo, coram Deo, in Christo » (II *Cor.*, II, 17).

20. Quo optimarum artium disciplinarumque cultus istic magis magisque invalescat, feliciter datam arripientes occasionem, avemus profiteri Universitatem studiorum Washingtonensem quam maxime Nobis cordi esse. Id meminisse nunc Nos iuvat flagrantibus votis Leonem Pp. XIII istud doctrinae insigne domicilium, cum id oriretur, salutavisse et singularis amoris significationes ei semel iterumque Romanum Pontificem decessorem Nostrum impertivisse. Hic persuasissimum siquidem habebat, si istud magnum Lyceum, meritorum messe iam laetum magis magisque viguerit et inclaruerit, non solum Ecclesiam verum etiam vestratum gloriam prosperitatemque civilem incrementa percepturas esse. Eiusdem spei participes, vos has per litteras convenimus, ut id habeatis commendatum quam quod maxime, nulli parcentes labori, ut gratia vestra tectum aspera evincat et felicioribus semper auctibus egregiam exspectationem in se collocatam cumulate adimpleat. Hoc insuper valde probamus quod Romae Pontificio Collegio adolescentibus ex America septemtrionali ad sacra fingendis augustiores et aptiores vultis aedes erigere. Quodsi quidem utiliter lectissimi ingenio iuvenes ad politiorem doctrinam hauriendam longinquas petunt oras, felix diutinus usus vitae demonstrat ad sacerdotalia munia candidatis permagno adiumento esse, si ii heic penes Petri Sedem educantur, ubi purissimus bibitur fidei fons, ubi tot christianae antiquitatis monumenta sanctorumque vestigia ad fortia exantlanda generosa pectora accendunt.

21. Aliud attingimus, quod maximi est ponderis, quaestionem scilicet socialem, quae insoluta diu et dire exagitat civitates et in civium ordinibus semina iacit invidiae ac dimicationis. Quomodo haec istic se habeat, quasnam afferat difficultates concitationesque opus non est consciis profundere verba. Cuius praecipuum caput id exigit, ut bona, quae pro hominibus universis Deus creavit, aequa ratione ad omnes affluant, iustitia duce, caritate comite. Pauperes et divites semper fuisse cunctarum memoria aetatum docet, eosdem semper fore inflexibilis humanarum rerum condicio portendit. Honorabiles sunt timentes Dominum pauperes, quorum est Regnum caelorum quique facile spiritualibus affluunt gratiis; divites autem, si recti probique sunt, terrestrium bonorum Dei sunt dispensatores et procuratores; supernae Providentiae administri egenis opitulantur, per quorum manus saepe dona quae ad animos spectant percipiunt, quorum ductu sperant se vitam assecuturos sempiternam. Deus, rerum provisor optimus, statuit, ut ad exercendas virtutes et probanda merita divites sint in mundo simulque et pauperes; at non vult alios nimiis affluere copiis, alios autem in extremas angustias adduci, ita ut usibus vitae necessariis careant. Bona verum est virtutum parens honesta paupertas, quae cotidiano labore comparat victum, iuxta illud: « Mendicitatem et divitias ne dederis mihi: tribue tantum victui meo necessaria » (*Prov.*, XXX, 8).

22. Quodsi locupletes et opulenti debent in inopes facili misericordia moti liberaliter agere, eo vel magis iisdem debent iusta tribuere. Opificum igitur salaria, sicut fas est talia sunto, quae ipsis eorumque familiis sustentandis sufficiant. Gravia hoc de officio sunt Pii Pp. XI decessoris Nostri verba: « Omni igitur ope enitendum est, ut mercedem patresfamilias percipiant sat amplam, quae communibus domesticis necessitatibus convenienter subveniat. Quod si in praesentibus rerum adiunctis non semper id praestari poterit, postulat iustitia socialis, ut eae mutationes quamprimum inducantur, quibus cuiusvis adulto operario eiusmo-

di salaria firmentur. Non abs re erit hic merita laude prosequi eos omnes, qui sapientissimo utilissimoque consilio varias experti sunt atque tentaverunt vias, quibus merces laboris ita oneribus familiae accommodetur, ut his auctis, amplior illa numeretur; immo, si id obtingat, extraordinariis necessitatibus fiat satis » (Litt. Enc. *Quadragesimo anno*). Eveniat insuper ut quisquis viribus pollet ad comparandum sibi suisque cotidianum victum aequam operis habeat copiam. Vehementer dolemus sortem condicionemque eorum, qui bene multi istic quamvis robusti valentes ac volentes labores quos quaeritant suscipere non possunt. Moderatorum rei civilis sapientia, provida herorum largitas, serenioris temporis citus eventus efficiant, ut tam iusta optata communi omnium profectu perficiantur.

23. Praeterea, cum homines natura sint congregabiles et fas sit coniunctis viribus honestas utilitates provehere, sicut heris ita et operariis et agricolis non potest sine iniuria denegari aut minui libera facultas societates ineundi, quarum ope ipsi sua tueantur iura et maiorem in modum emolumenta, quae ad bona animi et corporis et ad innoxias quoque suavitates vitae spectant acquirant. Huiusmodi collegiis, quae exactis aevis christianae rei publicae immortalem laudem et artibus mirum splendorem compararunt, non potest una ubique locorum disciplina et temperatio imponi, quae quidem pro ingenio populorum et adiunctis temporum et rerum alibi alia esse quit: ea tamen semper e sanae libertatis principiis vitalem motum sumant, celsis iustitiae et honestatis normis informentur harumque sub ductu et auspicio ita agant, ut in suae classis provehendis commodis neminem laedant, concordiae studia servent, civilis societatis commune bonum vereantur.

24. Memoratum nuperrime pontificalis magisterii Documentum necnon similis generis Encyclicas Litteras Leonis Pp. XIII *Rerum Novarum*, ubi ad Evangelii et perennis philosophiae praecepta quaestio socialis absolvitur, gratum est Nobis nosse istic diu multumque considerari a lectissimis

quibusdam, quos generosa voluntas ad caritatem atque societatem humanam restaurandam compellit, herosque ipsos nonnullos, huiusmodi ad placita cum mercennariis semper rediviva discidia velle componere, communi utilitate et humanarum personarum dignitate animadversis. Quae erit laus, si americanum genus, quod ad magnificentiam et munificientiam natura est proclive, feliciori aevo iecerit fundamentum, salebrosa et annosa sociali quaestione tutas per vias Evangelii iubare illustratas plene et bene persoluta. Quod ut auspicato fiat, non frangendae sunt dissipatione vires, sed iunctione quam maxime augendae. Ad quam salubrem consiliorum unitatem consensionemque, magnorum altricem facinorum, caritate compulsi eos quoque invitamus, quos Mater Ecclesia a se divulsos deflet. Plerique ex iis, cum Decessor Noster sanctorum somno quievisset et Nos, brevi exacto ab eius excessu tempore, inscrutabili divinae pietatis consilio Petri Solium conscendissemus — id Nos non fugit — ore scriptisque sensus prodiderunt obsequii et insignis nobilitatis plenos; quapropter — id aperte fatemur — de iis spem cepimus quam tempus non rapit, quam praesaga mens alit, quae Nobis inter aspera et dura solacio est.

25. Laborum magnitudo, qui pro benignissimi Redemptoris gloria animorumque paranda salute sollerter suscipiendi sunt, ne terreat, dilectissimi, vos, sed divino fretos auxilio exstimulet, siquidem ardua opera robustiores gignunt virtutes, rutilantiora proferunt merita. Nisus, quibus hostes confertis agminibus Regnum Christi destruere contendunt, nobis incitamento sint, ut concordi voluntate id astruamus, firmemus, provehamus. Nihil felicius contingere potest singulis hominibus, familiis et nationibus quam obtemperare Auctori salutis, Eius sequi mandata, Eius amplecti regnum, quo liberi efficimur et bonis operibus divites: « regnum veritatis et vitae, regnum sanctitatis et gratiae, regnum iustitiae, amoris et pacis » (*Praef. Missae Christi Regis*).

26. Plurimum ominantes, ut vos ovesque, quarum commodo seduli pastores consulitis, ad cotidie meliora et prae-

stantiora potienda progrediamini ac ex statis quoque sollemnibus virtutum messem excipiatis opimam, Apostolicam Benedictionem, benevolentiae Nostrae testem, in Domino vobis impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die 1 mensis Novembris anno MDCCCCXXXIX in festo omnium Sanctorum, Pontificatus Nostri anno primo.

PIUS PP. XII

Annotationes

Summariae synopsi analyticae, schematicas aliquas notas commentarias subiungimus, quo clarius emineant et *momentum* et peculiaris *indoles* huius pulcherrimae SS. Pontificis homiliae pastoralis festivam laetitiam validi sui gregis americani participantis.

A) Summarium analyticum

Introductio: *Epistulae occasio et propositum* (n. 1)

Pars I: *Conspectus historicus*: Ecclesiae in America *progressus* (nn. 2-11)

a) Ortus et auctus (nn. 2-4)

b) Floridus hodiernus status (nn. 5-10)

1) Cultus religiosus

2) Instituta religiosa

3) Zeli opera

c) Gratiarum actio (n. 11)

Pars II: *Disquisitio pastoralis*: Ecclesiae in America *problemata* (nn. 12-24)

a) Res divinae prae terrenis colenda, fovenda (nn. 12-14)

1) Opus indefessae navitatis

2) Individuorum felicitas

3) Vita socialis; scholae

b) Familia Christiana (nn. 15-17)

1) Domesticae vitae sanctitas

2) Matrimonii unitas, indissolubilitas

3) Nuptiae mixtae religionis

c) Educatio Christiana (nn. 18-20)

1) Magistrorum clericorum et laicorum institutio

2) Preli et operae radiophonicae apostolatus

3) Universitas Washingtonensis, Collegium Urbanum

d) Quaestio socialis (nn. 21-25).

1) Iustitia socialis: aequa bonorum distributio

2) Opificum iura tuenda

3) Syndicatuum iura et structura

4) Omnium adiutrix opera.

Conclusio: *Animus iniciendus; auspex Apostolica Benedictio* (nn. 26-27)

B) Epistulae momentum

Hoc magisterii ordinarii documentum ex adiunctis *temporis, argumenti* tractandi, *personarum* quas adloquitur SS. Pontifex peculiare suum momentum mutuatur.

1. Anniversaria laetitia « validi iuventa incliti americani generis » [1] *quadruplici* simul commemoratione hoc anno 1939 facta fovetur. Harum unicuique pro sua paterna sollicitudine interesse voluit Supremus Pontifex, litteris datis autographo subscriptis vel encyclica forma adhibita, uti in hac ultima sollemniori « Epistula » *Sertum laetitiae* contigit. Imprimis Athenaeum Washingtonense (*The Catholic University of America*) decem nuper vitae lustra complevit ab eius fundatione iam pluries commendata a Leone xiii. (Cf. Nuntium Radiophonicum *It is from*, *AAS* xxxi, p. 676. Item Litterae *Benevolentiae testandae*, *AAS* xxvii, p. 752). Centum et quinquaginta revoluti sunt anni a promulgata Reipublicae Constitutione (1789) atque ab initio studiis Universitatis Georgiopolitanae, almae omnium collegiorum catholicorum Matris in Statibus Foederatis. Pius xii, memor utriusque huius fausti eventus, litteras cum legato Rectore Magnifico Pontificiae Universitatis Gregorianae in Urbe concessui Georgiopolitanae mandavit die 21 maii 1939. Autographi pontificii textum subsequenti die 5 iunii in lucem edidit commentarium officiale Gubernii *The Congressional Record*. Triginta pariter lustra elapsa concelebrat Civitatum Foederatarum ecclesiastica hierarchia a primatialis Sedis Baltimorensis erectione, cuius occasione recipit hic memoratam Epistulam *Sertum laetitiae* [1], quae ipsa recolit monita et praecepta abhinc 50 annis data a Leone xiii in Epistula *Longinqua oceani* ad Em.mum Cardinalem Gibbons missa die 6 ianuarii 1895 [5]. Cf. *ASS* xxvii (1894-95), p. 387.

Accedit quod prima haec Epistula post sollemnes Litteras Encyclicas *Summi Pontificatus*, quae veluti missio-

nis apostolicae generale programma et textus universae orbi mense octobri commendantur, particulari nationi mandata exsistit.

Praesens igitur documentum tamquam pignus simul et *recapitulatio* specialis curae pastoralis quam nutrit SS. Pontifex gregem americanum versus, necnon universalis doctrinae pontificiae prima *applicatio practica* haberi potest. Cfr. « L'Enciclica *Sertum laetitiae* e l'America di Oggi », in *La Civiltà Cattolica*, 20 genn. 1940, p. 101.

2. Summatim quamvis complete *historiam* [2-11] religionis in America et essentialia *problemata pastoralia* [12-24] in campo sive individuali sive sociali perlustrat Pontifex, auctoritative revocando in memoriam acta et agenda, doctrinam Ecclesiae denuntiando cum methodo illam inculcandi et civium vitae inserendi. Praecellunt encomia [4] antenatorum in vinea Domini operariorum qui ab Europa expulsi in Americam appulerant, ibidem primas radices florentis nunc arboris ecclesiasticae erant seminaturi. Cf. GUILDAY, *Life and Times of John Carroll*. Laudibus itidem dignae inveniuntur [3] leges quibus America vivit, aequam tutamque cultus et apostolatus exercitii libertatem ex ipsa Reipublicae Constitutione relinquentes Ecclesiae. Cfr. etiam *Longinqua oceani*, loc. cit., p. 390 cum monito eidem argumento adiecto a LEONE XIII: « non universe licere vel expedire rei civilis reique sacrae distractas dissociatasque, more americano, rationes ». Fructus huius coniuncti Ecclesiae et Status operis praesto referuntur in statistica ratione incrementi *militiae* catholicae (1789: 30,000; 1939: 22,000,000); *alumnorum* in 1550 scholis parochialibus (1939: 2,350,000) et in 175 institutis superioribus quorum scholae mediae 35, collegia 125, universitates catholicae 15 enumerantur (1939: 121,000); *vocationum* (sacerdotes, 31,000; religiosae 42,000); *zeli operae* (Knights of Columbus, 450,000, Holy Name Society, 7,000,000; Marianis Congregationibus adscripti, 360,000;

Legion of Decency, 3,000,000); *missionariorum* ad exteros 950; etc., etc.

Quod ad ingens hoc opus complendum et nutriendum attinet [12] animarum Pastor Supremus *principium* malorum nostri temporis in genere, ac vineae americanae in particulari autumat, [13, 14] neglectam scilicet reverentiam erga Maiestatem Divinam eiusque universalem legem moralem, cui anteponitur inanis et funesta auri et prosperitatis materialis sacra fames. Cfr. etiam Litt. Encycl. *Summi Pontificatus*, *AAS* XXXI (1939), p. 423. Stabilita hac lege orandi et agendi, pervenitur ad *consectarias* industrias *practicas* in re familiari, educativa, sociali adhibendas. Divortii et neo-malthusianismi plagas late in America grassantes digito paterno monstrat, medicina sacramentali curandas vult Pontifex [15-16]. Scholas Christi Domini ignaras, sacerdotes laicosque militantes pigros et incultos muneri suo sacro implendo ineptos esse insinuat [18]. Institutionis religiosae praeconia, prelum et radiophoniam rigorosa disciplina ecclesiastica suadet moderandos [19]. Merita et sacerrimum munus Universitatis Catholicae in America Leonianique Collegii pro America Septentrionali in Urbe illustrat [20]. Tandem iustitiae et caritatis socialis diu desideratae praecepta invocat ad meliorem distributionem in re oeconomico-sociali inducendam [21-22] quae tamen sanam libertatem in technica aedificii professionalis structura indemnem servare debet [23]. Optatae huius reformationis morum et institutorum, quae iam a decennio, post editas Pii XI Litt. Encyc. *Quadragesimo Anno* in votis est omnium, nominatim Reipublicae opificumque consortiorum praesulum, tanquam instrumenta appellat indiscriminatim omnes ubique christicolas [24]. Qui ampliorem (non perfectiorem) velint cognitionem status et muneris Americae hodiernae in Corpore Christi Mystico [24], sequentia inter alia adeant opera: SIEGFRIED, *Les Etats-Unis d'Aujourd'hui;* LA FARGE, S. J.,

Interracial Justice; SCHUSTER, *The Catholic Spirit in America;* DUHAMEL, *Scènes de la Vie Future;* SARGENT, *Our Lady and Our Land;* DAVIGNON, *Heures Américaines;* CHESTERTON, *What I Saw in America;* KLEIN, *Au Pays de la Vie Intense;* DE TOQUEVILLE, *American Democracy;* FURFEY, *Fire on the Earth* et *This Way to Heaven;* WILL, *Life of Cardinal Gibbons;* COFFEY, *The American Catholic and His Critics* in *The Month,* April 1928.

3. Scopus ab Epistula intentus securiori spe successus promoveri poterit, ex eo quod mandatarii Pontificis in opere renovationis prosequendo designantur floridae et semper numero et virtute crescentis hierarchiae Americanae Episcopi. Haec enim nunc ea reverentia et prudentiae fama apud populum et primates civiles afficitur quae maior nunquam antea visa fuit. Placita pontificia fideliter et ferventer coniunctis viribus pro patrio more transmittit et interpretatur. In tanta sententiarum et principiorum moralium confusione, saepissime Episcoporum et sacerdotum iudicia et consilium invocantur, immo arbitri non raro adhibentur ad dissidias oeconomico-sociales dirimendas, ad ordinationis socialis et civilis pacem firmandam. Hoc ipso anno anniversario 1939 suadente Pontifice, gravi incepto statutorum pro democratia christiana omnibus amplectenda initium feliciter dederunt zelalati Patres, quorum « sertum laetitiae sanctae » se participem esse dignatur SS. Pontifex.

C) INDOLES EPISTULAE

Eminent praesertim in ea iudicii de re tractanda *sagacitas,* eximia erga omnes *paterna affectio,* mediorum agendi *dispositio opportuna.*

1. Securus iudicat Pontifex in tanta rerum, stirpium, cultuum diversitate non minas periclitantibus esse proferendas, sed bona fide laborantibus auxilium et animum

adiciendum. Ne nimis superbiant propter viam feliciter emensam!

Progressus enim non propriis viribus sed afflictis a persecutione Europae confratribus magna ex parte debetur [4]. Neve nimis desperent propter magnitudinem laborum perficiendorum! Gens enim sana quae « ad magnificentiam et munificientiam natura est proclivis » [24] divino freta auxilio messem opimam ambire valet, etiam in mediis infidelibus (*Acatholici* in Statibus Foederatis hodie numerantur millies centena millia, quorum *protestantes*, sectis trecenta inclusi, vix tertiam partem attingunt. Dimidia pars totius populationis — 60/123 centena millia — *indifferentismo* languescit. « Malorum radix... lamentabilis quaedam inconstantia, qua inter fas et nefas, inter rectum et pravum claudicatur » [14]).

Soliditas et continuitas magisterii pontificii hic illustrati facile patebit comparatione instituta cum Litt. *Longinqua oceani* (loc. cit.) cuius ampliatio et naturale complementum haec Epistula exsistit. Exinde constat, tum sensus quasi propheticus Leonis XIII respectu rerum in America hoc saeculo agendarum (etiam Actionis Catholicae manipuli enucleantur, *L. O.*, p. 398!), tum admirabilis mentis perspicuitas qua caduci errores ac defectus ephemeres a gravioribus distinguuntur, qua verae populi dotes popularisque periculorum dignoscitur fomes profunda. SS. Rector nullibi Americanum genus ut « protestanticum » leviter tractat, nullibi gesta facinorosa vel virtutes naturales vulgo dictis « americanas » saecularium more exaggerat. Malorum radices indicat, pericula sapienter monstrat, gratiae divinae fermentum agnoscit ac tuetur. Exempla insignia vides in flagello « valde licet paterne » [14] scholis areligiosis applicato atque in patria « vocatione sociali » palam proclamato [24].

2. Paternum boni Pastoris studium vix non totam Epistulam permeare dicetur. Sollicitudini et consuetudini omnium ecclesiarum, particularia hic Pius XII adiungit mo-

tiva populum americanum amore prosequendi. A secretis Status adhuc affectus, iter transmarinum in Status Foederatos anno 1936 suscepit [10] octies millia passuum millia regionis qua viis ferreis qua aereoplanis peragravit, vitam parochialem, scholarum et zeli operarum ordinationem oculis conspexit, Ecclesiae civitatisque praesules invisit. Impensa se ferri caritate erga Nigritas (quorum 13,000,000 istuc in gravi indigentia civili et sociali versantur) fatetur [8]. Familiaris institutionis christianae serie pariter periclitantis « laetis ac iucundis » laudibus extollit [15]. Acatholicos tandem ut filios prodigos « quos Mater Ecclesia a se divulsos deflet » tractare dignatur [24] Leonis XIII (*Longinqua oceani, Testem benevolentiae*) et f. m. Cardinalis Gibbons vestigia premens (cf. GIBBONS, *The Faith of Our Fathers*), et de iis spem capit gratissimam inter « aspera et dura » nostri temporis apostolica opera. Patrem se habet potiusquam paedagogum etiam erga dissidentes. Cfr. item *Summi Pontificatus*, loc. cit., p. 418.

3. Neminem fallere potest opportunitas remediorum quae Epistula proponit ad mala privata, publica extirpanda ac praecavenda. Nunc tempus acceptabile, insinuat Pontifex, quando imminentis ruinae socialis permulti tandem aliquando sunt conscii [24] et periculum est in mora [12]. Nunc moderatorum rei civilis sapientia rebus spiritualibus et moralibus occupata fulcitur. Nunc floret vita sacramentalis, evangelii praedicatio per rostra, folia, super tecta, et exercitiorum spiritualium usus [6]; quae omnia vitae supernaturalis christianae exempla et subsidia maxime fecunda cuncto populo praestant. Ordo hierarchicus nunc plene constitutus, scholae, Actionis Catholicae Consociationes libere prorsus vineam Domini colunt [7-10]. Cf. etiam *Summi Pontificatus*, loc. cit., p. 445. Nunc vix non omnium mentes et suspiria ad Magistram gentium Patremque communem vertuntur (*ibid.*, pp. 418 sqq.). Ad veritatem domi et foris faciendam in caritate (*Ephes.*, I, 15) ducente Pontifice adiutricem oportet adhibere operam praevalentis iu-

ris divini cultus et iustitiae ac amoris universalis sitis, quae « veluti pons exstrui potest nos inter et eos quibus fidei nostrae participes esse denegatur » (cfr. Sermonem Pii XII in Vig. Nativ. Domini, 1939 *In questo giorno, AAS* XXXII, p. 5).

J. Eduardus Coffey, S. J.

3 - SS. D. N. Pius Pp. XII

CONSTITUTIO APOSTOLICA « BALTIMORENSIS »
(WASHINGTONENSIS) 22 IUL. 1939
(*AAS* XXXI [25 nov. 1939] p. 668 ss.)

AB ARCHIDIOECESI BALTIMORENSI TERRITORII PARS SEIUNGITUR AC NOVA EXINDE ARCHIDIOECESIS « WASHINGTONENSIS » ERIGITUR, EIDEM BALTIMORENSI ECCLESIAE AEQUE PRINCIPALITER UNITA.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Supremae ecclesiasticae potestatis est tum novas, si rerum et locorum adiuncta id exigant, dioeceses erigere, tum hierarchicum gradum illis tribuere civitatibus, quae et religionis incremento et dignitate qua pollent, praecellunt. Iamvero intra Archidioecesis Baltimorensis limites urbs exstat *Washington*, Gubernii Americae Septemtrionalis Foederatarum Civitatum sedes, quae pluribus catholicis institutis (inter quae praeclarae adnumerantur Studiorum Universitates et benefica iuvenibus imbuendis collegia) apprime floret, atque simul tam frequens incolis postremis hisce annis facta est tantisque viribus atque opibus augescit in dies ut iure meritoque Sedes Apostolica cathedrae archiepiscopalis splendore censuerit ipsam decorandam; eoque

libentius quod iucunda perhibeatur occasio centesimi quinquagesimi recurrentis anni, ex quo et ipsa urbs *Washington* Foederatorum Statuum caput constituta et sedes episcopalis Baltimorensis primum condita sit. Quapropter Nos, auditis venerabilibus Fratribus Hamleto Ioanne Cicognani, Archiepiscopo titulari Laodicensi in Phrygia, Delegato Apostolico in Foederatis Americae Septemtrionalis Statibus, atque Michaële Iosepho Curley, Archiepiscopo Baltimorensi, suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit, vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, apostolicae potestatis plenitudine urbem *Washington* et totum territorium intra fines Columbiae districtus contentum ab archidioecesi Baltimorensi seiungimus et novam exinde archidioecesim erigimus, ab ipsa Washington urbe *Washingtonensem* nuncupandam. Novae autem huic sedi omnia tribuimus iura, privilegia et praerogativas, quibus ceterae archiepiscopales sedes ad iuris communis normam fruuntur et gaudent, illamque iisdem adstringimus obligationibus et oneribus quibus ceterae adstringuntur. Archiepiscopalem cathedram ipsius archidioecesis in ecclesia, in eadem urbe *Washington* exstante, Deo in honorem S. Matthaei Apostoli dicata, figimus, eamque propterea ad archiepiscopalis ecclesiae gradum et dignitatem extollimus eique concedimus iura, honores et privilegia ad ceteras archiepiscopales ecclesias ad normam sacrorum canonum spectantia. Volumus vero ut nova haec Archidioecesis Washingtonensis metropolitanae Ecclesiae Baltimorensi *aeque principaliter* unita sit, sub communi appellatione *Baltimorensis-Washingtonensis*. Ambae proinde Ecclesiae sub iurisdictione, regimine et administratione erunt unius Antistitis pro tempore Baltimorensis-Washingtonensis. Ipse vero canonicam duarum Archidioecesium possessionem seorsum accipiet, servato sedi Baltimorensi praecedentiae honore, itemque in Baltimorensi urbe habitualem habebit residentiam, ita tamen ut per aliquod anni tempus, sive continuum sive intermissum, in archidioecesi Washingtonensi quoque degere valeat. Ad ipsarum autem

Ecclesiarum regiminis unitatem strictiorem reddendam statuimus ut unica sit, in urbe quidem Baltimorensi, pro duabus Archidioecesibus Curia archiepiscopalis, unicum dioecesanorum Consultorum Collegium, itemque unus Vicarius Capitularis, sede vacante, eligatur. Quod ad clerum peculiariter attinet, decernimus ut, simul ac hae Litterae Nostrae de novae Archidioecesis erectione ad effectum demandatae fuerint, eo ipso clerici intra eiusdem fines legitime exstantes ipsi Ecclesiae incardinati censeantur, salva tamen Archiepiscopo facultate clericos in utriusque archidioecesis utilitatem adhibendi, eisdemque beneficia ecclesiastica promiscue conferendi. Ad haec autem omnia, ut supra disposita et constituta, exsecutioni mandanda venerabilem quem supra diximus Fratrem Hamletum Ioannem Cicognani, in Foederatis Americae Septemtrionalis Statibus Delegatum Apostolicum, seligimus, eidemque propterea facultates ad id necessarias et opportunas tribuimus, etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, facto eidem onere ad S. Congregationem Consistorialem authenticum peractae executionis actorum exemplar quam primum transmittendi. Praesentes autem Litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet quorum interest, vel qui sua interesse praesumant, auditi non fuerint, vel praemissis non consenserint, etiam si expressa, specifica et individua mentione digni sint, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel quolibet alio, licet substantiali et inexcogitato, defectu notari, impugnari vel in controversiam vocari posse, sed eas, tamquam ex certa scientia ac potestatis plenitudine factas et emanatas, perpetuo validas exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere, et, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum prorsus et inane esse et fore volumus et decernimus: non obstantibus,

quatenus opus sit, regulis in synodalibus, provincialibus, generalibus universalibusque Conciliis editis, generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, et quibusvis aliis Romanorum Pontificum, Praedecessorum Nostrorum, dispositionibus, ceterisque contrariis quibuscumque, etiam speciali mentione dignis, quibus omnibus per praesentes derogamus. Volumus denique ut harum Litterarum transumptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides, quae hisce Litteris tribueretur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Nemini autem hanc paginam dismembrationis, erectionis, concessionis, statuti, mandati, derogationis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo trigesimo nono, die vigesima secunda mensis Iulii, Pontificatus Nostri anno primo.

ALOYSIUS Card. MAGLIONE
a Secretis Status

Fr. RAPHAEL C. Card. ROSSI
S. C. Consistorialis a Secretis

Annotationes

In Epistola Encyclica *Sertum laetitiae,* Summus Pontifex amicitiam commemorabat qua Georgius Washington, primus Statuum Foederatorum Praeses et primus regionis Antistes, Joannes Carroll, Baltimorensis Episcopus, erant coniuncti. Praesenti Constitutione Sanctitas Sua animadvertit eodem anno, 1789, quo erecta est sedes Baltimorensis, etiam urbem Washington fuisse Statuum Foederatorum caput constitutam. Et ex unius eventus commemoratione occasionem nactus, alterum etiam singulari quadam benevo-

lentia celebrat, dum urbem Washington, dignitatis causa — quod, scilicet, tum Gubernii civitas capitalis tum non unius Catholicae universitatis aliorumque institutorum sedes exsistit — in novam archidioecesim erigit, eamque sedi Baltimorensi aeque principaliter coniungit.

Praeclarum hoc documentum non paucos Codicis canones illustrat. Habetur imprimis archidioecesis Baltimorensis vera, quamvis latiore sensu accepta, dismembratio (cf. c. 1421) per detractionem scilicet territorii ex quo nova archidioecesis erecta est, deinde archidioecesis noviter erectae cum priori aeque principalis unio.

Non unicum exemplum hoc est unionis aeque principalis inter dioeceses; quae tamen haud frequenter efficitur, et ob dissitas pro diversis adiunctis rationes. Recentiora exempla sunt unio Abbatiae *nullius* S. Martini ad Montem Ciminum cum dioecesi Viterbiensi (Const. Ap. 2 mai., 1936; *Acta Apostolicae Sedis*, XXVIII, p. 394) quae explicite declarabatur unio perpetua; et creatio dioecesis Eupensis et Malmediensis eiusque aeque principalis unio dioecesi Leodiensi (Const. Ap. 30 iul., 1921, *Acta Apostolicae Sedis*, XIII, p. 467) in quo casu, e contra, haec clausula adiecta est: « reservata tamen Nobis et Apostolicae Sedi facultate aliter de ea disponendi quandocumque animarum bonum id exigere videatur ». In nostro exemplo nihil explicite de unionis perpetuitate declaratur; ceterum semper integrum manet Sedis Apostolicae supremum ius res eiusmodi noviter ordinandi, si quando Ecclesiae animarumque bonum id postulet.

In unione aeque principali neutra Ecclesia alteri subiicitur, nec ipsae simul in unum corpus coguntur, sed ambae Ecclesiae suum titulum atque honoris gradum retinent; et secundum hoc manent duo beneficia, v. g. duo Episcopatus, quamvis sit idem utriusque minister. Cf. REIFFENSTUEL, Lib. III, Tit. XII, n. 51. Proinde nova sedes Washingtonensis pleno iure sedes constituitur et manet archiepiscopalis, non autem stricto sensu sedes *metropolitana;* nam sedes

Baltimorensis, quamvis ei unita, distincta tamen manet cum sibi connexis sedibus suffraganeis Provinciae Baltimorensis.

Clerici intra novae archidioecesis fines legitime exstantes eo ipso ei incardinantur, salva Archiepiscopo facultate clericos in utriusque archidioecesis utilitatem adhibendi, eisdemque beneficia ecclesiastica promiscue conferendi. Quae provisio ad regiminis unitatem egregie conducit, et etiam in supra allatis exemplis fere similibus verbis statuta est. Cum archidioeceses distinctae etiam post unionem existant, quaestio oriri potest num locus sit tacitae excardinationi ex una et incardinationi in alteram archidioecesim, e. g. si clericus, qui nunc uni sit adscriptus, in altera posthac beneficium residentiale accipiat (cf. c. 114). Quae quaestio, quamdiu unio perdurat, vix practica evadere potest.

Unicitas Curiae similiter praescripta est in unione Abbatiae *nullius* S. Martini cum dioecesi Viterbiensi; Curiarum distinctio, contra, in altera unione supra commemorata praescripta est. In nostro exemplo sermo est de consultorum dioecesanorum coetu, quia nullibi quod scimus in Statibus Foederatis adhuc erecta sunt Capitula cathedralia (cf. c. 427).

Demum notabile est sedis Baltimorensis privilegium praecedentiae quod indirecte commemoratur in provisione de canonica possessione duarum archidioecesium seorsim accipienda. Nempe, in plenario conventu S. C. de Prop. Fide 19 iul. 1858, proposito dubio an annuendum esset petitioni Episcoporum Provinciae Baltimorensis ut « loci praerogativa Sedi Baltimorensi concedatur, ita ut in Conciliis, coetibus et comitiis quibuscumque Archiepiscopo Baltimorensi, pro tempore existenti, praecedentia princepsque in sedendo locus supra quosvis istarum Provinciarum Archiepiscopos, si qui adsint, nulla habita ratione promotionis sive ordinationis attribuantur, « Sacra Congregatio affirmative respondendum censuit (*Acta S. C. de Prop. Fide*, a. 1858, ff. 325v, 333v, 335 rv, 341: ad congr. gen. 19 iul. 1858);

quam resolutionem Summus Pontifex, Pius IX, in omnibus approbavit die 25 iul. 1858. Decretum S. C. de Prop. Fide prodiit 15 aug. 1858 (*Lettere e Decreti della S. C. de Prop. Fide e Biglietti di Mons. Segretario*, a. 1858, vol. 359, ff. 703v, 704). Quod privilegium, utique contra canonem 106, canone 4 servatur.

T. Lincoln Bouscaren S. I.

4 - SS. D. N. Pius Pp. XII

LITTERAE APOSTOLICAE 9 NOV. 1939

(Cf. textum *AAS* XXXI [1939], p. 670 ss.)

Annotationes

Magni procul dubio momenti, non solum pro ipsa Archibasilica Lateranensi, sed etiam pro pluribus aliis cappellis, ecclesiis et basilicis totius orbis Smi. D. N. Papae Pii XII Litterae Apostolicae in forma Brevis datae, quibus peculiaribus gratiis ornandam decrevit « omnium Urbis et Orbis ecclesiarum matrem et caput, Cathedralem suam et dilectissimam Sponsam ».

In memoriam revocat Summus Pontifex voluntatem recolendae memoriae Decessoris Pii Pp. XI, qui, ob acceptam presbyteralem ordinationem in praedicta Romana Archibasilica eam, benignitatis suae atque affectus testimonio, peculiaribus privilegiis exornare statuerat; at inopinata ac fere repentina morte praepeditus, opportunum ac sollemne de hac re documentum emittere non potuit. Ne igitur voluntas Pii XI labentibus temporibus obliteretur, utque Lateranensis Archibasilicae Cathedralis Pontificiae splendor augeatur, atque ut apta adiumenta fidelibus praebeantur ad animos salubriter expiandos et caritate erga Dominum Nostrum Iesum Christum incendendos, quod Pius XI perfi-

ciendum voluerat, id Pius XII rata facienda vel etiam amplianda decrevit.

Iam pridem plura privilegia Basilicae Lateranensi concessa fuerant, prout rei natura postulabat, cum de cathedrali principe totius Orbis ageretur, quorum meminit Benedictus XIV in Encyclica *Assiduae sollicitudinis* 6 maii 1751, quam et Pius XII commemorat. Inter quae privilegia illud etiam habebatur sibi incorporandi seu aggregandi ecclesias et cappellas quibus indulgentiae lateranenses communicabantur. Horum quidem indultorum frequens in Litteris Apostolicis mentio et confirmatio apparebat; sed de eorum vero tenore, ob temporum antiquitatem et varias vicissitudines certa scientia minime habebatur.

Ea de causa Benedictus XIV, ad lites sedandas et praecavendas, motu proprio et certa scientia imprimis omnes indulgentiae quae, ipsis Pontificibus Romanis scientibus et consentientibus publice in eadem basilica proponi consueverunt, etiamsi de illarum primaeva concessione certa monumenta non apparent, approbat et confirmat. Quod vero attinet ad indulgentias ecclesiis, altaribus, cappellis, etc. eiusdem basilicae membris et incorporatis quoquomodo communicatas, eas interim suspendit, donec, prolatis authenticis monumentis, de certa Romanorum Pontificum voluntate constiterit.

Interea tamen concedit fidelibus utriusque sexus praedictas cappellas, ecclesias, etc. suetis conditionibus devote visitantibus in festo Ascensionis Domini, Nativitatis S. Ioannis Baptistae, SS. Apostolorum Petri et Pauli, S. Ioannis Evangelistae et Dedicationis eiusdem Basilicae, plenariam omnium peccatorum indulgentiam. In festis vero aliorum Apostolorum, si vere poenitentes sint et confessi, septem annos et totidem quadragenas.

A dominica vero prima Adventus usque ad festum Nativitatis Domini, et a feria IV Cinerum usque ad festum Resurrectionis Dominicae, si vere poenitentes et cum proposito saltem confitendi, ecclesias seu cappellas etc. visitave-

rint et ad mentem S. Pontificis oraverint, quatuor annos et totidem quadragenas. In reliquis autem singulis anni diebus, centum dies.

Denique qui in diebus Stationum Basilicae Lateranensis in Missali Romano descriptis aliquam ex praedictis ecclesiis aliisque superius expressis cum dicto poenitentiae affectu et confessionis proposito visitaverint, ibique, ut praefertur, oraverint, indulgentias stationales, quas visitantes dictam Ecclesiam Lateranensem iisdem diebus consequuntur, ipsi quoque..., consequi possint et valeant.

Mandat deinde Benedictus ut in renovationibus aut concessionibus privilegiorum quae deinceps fiant ecclesiis, cappellis, locis piis etc., durante suspensione huiusmodi, eae tantum indulgentiae communicentur quae superius sunt expressae, ut mentio fiat nominatim huius pontificiae concessionis, et ut alia serventur quae in Constitutione Clementis VIII *Quaecumque a S. Apostolica*, 7 sept. 1604 praescribuntur.

Quibus praelibatis ex superiore iure, melius intelligentur quae a Pio XII nuperrime concessa sunt.

Atque imprimis permagnum profecto privilegium habetur in prima concessione Archibasilicae facta, eodem prorsus modo quo, haud ita pridem, declaratum aut sancitum fuerat a Pio XI pro Basilica S. Petri et cuius memoria quatuor magnis marmoreis inscriptionibus commemoratur in porticu eiusdem ecclesiae, linguis latina, italica, germanica, anglica, gallica et hispanica, prout hic exhibentur:

Germanice — Anglice	Latine — Italice	Latine — Italice	Gallice — Hispanice

INDULGENTIA PLENARIA TOTIES QUOTIES

EX BENIGNA CONCESSIONE PII PP. XI HAEC PATRIARCHALIS BASILICA VATICANA GAUDET PRIVILEGIO INDULGENTIAE PLENARIAE PERPETUAE DEFUNCTIS QUOQUE APPLICABILIS A CHRISTIFIDELIBUS LUCRANDAE OMNIBUS ET SINGULIS ANNI DIEBUS TOTIES ETIAM EADEM DIE AD INSTAR ILLIUS QUAM PORTIUNCULAE VOCANT QUOTIES RITE CONFESSI AC SACRA COMMUNIONE REFECTI EANDEM BASILICAM VISITAVERINT IBIQUE SINGULIS VICIBUS SENIES PATER AVE ET GLORIA DEVOTE IUXTA MENTEM PONTIFICIS RECITAVERINT:

Urbem visitantibus notum est in pluribus eius basilicis aut ecclesiis supra earum portam litteris sculptis aut depictis legi: *Indulgentia plenaria quotidiana perpetua;* quod legentibus significare videtur singulis saltem diebus posse ipsos plenariam indulgentiam lucrari. Quod verum non est; nam ita tantum inscriptio est interpretanda ut semel in anno, die utique a fideli electo, debitis servatis conditionibus, valeat ab ipso indulgentia plenaria acquiri (can. 921 § 3). Quo magis apparet valor vere inmensus privilegii S. Petri et S. Ioannis in Laterano, cum in his basilicis fideles non solum semel quolibet die, sed quoties ecclesiam suetis conditionibus visitaverint toties indulgentiam plenariam lucrari valeant.

Declaratur praeterea in nostra Constitutione cappellam S. Francisci Assisiensis in ecclesia Lateranensi die 2 augusti privilegio quod dicitur a Portiuncula gaudere.

Augetur deinde valde numerus dierum in quibus Indulgentia quoque plenaria acquiri potest, qui pauciores in Constit. Benedictina erant. Nunc vero numerantur omnes dies festi Domini Nostri Iesu Christi et B. M. Virginis qui in calendario universali reperiuntur, Dedicationis Archibasilicae, Nativitatis et Decollationis S. Ioannis Baptistae, festum et Sollemnitas S. Ioseph, festi dies SS. Apostolorum om-

nium, SS. Marci et Lucae, Ioachim et Annae, omnesque dies festi de praecepto.

Eadem indulgentia plenaria conceditur visitantibus, suetis conditionibus, septem altaria Basilicae Lateranensis quolibet anni die, si ad honorem Titularis aliqua oratio fiat; corde contritis altare visitantibus et ad honorem Titularis orantibus, ind. septem annorum; visitantibus sacellum B. V. ad coelos Assumptae, quinque annorum; Basilicam vero visitantibus, trium ann.; ante altare SS.mi Sacramenti, in quo sacrae Tabulae Coenae Domini reliquia servatur, et grato animo revocantibus memoriam institutionis SS. Eucharistiae quingentorum dierum; unius quoque anni Symbolum Apostolorum recitantibus ante altare papale, in quo SS. Apostolorum Petri et Pauli sacra Capita coluntur.

Insuper altaria omnia Basilicae, sacella sanctarum reliquiarum et Baptisterii privilegiata declarantur. Praeterea in basilica etiam diebus festis Transfigurationis Domini Nostri I. C. Dedicationis Archibasilicae, Nativitatis et Decollationis S. Ioannis B., SS. Petri et Pauli, S. Ioann. Ev., atque in sacello S. Andreae Corsini in festo Epiphaniae indulgentiae stationales acquiri possunt hoc ultimo die etiam in Baptisterio Lateranensi.

Et haec quidem quae hucusque breviter attigimus Basilicam ipsam Lateranensem respiciunt. Nunc pauca de alio et quidem magno privilegio eidem iam antiquitus concesso, quod tamen, ni fallor, vix pauci in toto mundo cognoscunt, licet plurium ecclesiarum et sacellorum interesse possit. Est enim velut extensio per omnes terrae plagas cathedralis Lateranensis, ita ut eiusdem memoria et quasi praesentia ubique haberi possit, sicut decet matrem et caput omnium ecclesiarum.

Gaudet ergo Basilica Lateranensis perpetua facultate cappellas, ecclesias, basilicas quascumque, ubique terrarum sitas sibi aggregandi iisque proinde peculiares indulgentias communicandi. Talis vero aggregatio fit a Capi-

tulo eiusdem Archibasilicae, diplomate ab ipso misso singulicis aggregationem petentibus per eorum rectores aut parochos, cum commendatione Ordinarii loci, aut per ipsos Ordinarios. Praedictum Indultum concedi solet ad quinque annos soluta aliqua taxa, quae in sequentibus renovationibus minuitur.

Indulgentiae autem quae sacellis, ecclesiis, basilicis sic aggregatis communicantur ita in Const. *Iam recolendae* describuntur: Indulgentia plenaria diebus festis Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae, Transfigurationis, Paschatis et Ascensionis D. N. Iesu Christi; Pentecostes; Dedicationis Archibasilicae Lateranensis; Immaculatae Conceptionis, Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis et Assumptionis B. M. Virginis; Nativitatis et Decollationis S. Io. Baptistae; S. Ioseph (19 martii et feria IV hebdomadae II post Pascham); SS. Apostolorum Petri et Pauli nec non S. Io. Ap. et Evangelistae, assuetis sub conditionibus lucrandae; tum Indulgentiae stationales prima Dominica Quadragesimae, Dominica Palmarum, Feria quinta Hebdomadae Maioris, Sabbato Sancto et Sabbato in Albis, Feria III Rogationum et Vigilia Pentecostes statuto modo acquirendae; tum denique partialis trium annorum Indulgentia, quam christifideles cappellam vel ecclesiam vel basilicam, uti supra aggregatam, pie visitantes, saltem corde contrito adipisci poterunt.

De quo magno Indulgentiarum thesauro perplurimis fidelibus facillime aperto ipsi certiores convenienter fient per aliquam tabellam in loco patenti ecclesiae aut sacelli aggregati positam; quo sine dubio et frequentiores ad ecclesiam confluent et ad vitam vere christianam ducendam magnopere iuvari poterunt.

Ioannes M. Restrepo Restrepo, S. I.

5 - Suprema Sacra Congregatio S. Officii Decretum 12 dec. 1939

(*AAS* XXXII [22 ian. 1940] p. 24)

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii habito Feria IV, die 29 novembris 1939, proposito dubio:

An devotionis formas, vulgo, « Devozione all'Amore annientato di Gesù », et « Rosario delle Santissime Piaghe di Nostro Signor Gesù Cristo » inter fideles fovere liceat.

Eminentissimi ac Revmi Patres D.ni Cardinales rebus fidei ac modum tutandis praepositi, etiam prae oculis habito Decreto diei 26 maii 1937, « De novis cultus seu devotionis formis non introducendis deque inolitis in re abusibus tollendis » (*Acta Apostolicae Sedis*, 1937, p. 304) respondendum decreverunt:

Non licere.

Et Feria V, die 7 dec. 1939, SS.mus D. N. Pius Divina Providentia Papa XII, in Audientia Exc.mo ac Rev.mo Domino Adsessori Sancti Officii impertita, relatam Sibi Em.orum Patrum resolutionem adprobavit, confirmavit, et publicari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Officii die 12 dec. 1939.

ROMULUS PANTANETTI
Supr. S. Conr. S. Officii Notarius

Annotatio

Devotio primo loco designata, a piae monialis « revelationibus » ortum duxit, et ab aliquot annis in Belgio praesertim, est divulgata. Scidula eius propagationi destinata, quam prae oculis habemus, Lovanii anno 1937 im-

pressa, trium Episcoporum necnon unius Eminentissimi Cardinalis Archiepiscopi praesefert approbationes. Et sane notandum est S. Officii decretum nec contra devotionem ipsam doctrinalem ferre condemnationem nec ullam admovere suspicionem contra piam eiusdem inspiratricem. Citatio decreti 26 mai. 1937 (*AAS* XXIX, p. 304; *Periodica* XXVI, p. 468) « de novis cultus seu devotionis formis non introducendis, etc. » innuere videtur rationem prohibitionis intra sapientis prudentiae fines contineri.

Altera devotio, sc. Rosarium Sanctorum Vulnerum D. N., ab alius monialis scriptis traxit originem, itemque prohibitio propagationis contra auctricem nullam suspicionem movet. Devotio in hoc consistis, ut ad singulos Rosarii calculos oratio quaedam aliunde iam indulgentia ditata recitetur; initio et fine vero, alia oratio non item locupletata. Quae precationes profecto decreto nostro nequaquam interdicuntur. Scida huius devotionis continet quidem nonnullas sic dictas « revelationes et promissiones » quae, expressione saltem, admirationem quandam movere possint. Sedulo distinguenda a devotione cuius propagatio vetatur est alia prorsus, sc. Rosarium Quinque Vulnerum D. N., cuius benedictio Supremo Moderatori PP. Passionistarum reservatur. Quod, ut planum est, intactum manet.

T. L. B.

6 - Sacra Congregatio Consistorialia Index Facultatum, 8 dec. 1939

(*AAS* XXXI [22 dec. 1939] p. 710 ss.)

INDEX FACULTATUM

quae a Sanctissimo Domino nostro Pio Divina Providentia Papa XII Vicariis castrensibus seu Cappellanis maiori-

bus, quocumque vocantur nomine, in omnibus nationibus aut regionibus in quibus status belli aut militum ad arma convocatio adest vel forte aderit, concedunter, habitualiter subdelegandae suis cappellanis militaribus aliisque, si velint, sacerdotibus utriusque cleri ratione militiae sibi subditis, dummodo idoneis et dignis, in favorem tum ipsorum sacerdotum et clericorum tum militum aliorumque fidelium exercitum terrae, maris et aëris comitantium, atque perdurante praesenti bello dumtaxat valiturae:

1. Sacrum bis litandi diebus dominicis aliisve festis de praecepto et, urgente necessitate conficiendi nempe SS.mam Eucharistiam in communem utilitatem, etiam diebus ferialibus servatis rubricis et ieiunio.

2. Litandi Sacrum loco honesto atque decenti, etiam sub dio et in navi, remoto quovis irreverentiae periculo iustaque de causa, servatis vero cautelis, quoties Missa litatur sub dio, ad impediendam fragmentorum SS.mae Eucharistiae dispersionem causa ventorum, ad hoc adhibito tentorio ad tria latera altaris descendente.

3. Gaudendi personali indulto altaris privilegiati, quoties Missae sacrificium in suffragium animarum illorum, qui in bello ceciderunt, applicant.

4. Legendi diebus dominicis et festis Domini Missam *de SS.ma Trinitate;* per Octavam Paschalem Missam Dominicae Resurrectionis; aliis vero festis duplicibus I et II classis Missam *de Beata Maria Virgine,* pro diversitate temporis adsignatam; in unoquoque casu cum *Gloria* et *Credo,* addita oratione *tempore belli;* reliquis autem diebus vel enunciatam Missam *de Beata Maria Virgine* cum oratione *tempore belli,* vel Missam *tempore belli* cum oratione *de Sancta Maria,* vel Missam *de Requie.*

Quod si Missam celebrare maluerint festi vel feriae currentis et paramenta coloris ritui respondentis praesto non sint, liceat uti paramentis albi coloris.

5. Benedicendi paramenta necnon utensilia ad sacri-

ficium Missae necessaria, quando sacra unctio non exquiritur.

6. Adhibendi formulam breviorem cum renovanda sit consecratio altaris portatilis.

7. Celebrandi Missam absque ministro inserviente, si hic haberi nequeat.

8. Omittendi « Passionem » diebus quibus legi oporteat, recitando loco Evangelii ultimam tantum partem Passionis, et Dominica Palmarum Evangelium Benedictionis Palmarum.

9. Adhibendi formulam breviorem Benedictionis Palmarum, recitando scilicet orationes « Petimus », « Deus qui dispersa », « Deus qui olivae ramum » (hic benedicuntur et distribuuntur rami) et in fine orationem « Omnipotens ».

10. Celebrandi Missam feria V in Coena Domini.

11. Peragendi feria VI in Parasceve sacros ritus, incipiendo tamen a detectione Crucis et, Ss. Speciebus ad altare delatis, Missam prosequendo incensationibus omissis.

12. Permittendi ut in sacellis militibus destinatis etiam in navibus, loco tamen apto et decenti, sub peculiari vigilantia capellani militaris, SS.mae Eucharistiae Sacramentum adservetur, dummodo altare in quo ciborium collocabitur sit decenter instructum et sacra supellectili sufficienter praeditum, ibidem Missae sacrificium semel saltem in hebdomada celebretur, eiusdem ciborii clavis caute custodiatur, lampas coram Sanctissimo indesinenter collucescat et Sacrae Species frequenter iuxta rubricas renoventur.

13. Excipiendi sacramentales confessiones omnium fidelium, qui in exercitu militant vel exercitui quovis modo sunt addicti, captivorum, si forte et ipsi in captivitate sint detenti, et, in locis bellici territorii tantummodo, omnium fidelium ad se accedentium, eosque absolvendi ab omnibus casibus et censuris quomodocumque reservatis, iniunctis de iure iniungendis, cum onere tamen intra semestre ab absoluto bello ad Sacram Poenitentiariam pro manda-

tis sub poena reincidentiae recurrendi, si de censuris specialissimo modo Sedi Apostolicae reservatis atque de illa, de qua in Decreto S. Poenitentiariae « Lex sacri caelibatus » diei 18 aprilis 1936 agatur. Haec autem valeant etiam pro absolutionibus impertiendis, de quibus infra n. 14.

14. Imminenti aut commisso praelio:

a) meminerint sacerdotes se, licet ad confessiones non adprobatos, facultate gaudere omnes milites immediate ante praelium vel in praelio dimicantes, prout in mortis periculo constitutos, absolvendi, particulari quidem absolutione, a quibusvis peccatis et censuris, iniunctis de iure iniungendis;

b) liceat iisdem sacerdotibus absolvere a quibusvis peccatis et censuris quantumvis reservatis et notoriis, generali formula seu communi absolutione, absque praevia orali confessione, sed doloris actu debite emisso, quando sive prae militum multitudine sive prae temporis angustia singuli audiri nequeant, eosque ita absolutos, ad S. Mensam Eucharisticam, per modum Viatici, admittere. Ne omittant vero poenitentes docere absolutionem ita receptam non esse profuturam, nisi rite dispositi fuerint, eisdemque obligationem manere integram confessionem suo tempore peragendi;

c) liceat denique impertire Benedictionem Apostolicam cum Indulgentia plenaria hac formula: « *Ego, facultate mihi ab Apostolica Sede tributa, Indulgentiam plenariam et remissionem omnium peccatorum vobis concedo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen* ».

Quoniam vero occasione belli ipsae civitates, quae liberae seu apertae vocantur, aëreis incursionibus expositae inveniuntur, ne christifideles religionis subsidiis in vitae discrimine destituantur, liceat sacerdotibus, instante mortis periculo durantibus praefatis incursionibus, eosdem a quibusvis peccatis et censuris reservatis et notoriis, etiam formula generali eadem ratione de qua sub n. 14 absol-

vere, eisdemque impertire Benedictionem Apostolicam cum Indulgntia plenaria de qua supra.

15. Adhibendi, in administrando Baptismate adultis, formulam pro parvulis adsignatam.

16. Concedendi infirmis ut SS.mam Eucharistiam quotidie recipere possint etiamsi aliquam medicinam vel aliquid per modum potus antea sumpserint.

17. Reducendi divinum Officium aut illud commutandi, quando ob aliquod legitimum impedimentum recitari nequeat, in alias pias praeces iuxta rerum adiuncta praescribendas.

18. Dispensandi super lege ieiunii et abstinentiae.

19. Concedendi ut praeceptum paschale adimpleri possit toto anni tempore.

20. Benedicendi unico signo crucis et gratis quocumque titulo:

a) obiecta pietatis eisque applicandi Indulgentias Apostolicas, necnon coronis eas, quae a S. Birgitta nuncupantur;

b) coronas iuxta typum coronarum SS.mi Rosarii B. M. V. confectas, eisque adnectendi Indulgentias a Patribus Crucigeris nuncupatas;

c) Crucifixos eisque applicandi sive sacrae *Viae Crucis* Indulgentias pro legitime impeditis a visitandis eiusdem *Viae Crucis* stationibus, sive Indulgentiam plenariam a quocumque ex fidelibus in mortis articulo constitutis lucrandam.

21. Ditandi numismata ad hoc praescripta singulis scapularium benedictionibus ita ut eadem deferentes gratias et Indulgentias lucrentur scapularium, quin haec ex panno confecta prius receperint.

Ut vero etiam fidelibus, qui captivi sive apud exercitum sive apud civitates detinentur, pro viribus auxilium et solacium afferatur, quae Benedictus XV f. r. superiore immani bello opportune statuerat, ab Augusto Pontifice iterum praescribuntur fideliterque exsequenda mandantur.

Quapropter:

1. Ordinarii dioecesani et Vicarii castrenses seu Cappellani maiores, sub quorum iurisdictione captivi inveniuntur, quamprimum sacerdotes eligant ut curam captivorum gerant, unum aut pro necessitate plures eorum linguae satis peritos; quos, si nullum habeant intra dioecesis suae fines, ab aliis Ordinariis mutuentur. Hi vero libenter idoneos suppeditent.

2. Sacerdotes ad id munus electi nihil reliqui faciant quod ad captivorum utilitatem tum animi tum vitae corporisque pertineat; consolentur, assideant, a necessitatibus variis iisque interdum acerbissimis — allevent.

3. Exquirant praesertim et percontentur, utrum litteris an alio modo, captivi familias de se certiores fecerint. Quod si negaverint se fecisse, suadeant, ut saltem apertas chartulas tabellarias (vulgo *cartes postales, Postkarten, Post cards*) statim mittant, quibus suos de propria valetudine doceant.

4. Verum, si captivi aut imperitia scribendi aut ex morbo vel accepto vulnere, aut quavis alia de causa, a simili litterarum commercio prohibeantur, sua ipsi manu delecti sacerdotes, eorum vice ac nomine, caritate permoti, scribant, et diligenter studeant — opem, si casus ferat, ab Apostolicae Sedis Legatis petentes ut epistolae eo tute perveniant quo destinantur.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die 8 Decembris 1939.

Fr. R. C. Card. Rossi, *a Secretis*

L. ✠ S.

V. Santoro, *Adsessor.*

7 - Sacra Congregatio de Propaganda Fide Instructio 8 dec. 1939

CIRCA QUASDAM CAEREMONIAS ET IURAMENTUM SUPER RITIBUS SINENSIBUS

(*AAS* XXXII [22 ian. 1940] p. 24 ss.)

Plane compertum est in Orientalium Regionibus nonnullas caeremonias, licet antiquitus cum ethnicis ritibus connexae essent, in praesentiarum, mutatis saeculorum fluxu moribus et animis, civilem tantum servare significationem pietatis in antenatos vel amoris in patriam vel urbanitatis in proximos.

Quapropter hoc S. Consilium Christiano Nomini Propagando, Summo Pontifice Pio XI f. r. approbante, novas super hac re annis 1935 et 1936 impertiit Ordinariis Manciuriae et Imperii Iaponici, iuxta can. 22, normas hodiernis rerum adiunctis magis congruentes.

Nuper vero E.mi Patres eidem S. Consilio Christiano Nomini Propagando praepositi, in generali consessu, die 4 vertentis mensis Decembris celebrato, consideraverunt an aliis quoque in locis, ubi similes rerum adiunctorum mutationes decursu temporum advenisse constaret, similis agendi ratio admittenda esset.

Argumentis itaque hinc inde attente perpensis, prudentium atque experientium virorum sententia exquisita, iidem E.mi Patres, quae sequuntur censuerunt esse declaranda:

1. Cum Sinense Gubernium pluries aperteque enuntiaverit omnibus esse liberum quam malint religionem profiteri et alienum esse a sua mente de rebus religiosis leges aut iussa edere; ideoque caeremonias, quae in honorem Confucii a publicis Auctoritatibus sive peraguntur sive iubentur, non fieri animo tribuendi religiosum cultum, sed

hunc solum in finem ut foveatur et expromatur in virum clarissimum dignus honor et in traditiones patrum debitus cultus: licitum est catholicis adesse actibus honoris, qui ante Confucii imaginem vel tabellam, in monumentis confucianis vel in scholis perficiuntur.

2. Ideoque non habendum est illicitum imaginem Confucii, vel etiam tabellam eius nomine inscriptam, in scholis catholicis collocari, praesertim si Auctoritates id iusserint, aut eam capitis inclinatione salutare. Si quando timeatur scandalum, declaretur recta catholicorum intentio.

3. Tolerandum ut catholici magistratus et alumni, si publicis caeremoniis adsistere iubeantur quae speciem praeseferant superstitionis, intersint quidem, dummodo, ad mentem can. 1258, passive se habeant signaque illius tantum obsequii faciant, quod ut mere civile iure haberi possit; declarata, ut supra, sua intentione, si quando hoc necessarium apparuerit ad falsas interpretationes sui actus removendas.

4. Inclinationes capitis atque aliae civilis observantiae manifestationes ante defunctos vel defunctorum imagines, et etiam ante tabellam defuncti, simplici nomine inscriptam, uti licitae et honestae habendae sunt.

Considerantes praeterea iidem E.mi Patres iuramentum super ritibus sinensibus a Summo Pontifice Benedicto XIV per Constitutionem *Ex quo singulari* diei 11 Iulii 1742 omnibus sacerdotibus « in Sinarum Imperio aliisque ei conterminis sive adiacentibus Regnis ac Provinciis » imperatum, non plene congruere cum recentibus normis ab hac S. Congregatione datis, atque insuper idem iuramentum nunc temporis uti disciplinare instrumentum omnino esse superfluum, cum notum sit antiquas de ritibus sinensibus controversias esse pacatas, et, ceterum, missionarios et alios sacerdotes nulla indigere iuramenti coactione ut promptam filialemque praestent S. Sedi obedientiam: censuerunt dispensandum esse ab obligatione illius iuramenti, ubicumque, sive in Sinis, sive alibi illud in usu

esset; firmis manentibus ceteris praescriptis Summi Pontificis Benedicti XIV, quatenus recentioribus Instructionibus non sint immutata, prae primis prohibitione super ritibus sinensibus disputandi.

Quam Em.orum Patrum sententiam, SS.mo Domino Nostro Pio Prov. Div. Papae XII, ab infrascripto Cardinali huius S. Congregationis de Propaganda Fide Praefecto, in audientia diei 7 mensis Decembris relatam, Sanctitas Sua in omnibus dignata est approbare et ratam habere.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, die 8 mensis Decembris A. D. 1939, in festo Conceptionis Immaculatae B. M. V.

PETRUS CARD. FUMASONI BIONDI, *Praefectus*.

L. ✠ S.

CELSUS COSTANTINI, Archiep. tit. Theodos., *Secretarius*.

Annotationes

Paucas et concisas in facto et in iure notulas huic gravissimo documento afferre, pro modesto scopo nostro sufficiat.

1. *Notae historicae*:

a) Confucius, praestantissimus Sinarum philosophus (551-479 ante Christum), libros classicos suae nationis, quorum nonnulli a millennio ante Christum scripti erant, ita recognovit et emendavit ut per duo millennia fere cum dimidio totum Sinarum patrimonium intellectuale ac philosophicum in se suisque operibus quasi recondiderit — quod est factum forte unicum nec ullibi in aliarum gentium historia duplicatum. Usque ad recentes annos (1905) nemo apud Sinenses sive magisterii sive magistratus curriculum aggredi poterat nisi post longas arduasque probationes super maximi huius magistri doctrina. Quibus superatis, mirum non est quod optimates Sinenses grato animo hono-

res Confucio consuetos ubique servarunt atque promoverunt. Praestiti honores vero formas externas pro Orientalium moribus induerunt. Templa ubique in honorem Confucii excitata instar sunt statuarum aliorumque monumentorum, quae passim apud Occidentales doctis vel fortissimis viris eriguntur.

b) Attamen, qui in usu erant actus externi, etsi in se honoris mere civilis fines non excedebant, adeo cultus religiosi speciem appropinquabant ut, Occidentalibus praesertim, quibus lateret intima morum Orientalium ratio, scandali occasionem facile praebere possent. Unde varia prodierunt documenta pontificia ad eorum disciplinam pro temporum et personarum adiunctis definiendam; quorum praecipuum est Constitutio Benedicti XIV, *Ex quo singulari*, 11 iul. 1742.

c) A saeculo autem XVIII ad nostra tempora, variae causae effecerunt ut Confucii cultus vel speciem stricte religiosae observantiae penitus exueret. Ab anno 1905 abrogata sunt examina super Confucii doctrina, quae unica fuerant via ad honorum curriculum; nationum exterarum litterae ac scientiae magis coli incoeptae sunt; influxus iuvenum qui in laicis Europae et Americae universitatibus studia peregerunt, laicismi, irreligionis, imo atheismi efficaciter induxit fermenta. Qua eventuum conspiratione factum est ut sic dictus « cultus » Confucii magis in dies tamquam mere civilis observantia ab omnibus agnosceretur. Bonae notae auctor Catholicus, iam anno 1925 scribere potuit: « Non est ratio dubitandi quin in honoribus Confucio tributis nonnisi cultus profanus exerceatur, licet eius celebratio, saltem ex parte, talis sit qualis nostris consuetudinibus non correspondet ». (Grentrup, *Ius missionum* I, p. 153).

d) Similis evolutio occurrit circa « cultum » defunctis exhibitum, qui non est nisi magis universalis applicatio eiusdem Orientalis sensus, qui Confucii honoribus ortum dederat. Nempe, sive ex filiali pietate, sive ex patriae amo-

re, sive demum ex urbanitate, honores iuxta populi mores, primo parentibus et cognatis, dein Imperatori, magistratibus, primoribus, amicis tribuuntur. Qui honores, quamdiu erga viventes tantummodo personas exhibentur, nullam praeseferunt superstitionis speciem: statim autem ac defunctis praebentur, coram Europaeis, qui Orientalium mentem non perspiciunt, cultus superstitiosi timorem mirum in modum excitant. Quodsi actus externi, quibus Sinensium urbanitas filialisque pietas, non tantum erga viventes sed eadem ratione erga defunctos se produnt, sicut genuflexiones, prostrationes, etc., a moribus Europaeis sunt longe alieni, revera tamen civilis observantiae limites haud transgrediuntur, maxime si attendatur morum evolutio, quae defunctorum perinde ac Confucii « cultum » sensim immutavit.

2. *Quaedam testimonia auctoritatis civilis.* Iuvat de factis supra expositis pauca recolere testimonia civilia, ex iis quae vel satis notoria sunt vel in documentis ecclesiasticis sunt comprobata.

a) Nota est Constitutionis Reipublicae Sinensis (1912) declaratio, « omnes cives libertate religiosa gaudere ». Occasione restaurationis honorum erga Confucium, qui post revolutionem anni 1911 in desuetudinem abierant, decretum 25 sept. 1914 explicite declarabat: « Sinenses Confucium ut exemplar aestimant ac reverenter colunt; at honor erga Confucium res religiosa non est ». Accessit declaratio officialis diei 14 mai. 1917, quod, « Reipublicae Sinensis cives liberi sunt ad honores Confucio praestandos et ad propriam eligendam religionem, inter fines legibus statutos » (Cf. *L'Osservatore Romano,* 17 dec. 1939).

b) In novo regno Manciuriae, ubi ab initio Confucii doctrina fuit acceptata eiusque cultus modo traditionali instauratus, in Epistola 5 mai. 1935 ad Excellentissimum Dominum A. Gaspais, Vicarium Apostolicum de Kirin inscripta, Cultuum Directio asseveravit: « caeremonias in

honorem Confucii peractas absolute nullam habere religiosam indolem ». (Cf. Epistolam S. C. de Prop. Fid., 28 mai. 1935, in *Periodica*, XXVI, p. 96).

c) Mense maii 1934, postridie quam Delegatus Apostolicus, Excellentissimus Dominus Zanin, primores magistratus Nankinenses visitaverat, Minister Rerum Exterarum declaravit: « Confucii doctrina, theologiae expers, doctrinalem infallibilitatem nequaquam praedicat, neque proprie religio est, sed potius philosophica disciplina ». (Cf. *L'Osservatore Romano*, 17 dec. 1939).

d) Analoga sane, at minime cum supra allatis confundenda, sunt testimonia auctoritatis civilis in Imperio Iaponico de charactere mere civili observantiae quae a scholarum alumnis requiritur in visitandis templis nationalibus, « Jinja » (Cfr. Instructionem S. C. Prop. Fid. 26 mai. 1936; *AAS* XXVIII, p. 406; *Periodica* XXVI, p. 103, cum annotationibus P. CHARLES).

3. *Documenta ecclesiastica.* Documenta quae in proëmio praesentis Instructionis commemorantur sunt duo quae sequuntur:

a) Epistola S. C. Prop. Fid. 28 mai. 1935, qua Sacra Congregatio approbavit resolutiones Ordinariorum Manciuriae de variis casibus cooperationis ex parte fidelium sive in honoribus Confucio exhibendis sive in observantia erga defunctos. Ista Epistola in commentario officiali *AAS* non prodiit; sed legi potest, simul cum resolutionibus Ordinariorum, in *L'Oservatore Romano* 2 iul. 1936, vel in his *Periodicis* XXVI, pp. 87-103, ubi adiicitur commentarium P. CHARLES.

b) Instructio S. C. Prop. Fid. 26 mai. 1936 ad Exc.mum Delegatum Apostolicum in Iaponia circa Catholicorum officia erga patriam. Prodiit in *AAS* XXVIII (1936) p. 406, et in *Periodica* XXVI (1937) p. 103. Agitur de observantia civili auctoritate praescripta in templis nationalibus (Jinja) et de assistentia fidelium funeribus, matrimo-

niis etc. ubi privati ritus more Iaponensium exsequuntur. Tamquam complementum et occasio huius Instructionis 26 mai. 1936, legi etiam debet Instructio Delegati Apostolici in Iaponia ad Superiores institutorum et congregationum religiosorum Iaponiae, diei 8 dec. 1935. Cfr. *Periodica* XXV (1936), p. 88, cum annotationibus ad p. 105.

4. *Notanda de praesenti Instructione*:

(1) *Facta et principia. a*) Nova adiicitur confirmatio ex parte summae auctoritatis ecclesiasticae, testimoniorum de facto, sc. de indole pure civili honorum qui in Sinis Confucio et defunctis tribuuntur. « Plane compertum est... ».

b) Ex facto ita stabilito deducitur et explicite proponitur logica sequela, tales actus esse in se licitos et honestos.

c) Tolerandum ut catholici magistratus et alumni, si publicis caeremoniis adsistere iubeantur *quae speciem praeseferant superstitionis*, intersint quidem, dummodo, *ad mentem can.* 1258, *passive se habeant* signaque illius tantum obsequii faciant, quod ut mere civile iure haberi possit; declarata, ut supra, sua intentione, si quando hoc necessarium apparuerit ad falsas interpretationes sui actus removendas.

(2) *Abrogatio iuramenti super ritibus Sinensibus.* Mentio obligationis istius iuramenti occurrebat etiam in recentissimis documentis annorum 1935 et 1936 quae in proëmio citata sunt. Praesens Instructio obligationem explicite abrogat revocatione quae aeque late patet ac originale praeceptum, ut erui potest ex citatis verbis Constitutionis *Ex quo singulari*, « in Sinarum Imperio aliisque ei conterminis sive adiacentibus Regnis ac Provinciis ». Cetera citatae Constitutionis praescripta, quatenus recentioribus non sint immutata, in vigore permanent, et nominatim prohibitio super ritibus Sinensibus disputandi.

(3) *Conclusio.* Quotquot sunt quibus cordi est Fidei apud Orientales propagatio, totidem opportunissimo hoc

documento laetabuntur. Namque in Christiano Nomine apud infideles propagando duo actionis et regiminis principia tamquam praestantissima praedicari possunt: primum, iam tot pontificiis documentis firmatum, ut clerus indigena adaequate formatus etiam ad ecclesiasticam hierarchiam promoveatur; alterum, ut populorum mores in quantum fidei et moribus Christianis non positive adversentur, iis incolumes serventur. Utrumque principium roboris incrementum accepit ex Encyclicis Litteris, *Summi Pontificatus*. Nobilissima verba recolere iuvat:

De clero indigena: « Ac pro certo habeant omnes, quotquot cuiusvis originis vel sermonis catholicam amplectuntur Ecclesiam, sese in hac communis Patris domo, in qua Iesu Christi lege ac pace fruuntur omnes, ipsissima habere filiorum iura. Etenim ut hae aequabilitatis normae ad effectum pedetentim deducantur, ex indigenarum gentibus lectissimi seliguntur viri, qui sacerdotum episcoporumque ordines gradatim apud suos adaugeant. Eaque de causa, ut videlicet mentem hanc Nostram exemplo demonstremus, volumus in proximo Iesu Christi Regis festo sacerdotes duodecim, qui suas cuiusque stirpium populorumque quodammodo personas gerant, ad Apostolorum Principis sepulcrum episcopali ornare dignitate ».

Et de altero principio, cuius praesens S. C. Prop. Fid. Instructio, a Summo Pontifice approbata, non est nisi praeclara applicatio: « Qui quidem divini verbi praecones, innumeris pervestigationibus per temporum decursum summo labore summoque studio habitis, civilem enisi sunt variarum gentium cultum earumque instituta satius digniusque agnoscere, atque sua ipsarum animi ornamenta ac dotes ita colere ac provehere, ut faciliora inibi atque uberiora Iesu Christi evangelium incrementa caperet. Quidquid in populorum moribus indissolubili vinculo superstitionibus erroribusque non adstipulatur, benevole nullo non

tempore perpenditur ac, si potest, sartum tectumque servatur » [1].

T. Lincoln Bouscaren S. I.

8 - S. Congregatio Rituum
Decretum 4 ian. 1939

(Cfr. textum *AAS* XXXI, p. 174; *Periodica* XXVIII, p. 275)

Annotationes

Hoc decretum, prout in eius praeambulo dicitur, naturale est complementum ad *Motu proprio* Pii XI, die 6 februarii 1930 datum (*AAS*, XXII, 87-88; *Periodica*, XIX, p. 173), quo constituebatur Sectio historica S. Congregationis Rituum eiusque munus definiebatur, in tractandis Causis Beatificationis « historicis seu antiquis », iis scilicet in quibus de Virtutibus vel Martyrio Servorum Dei nullum de visu testimonium iuridice excipi potuit. Hoc enim *Motu proprio* unice agebat de iis quae circa has causas ab ipsa Sancta Sede tractantur post decretam alicuius causae Introductionem apud S. Congregationem Rituum: loco nempe instituendi Processus Apostolici de Virtutibus vel Martyrio, cura committitur Sectioni Historicae inquirendi et examinandi documenta quibus iuxta can. 2020, § 6, suppleri possunt in hoc casu testes de visu vel de auditu a videntibus.

Sed nihil mutatum erat circa modum quo in iisdem Causis historicis ab Ordinario conficiendus erat Processus informativus praevius ad Introductionem Causae; nec

[1] Pius XII, Encyc., *Summi Pontificatus*; *AAS* XXXI, p. 429. Cfr. de toto argumento etiam duos articulos, qui, postquam haec scripsimus, in *La Civiltà Cattolica* prodierunt, auctore P. M. D'Elia, S. I., cui specialis competentia est in Sinensium philosophia. *La Civiltà Cattolica*, 20 gennaio et 3 febbraio, 1940.

pauca inde oriri incommoda mox experientia docuit: multum augebatur labor Sectionis Historicae quae plerumque supplere debebat inquisitionem documentorum vel omissam, vel incomplete peractam, et tamen longe facilius peragendam in locis ubi vixerant Servi Dei; in tabulis autem Processus Informativi multi testes facta unice afferebant ex iis quae legerant in vitis manuscriptis vel etiam impressis Servorum Dei, semper eadem repetendo quin ulla auctoritas maior inde adderetur testimonio documentorum unde omnia desumpta erant, immo contra, ita ut hac repetitionum mole obruerentur ea quae vere utilia et nova ab aliquibus afferrentur. Eadem vero experientia maximum patebat commodum habitum quando, ut in aliquibus causis feliciter evenit, collectio documentorum proponebatur iam completa et accurata crisi probata, ita ut statim Commissio Historica omnia necessaria elementa haberet ad iudicium suum tuto ferendum.

Quapropter hodierno Decreto praecipitur ut, circa has Causas historicas, Ordinarii via procedant simili, proportione servata, ei quam nunc tenet Sancta Sedes in iisdem tractandis. Ideoque primo constituenda Commissio historica trium membrorum qui, sicut ipsa Sectionis Historicae membra, homines esse debent in studiis historicis vere competentes et ut tales a paribus agniti, ideoque non tantum viri valde eruditi, sed etiam circa inquisitionem et criticam fontium periti. Cuius Commissionis primum munus erit colligere omnia quotquot inveniri poterunt documenta scripta, impressa, figurata vel cuiusvis alius generis quibus illustrari possunt vita, virtutes vel martyrium Servi Dei, necnon fama sanctitatis aut cultus ipsi ab antiquo tributus; quod munus pertinet non ad singula membra, sed ad ipsam commissionem « in solidum ». Ubi autem agitur de aliquo religioso duo membra Commissionis extranei debent esse familiae eius religiosae; at non dicitur « duo saltem », nam in hoc casu evidens ratio postulare videtur ut tertium

membrum ex hac familia desumatur, cum inde multum iuvari possit dicta inquisitio et collectio.

Notandum insuper, in duplici Processu ordinario de Scriptis Servi Dei et de fama sanctitatis et virtutum vel martyrii, tria membra Commissionis supra dictae obligatorio modo audiendi sunt tanquam testes ex officio, et ut tales debent, postquam investigationes a se factas descripserint, singuli iurare se investigationes omnes fecisse sibi possibiles et omnia collegisse « quae ad Servum Dei quomodocumque referri possint ». Tandem interrogandi erunt circa authenticitatem et valorem seu auctoritatem singulorum documentorum vel textum allatorum; et hic, ut videtur, ab eis non petitur collegiale iudicium, de hac authenticitate et valore; facile enim fieri poterit ut circa aliqua documenta non idem sit singulorum iudicium et magni interest ut prae oculis habeantur haec varia iudicia cum eorum rationibus.

Documenta vero sic collecta omnia omnino in Processu inserenda sunt, vel in originali, vel in copia photographica aut authentice recognita; ubi clarum est quod, deficiente originali, copia photographica semper anteponenda erit; non pauca enim in photographia retinentur quae in transcriptione etiam accurate facta et authentice recognita desunt, et tamen studium ulterius Commissionis Historicae non parum iuvare possunt.

Ultimo tandem loco maximi momenti additur praescriptio ut ceteri testes in Processu informativo simpliciter omittant quaecumque norunt tantum ex aliquo documento, cum supponatur hoc documentum iam insertum fuisse in Collectione completa a Commissione coacta; inutiles sic vitabuntur repetitiones. Hoc tamen non impedit quominus hi testes dicere possint et debeant quae sunt ipsis nota et conferre possunt ad augendam vel minuendam auctoritatem alicuius documenti, vel quae etiam, in documento quidem contenta, sibi tamen per aliquam traditionem ab hoc documento independentem cognita sunt; ea tantum ex-

cluduntur in quibus integra testis scientía a documento pendet nec quidquam ipsi addit nisi mere personalem et subiectivam persuasionem de veritate documenti.

Haud levis certo inde paratur labor Ordinariis coram quibus tales causae historicae instruendae erunt, vel potius Commissionibus ab eis constituendis, sed non parvum etiam ipsis erit emolumentum si, Processu Informativo iuxta haec praescripta ad amussim confecto, causae illae apud Sanctam Sedem multo citius et multo facilius procedunt.

Iosephus De Guibert S. I.

9 - Pontificia Commissio ad Codicis canones authentice interpretandos Responsa 24 iul. 1939

Cfr. textum *AAS* XXXI, p. 321; *Periodica*, XXVIII, p. 337)

Annotationes

I - De episcopo proprio sacrae ordinationis

Duo sub hoc primo titulo inscribuntur dubia, quorum tamen primum potius ad incardinationem directe refertur.

Dubium I.[1]. Ratio dubitandi de primo fuit quod, dum canon 111 § 2 declarat, « per receptionem primae tonsurae clericus adscribitur seu, ut aiunt, *incardinatur* dioecesi pro cuius servitio promotus fuit, » canon 969 § 2 diversum effectum spectare videtur; edicit enim, « non prohibetur... Episcopus proprium promovere subditum, qui in futurum, praevia legitima excardinatione et incardinatio-

[1] **D. I. An laicus, qui a proprio Episcopo ad primam tonsuram promotus sit in servitium alius determinatae dioecesis de consensu huius Episcopi, huic dioecesi incardinatus sit ad normam canonis 111 § 2.**

R. Affirmative.

ne, servitio alius dioecesis destinetur ». Itaque canon 111, si applicatur candidato qui pro alia quam propria dioecesi promovetur, *immediatam alii dioecesi* incardinationem spectat; canon 969 e contra *propriae dioecesi* clericum *immediate* incardinari supponit. Quae difficultas occasio fuit dubii quod iam anno 1919 eidem Pontificiae Commissioni erat propositum. Quaesitum erat:

Utrum ille qui ordinetur a proprio Episcopo servitio alius dioecesis, incardinetur huic alii dioecesi iuxta canonem 111 § 2, an potius dioecesi proprii Episcopi iuxta canonem 969 § 2.

Et responsum est die 17 augusti 1919: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam. Cfr. *Periodica de re morali, canonica, liturgica,* XII (1923), p. 73.

Quod responsum publici iuris factum non est, praesenti autem responso et publice confirmatur et specificatur. Nam notabilia sunt addita verba praesentis dubii, quae in priori deerant, sc. « alius *determinatae* dioecesis, *de consensu huius Episcopi* ». His enim verbis clare innuitur distinctio, quae canones 111 et 969 inter se apprime conciliat, ut iam indicabat Vermeersch in annotationibus ad citatum responsum. Cfr. *Periodica,* XII (1923), p. 75. Nempe duplex distinguenda est collatio tonsurae pro alia dioecesi: prior, *ex communi consensu utriusque Episcopi* collata, quae, ad normam canonis 111 § 2, *immediatam alii determinatae dioecesi* incardinationem operatur; altera, *sine isto consensu* de clerici *immediata* translatione peracta, quae subditum *propriae dioecesi* incardinat, ita tamen ut, ad normam canonis 969 § 2, « *in futurum*, praevia legitima excardinatione et incardinatione, servitio alius dioecesis destinetur ».

Observes in hoc altero casu agi de alia dioecesi, quae ante ordinationem nondum est *iuridice determinata,* cum supponatur nondum accessisse Episcopi alieni consensus. Attamen, ad liceitatem ordinationis proprii subditi pro servitio alienae dioecesis, per se requiritur ut dioecesis

ad quam clericus destinatur sit saltem *in intentione Episcopi ordinantis quodammodo determinata,* vel saltem ut fundata spes affulgeat consensus alicuius Episcopi obtinendi quo clericus in futurum licite ab eo incardinari possit. Id exigunt iuris praescripta de requisito titulo ordinationis. Cf. c. 974 § 1, 7°; CAPPELLO, *De sacra ordinatione*, n. 336; VEERMEERSCH, in *Periodica* XII, p. 76.

Dubium II.[2] Alteram quoque responsum iam pridem eiusdem Pontificiae Commissionis responso privato erat saltem ex parte praeformatum. Nempe proposito dubio:

An ille qui promotus fuit ad primam tonsuram a proprio Episcopo, sed pro servitio alius dioecesis, cui eo ipso est incardinatus ad normam canonis 111 § 2 et responsi Pontificiae Commissionis diei 17 augusti 1919, ad 2, superiores ordines recipere debet a priore Episcopo, an potius ab Episcopo dioecesis cui rite iam incardinatus est, etsi studia theologica absolvere teneatur in alia dioecesi;

Responsum est: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam. Cfr. Responsum ad Episcopum S. Fidei in America Meridionali, 7 dec. 19331, in *Periodica* XXIII (1934) p. 189*.

Iamvero praesens responsum prioris transgreditur fines. Namque in priori dubio supponi poterat clericum iam alterum habere domicilium in dioecesi cui fuit per primam tonsuram incardinatus. At praesens dubium id minime requirit; quaerit enim an huius dioecesis Episcopus sit exclusive proprius ad ordinationem, « licet ipse (laicus ad primam tonsuram promotus) in eadem dioecesi domicilium nondum acquisiverit ». Et affirmativa responsione Commissio definitive negat necessitatem domicilii in dioecesi destinationis. E converso autem ordinatus in ca-

[2] D. II. An Episcopus dioecesis, in cuius servitium laicus ad primam tonsuram a proprio Episcopo promotus fuerit, illi iure proprio et exclusivo ordines conferre aut litteras dimissorias dare valeat ad normam canonis 955 § 1, licet ipse in eadem dioecesi domicilium nondum acquisiverit.

R. Affirmative.

su supponitur domicilium habere in loco ubi primam tonsuram accepit; nam dicitur *a proprio Episcopo* ad tonsuram promotus. Cfr. c. 956. Et, spectato canone 955 § 1, casus plane idem esset si non a proprio Episcopo sed cum legitimis eiusdem litteris dimissoriis fuisset ordinatus.

Quid autem dicendum foret si promovendus ad primam tonsuram nullibi domicilium haberet? Is qui domicilium non habet neque Episcopum habet proprium ad primam tonsuram conferendam; quasi-domicilium enim non sufficit. Id saltem aequivalenter docetur privata Pontificiae Commissionis responsione diei 17 augusti 1919, quae praeviam acquisitionem domicilii in loco ordinationis requirebat. Cf. *Periodica*, XII, p. 74. Et iste casus, ut passim notant auctores, facile occurrere potest, ut si, v. g. quis, « relicto domicilio suo, studia peragit in aliena dioecesi, pro servitio tertiae cuiuspiam dioecesis ». VERMEERSCH-CREUSEN, *Epitome Iuris Canonici*, ed. 5, II, n. 240. Ante Codicem, vi Instructionis Sacrae Congregationis Consistorialis, diei 24 nov. 1906, *Acta Apostolica Sedis*, II (1910), p. 105, permissa est concessio ab Ordinario litterarum « excorporationis » suo proprio subdito laico ita ut earum vi hic fieri valeret proprius Episcopi benevoli receptoris, et hoc titulo ad primam tonsuram ab eo promoveri posset. Codex autem illam provisionem quoad licitam primae tonsurae collationem non renovavit. Cfr. S. C. Conc., *Dioecesium N et X*, 10 mar., 1923, *Acta Apostolicae Sedis*, XVI (1924), p. 51; *Periodica* XIII, p. 93. Neque recens Pontificiae Commissionis responsum huic difficultati remedium attulisse videtur. Ad eius solutionem duo observanda veniunt: primum, domicilium originis servari praesumitur donec contrarium certo constet; dein, si certo constet ordinandum nullum habere domicilium, et illud in loco ordinationis - loquimur de prima tonsura — acquirere nequeat, putamus adhuc verum manere quod citati auctores de illo casu docent, sc. « restat ut per indultum apostoli-

cum provideatur ». Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *Epitome Iuris Canonici*, ed. 5, II, n. 240.

II - DE RELIGIOSORUM SAECULARIZATIONE [3]

Agitur de indulto sive exclaustrationis sive saecularizationis, quod ad normam canonis 638 dare potest « in religionibus iuris dioecesani etiam loci Ordinarius ». Quis autem est ille loci Ordinarius? Satis communiter auctores docent loci Ordinarium in hoc contextu significare Ordinarium in cuius dioecesi sita est domus cui religiosus erat adscriptus. Cf. VERMEERSCH-CREUSEN, *Epitome Iuris Canonici*, ed. 5, I, n. 798; MATTHAEUS A CORONATA, *Institutiones Iuris Canonici*, I, n. 640; CREUSEN, *Religieux et religieuses*, n. 275. Non requiri ut sit Ordinarius domus principalis, explicite docet SCHÄFER, *De religiosis*, n. 545.

Et quidem, si religiosus domui suae religionis manet adscriptus, etsi ad tempus a domo abest cum animo revertendi, ita ut moraliter, seu in communi aestimatione, reputetur ibi inhabitans, in domo *commorari* dici potest. Ideoque Pontificiae Commissionis responsum communiter acceptae doctrinae non contradicit. Semper competens erit Ordinarius loci in quo sita est domus cui religiosus adscribitur. At videndum est an responsum doctrinam hucusque receptam aliquatenus expandat. Quaeri potest nempe an in sequentibus casibus competens sit etiam Ordinarius loci *actualis commorationis*:

1. Religiosus *in domo suae religionis*, at in alia dioecesi ac illa ubi sita est domus ascriptionis, actu commoratur.

2. Religiosus in alia dioecesi *extra domum suae religionis* commoratur: *a*) sive cum permissione Superioris ob

[3] D. Utrum verba *loci Ordinarius*, de quibus in canone 638, designent Ordinarium loci commorationis religiosi, an Ordinarium loci domus principis.

R. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

gravem causam concessa pro absentia infra sex menses (c. 606 § 2); *b*) sive cum permissione eiusdem pro absentia ultra sex menses ratione studiorum (c. 606 § 2); *c*) sive cum permissione Sedis Apostolicae (c. 606 § 2).

3. Agitur de religioso *iam exclaustrato*, extra religiosam domum commorante, qui saecularizationis indultum obtinere cupit.

4. Religiosus extra domum commoratur tamquam *apostata aut fugitivus a religione* (c. 644 §§ 1, 3).

Ut statim de hoc ultimo casu dicamus, neganda est competentia Ordinarii loci commorationis. Nam, cum religiosi commoratio hoc in casu sit plane illicita, absonum prorsus est ut indultum concedatur.

In ceteris casibus supra allatis, dummodo agatur de *vera commoratione* (per modum *habitantis*, non autem mere *visitantis* aut *itinerantis*), censemus Ordinarium habere competentiam. Quaestio non est illa, obscuritatis haud expers, de religiosi *domicilio* aut *quasi-domicilio*, sed de eius *commoratione*. Porro commoratio per se neque animum manendi ad definitum tempus neque mansionem diu protractam requirit. Et Pontificiae Commissionis verba, cum plenam vim legis habeant (c. 17 § 2), secundum propriam significationem in textu et contextu consideratam intellegantur oportet (c. 18).

III - De habitu et insignibus confraternitatum [4]

Procul dubio confraternitas in textu canonis 714 et in proposito dubio sumitur in sensu stricto ut pia unio, ad modum organici corporis constituta, et in incrementum quoque publici cultus erecta, id est praeter alios quos forte habeat fines pios aut caritativos (c. 707). Constitutio ad

[4] D. An vi canonis 714 confraternitas de licentia Ordinarii loci immutare possit proprium habitum vel insignia, quin amittat iura et privilegia praesertim praecedentiae et indulgentiarum.
R. Affirmativae, salvis tamen legibus liturgicis.

modum organici corporis autem, inter alia secumfert etiam adoptionem distinctivi habitus, seu sacci ut olim vocabatur. Cfr. S. C. Ind., 25 aug. 1897, *Acta Sanctae Sedis* XXX (1897) p. 276, GASPARRI-SAREDI, *Codicis Iuris Canonici Fontes*, VII, n. 5129. *Habitus* (cc. 701 § 3; 714), *vestes particulares* (c. 703 § 3), *vestis propria* (c. 713 § 2) unum idemque significant; aliud e contra significant *insignia* (cc. 701 § 3; 706; 713 § 2; 714). « Habitus » ait MATTHAEUS A CORONATA, «-vocatur operimentum... quo tota vel fere tota tegitur persona. Insignia autem sunt aliquod signum externe delatum ad significandum tale collegium ad talem associationem pertinere... vel tales personas ad tale collegium. Introducta sunt insignia ad supplendum defectui habitus seu vestium. » *Institutiones Iuris Canonici*, I, n. 686.

Confraternitates « tunc solummodo ius praecedentiae habent, cum collegialiter incedunt sub propria cruce vel vexillo et cum habitu seu insignibus associationis » (c. 701 § 3). Et quia canon 714 declarat: « Confraternitas proprium habitum vel insignia, sine licentia Ordinarii loci, ne dimittat neve immutet », ortum est dubium an, vi huius canonis, confraternitas de licentia Ordinarii loci immutare possit proprium habitum vel insignia, quin amittat iura et privilegia praesertim praecedentiae et indulgentiarum. Haec de statu quaestionis sufficiant.

Quoad *praecedentiam* pronum est responsi rationem coniicere. Nam citatus canon 701 § 3 ius praecedentiae dependere facit quidem a delatione proprii habitus seu insignium, nequaquam vero illud ius adnectit habitui aut insignibus particularibus; proinde nec prohibet quominus in his fiat legitima immutatio. Canon 714 autem satis aperte immutationem permittit confraternitatibus, de licentia loci Ordinarii, et quidem, ut iam authentice constat, sine iuris praecedentiae amissione.

Quoad *indulgentias* dubitari poterat an mutatio ista noceret, quia in antiquis saltem confraternitatibus habitus iam distinctivus existebat quo tempore concessae sunt

indulgentiae. Sed ni fallimur analogia desumi potest ex iis quae declarata sunt de statutorum mutatione.

« Dummodo Sodalitas canonice erigatur, sodalesque adimpleant opera pro acquirendis indulgentiis ab Apostolica Sede praescripta, varietas partialis, seu generalis statutorum (quae ab Ordinario respectivorum locorum pro diversitate temporum et circumstantiarum erunt constituenda) non obest acquisitioni indulgentiarum, eo quod statuta sunt potius ad regimen, et ad rectam Sodalitatis administrationem data, minime vero tamquam iniuncta opera ad indulgentias lucrifaciendas: quod si nonnulli statutorum articuli aliqua peragenda opera sodalibus proponerent, quae ex Pontificia concessione ditata sint indulgentiis, ipsi tamquam essentiales habendi sunt, ut nullo modo variari possint ne tali spirituali emolumento sodales sint fraudati ». Cfr. S. C. Ind., 12 mai., 1843; *Decr. auth.* n. 320; Gasparri-Saredi, *Codicis Iuris Canonici Fontes*, VII, n. 5030.

Et auctor supra citatus: « Immo Ordinarius in erigenda associatione nec tenetur statuta a Sede Apostolica data servare; quia ei integrum est statuta nova condere pro associatione a se erecta licet sit eiusdem nominis ac archisodalitium a Sancta Sede erectum, cui nova associatio aggraganda erit ». Matthaeus a Coronata, *Institutiones*, I, n. 674, nota 2. Cfr. S. C. Ind. 22 aug. 1842, *Decr. auth.* n. 308 ad 2.

Si loci Ordinarius statuta immutare potest quin praeiudicium indulgentiis lucrandis afferat, quare non etiam habitum seu insignia mutare valeat, item sine praeiudicio indulgentiis? Sane quaestio non est de insignibus istis particularibus mutandis, ut scapulari vel corda, quorum gestationi indulgentiae speciali concessiones adnexae sunt. Horum enim sine essentiali mutatione gestatio est conditio specifice praescripta ad indulgentias lucrandas, ac proinde eorum forma essentialis ab Ordinario mutari nequit. Cfr. de forma essentiali scapularis, S. C. Ind., 18 aug. 1868; *Decr. auth.* n. 423.

« Salvis tamen legibus liturgicis ». Sapienter adiectum est istud incisum, quia Sacrae Rituum Congregationis decreta passim de cruce de intorticiis etc. mentionem habent in sacris ritibus ordinandis quibus interveniunt collegialiter confraternitates. T. Lincoln Bouscaren S. I.

APPENDIX AD MONUMENTA *

9 bis - Suprema Sacra Congregatio Sancti Officii Decretum 11 ian. 1940

(*AAS* xxxii [20 feb. 1940] p. 52)

In generali consessu Supremae S. Congregationis S. Officii, habito feria IV, die 10 ianuarii 1940, proposito dubio:

An inter acatholicos qui, iuxta decretum S. Officii diei 18 ianuarii 1928, in causis matrimonialibus agere prohibentur, connumerandi sint etiam apostatae a fide.

Em.mi ac Rev.mi D.ni Cardinales rebus fidei et morum tutandis praepositi, omnibus rite perpensis, respondendum decreverunt:

Affirmative.

Feria V, die 11 ianuarii 1940, SS.mus D. N. D. Pius, divina Providentia Papa XII, in audientia Exc.mo ac Rev.mo D.no Adsessori S. Officii impertita, relatam Sibi Em.morum Patrum resolutionem adprobavit, confirmavit et publicari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 15 ianuarii 1940.

Romolus Pantanetti.
Supr. S. Congr. S. Officii Notarius

* Postquam fasciculi nostri typis dispositi et partim etiam impressi erant, prodierunt haec decreta, quae ob rei momentum nullatenus praetermittenda esse duximus.

incapax redditur ad *generandum*, non vero ad *coeundum*, saltem quod ad externam speciem copulae peragendae attinet. Quaestio, an vir sterilizatus vasectomia bilaterali, totali, irreparabili impotens reddatur ad ineundum matrimonium ad normam can. 1068 § 1, Decreto non tangitur.

2. Decretum est de *sterilizatione directa*. Sterilizatio directa intelligitur ea quae non solum sterilitatem subiecti *efficit*, sed insuper in hunc effectum producendum ex natura actus, vel saltem ex intentione agentis *ordinatur* tamquam in proprium et immediatum terminum. In sterilizatione directa effectus sterilitatis est ergo semper « voluntarius in se », sive ut *medium* (voluntarius in se, sed non propter se) sive ut *finis* (voluntarius in se et propter se).

Sterilizatio *ex natura actus* est directa, si sterilitas est effectus immediatus *unicus* actionis positae. Quaelibet enim actio, sicuti quilibet motus ex suo termino immediate et per se obtinendo determinatur; et quando hic terminus est unus tantum, actio ex hoc termino speciem necessario sumit.

Sterilizatio, non quidem ex natura actus, sed *ex intentione agentis* est directa, si actio praeter sterilitatem alios habet effectus, in linea causalitatis aeque immediatos, et efficax agentis voluntas inter varios hos effectus fertur praecise in sterilitatem efficiendam, sive ut in medium sive ut in finem. In casu enim plurium effectuum, actio non ex sese est determinata ad unum, sed hanc determinationem accipit ex intentione eius qui actum ponit.

Sterilizatio est *indirecta*, quando actio, qua sterilitas *efficitur*, alios quoque effectus in linea causalitatis aeque immediatos habet, et intentio agentis nullo modo in sterilitatem, sed unice in alium effectum fertur, qui tamen effectus a sterilitate efficienda separari non potest; (e. gr. radiotherapia adhibita ad sanandum ovarium carcimone affectum; qua aeque immediate ulcus reprimitur et sterilitas efficitur). Decretum non agit de sterilizatione indi-

recta; haec diudicari debet secundum ordinaria principia de actionibus therapeuticis quae duplicem effectum habent.

3. Sterilizatio directa peragi potest ex *variis motivis* et ad *varios fines*; loqui solent de variis « *indicationibus* » ob quas sterilizatio peragatur; scl.:

1) *indicatio medica* seu ad praecavenda varia damna vitae vel sanitatis ob infirmam valetudinem vel morbum mulieris timenda;

2) *indicatio eugenica* seu ad praecavendam prolem ex transmissione haereditaria mancam;

3) *indicatio socialis* seu ad damna materialia evitanda quae ex prole vel ex numerosiore prole timentur;

4) *indicatio moralis* (psychica) seu ad praecavenda damna in bonis immaterialibus (famae, honoris, etc.).

Decretum respicit sterilizationem directam ex quocumque motivo vel ex quacumque indicatione peragendam.

4. Sterilizatio directa peragitur *modis et methodis* diversis; adhibetur *methodus chirurgica*, resecando vel ligando canales communicantes (ductus deferentes, tubas); *methodus chimica*, inducendo in organismum determinatas materias chimicas vel biochimicas; *methodus radioactiva*, applicando ad glandulas germinativas (testiculos, ovaria) determinatos radios.

Decretum reicit quamlibet sterilizationem directam sive hac sive illa methodo obtinendam.

5. Sterilizatio directa exsecutioni mandari potest *auctoritate privata* vel *auctoritate publica*, consentiente vel etiam invito homine, qui sterilizatur.

Decretum nullam distinctionem facit inter sterilizationem ex privata voluntate et sterilizationem ex dispositione auctoritatis publicae peragendam; et unam et alteram dicit illicitam. Quod confirmatur ex allegatione prioris Decreti a S. Officio anno 1931 editi, et ex Litteris Encyclicis « Casti connubi » in ipso hoc Decreto allegatis. Ex altera parte ex eo, quod in novo Decreto remittimur ad pristinum

Decretum, et quod in hoc pristino Decreto ad laudatas Litteras Encyclicas remittimur, coniecturari licet: S. Officium in recenti Decreto noluisse intrare et multo minus solvere quaestionem inter Theologos agitatam: an sterilizatio directa ab auctoritate publica imponi valeat *in poenam* gravis delicti. Ut ex contextu patet: Summus Pontifex in Litteris Encyclicis ab hac quaestione tractanda de industria abstinuit; et non apparet S. Officium ulterius voluisse procedere.

6. Sterilizatio directa fieri potest vel *pro semper et definitive*, vel tantummodo *ad interim et ad determinatum tempus*. In priore casu habetur *sterilizatio perpetua*, in secundo *sterilizatio temporanea*. Sterilizatio potest esse perpetua vel *ex natura actionis positae*, quae reparationem excludit, vel solummodo *ex ratione extrinseca*, quia scil. reparatio, quae per se fieri potest, de facto non peragitur.

Decretum distinctionem inter sterilizationem perpetuam et temporaneam non attendit, sed utramque ex aequo reicit et illicitam dicit.

7. Sterilizatio directa peragi potest tum *in viro*, tum *in muliere*. Ex eo quod in Decreto verba « *sive viri sive mulieris* » adhibentur, eruitur:

1) agi de solo *homine*, non vero de animali bruto; termini enim « *maris* » et « *feminae* » adhiberi solent etiam de animalibus; termini « viri » et « mulieris » autem dicuntur de solo homine;

2) attendi *sexum*, non vero *aetatem*; sterilizatio non minus illicita est tempore infantiae et iuventutis, quam tempore aetatis adultae;

3) agi de sterilizatione *subiecti* seu personae, non vero de sterilizatione *actus*, positi a subiecto. Non fuit ratio, cur Decretum ad sterilizationem actus generativi, quae variis modis Onanismi coniugalis exercetur, attenderet, cum illiceitas huius sterilizationis a Summo Pontifice Pio XI in allegatis Litteris Encyclicis « Casti connubii » verbis maxime sollemnibus damnata et reiecta iam fuerit.

8. Decretum omnem sterilizationem directam dicit *illicitam*, et quidem *ex lege naturae*. Actio aliqua illicita esse potest etiam ex mera lege positiva et disciplinari. Accidere enim potest, ut non sufficienter constet de liceitate determinatae cuiusdam actionis, et ut Ecclesia ideo huiusmodi actum dicat omittendum ad pericula et abusum praecavenda, vel etiam ut ob rationes omnino extrinsecas certae actiones prohibeantur. Non defuerunt usque in praesentem diem, qui putaverint et docuerint: pristinas auctoritatis ecclesiasticae declarationes et ordinationes de sterilizatione non habuisse nisi naturam legis seu ordinationis mere disciplinaris; sterilizationem directam in se non offendere (saltem in casibus gravis indicationis medicae, eugenicae, socialis) contra legem et ordinem naturae. Hic sentiendi et loquendi modus recenti Decreto clare et explicite reicitur.

9. Fit *remissio* ad prius S. Officii Decretum d. d. 21 martii 1931; quod Decretum non limitabatur ad *sterilizationem* eugenicam, sed latius patebat, amplectabatur totam theoriam et actionem eugenicam; et sub hoc respectu excedit Decretum recens. Ex altera autem parte recens Decretum latius patet Decreto priore, in quo tantummoto sermo fuit de sterilizatione *eugenica;* novum autem Decretum amplectitur sterilizationem directam quamcumque.

10. Integritatis causa adnectimus textus qui sive directe sive indirecte in novo Decreto allegantur, scilicet:

I. Textus ex Litteris Encyclicis « Casti connubii », 31 dec. 1930 qui sunt de sterilizatione (*AAS* XXII [1930] 564 565, cum correctione textus, publicata l. c. pg. 604, NOTANDUM).

II. Textus Decreti S. Officii 21 martii 1931 (*AAS* XXIII [1931] 118. II.

I

Reprobetur denique oportet perniciosus ille usus, qui proxime quidem naturale hominis ius ad matrimonium ineundum

spectat, sed ad prolis quoque bonum vera quadam ratione pertinet. Sunt enim qui, de finibus *eugenicis* nimium solliciti, non solum salubria quaedam dent consilia ad futura prolis valetudinem ac robur tutius procurandum — quod rectae rationi utique contrarium non est — sed cuilibet alii etiam altioris ordinis fini *eugenicum* anteponant, et coniugio auctoritate publica prohiberi velint eos omnes ex quibus, secundum disciplinae suae normas et coniecturas, propter hereditarium transmissionem, mancam vitiosamque prolem generatum iri censent, etiamsi iidem sint ad matrimonium ineundum per se apti. Quin immo naturali illa facultate, ex lege, eos, vel invitos, medicorum opera privari volunt; neque id ad cruentam sceleris commissi poenam publica auctoritate repetendam, vel ad futura reorum [1] crimina praecavenda, sed contra omne ius et fas ea magistratibus civilibus arrogata facultate, quam numquam habuerunt nec legitime habere possunt.

Quicumque ita agunt, perperam dant oblivioni sanctiorem esse familiam Statu, hominesque in primis non terrae et tempori, sed coelo et aeternitati generari. Et fas profecto non est homines, matrimonii ceteroqui capaces, quos, adhibita etiam omni cura et diligentia, nonnisi mancam genituros esse prolem conicitur, ob eam causam gravi culpa onerare si coniugium contrahant, quamquam saepe matrimonium iis dissuadendum est.

Publici vero magistratus in subditorum membra directam potestatem habent nullam; ipsam igitur corporis integritatem, ubi nulla intercesserit culpa nullaque adsit cruentae poenae causa, directo laedere et attingere nec *eugenicis* nec ullis aliis de causis possunt unquam. Idem docet Sanctus Thomas Aquinas, cum, inquirens num humani iudices ad futura mala praecavenda hominem possint malo quodam plectere, id quidem concedit quod ad quaedam alia mala, sed iure meritoque negat

---

[1] Ponimus hoc loco textum, prout iuxta « *Notandum* », in *Act. Ap. Sed.* XXII (1930) 604 publicatum, legendus est. Hoc « *Notandum* » non statuitur textus *novus*, sed *primaevus* restituitur; quod patet: tum ex variis *versionibus*, quae ante allegati « *Notandum* » publicationem eodem fere tempore atque ipsae Litterae Encyclicae editae et evidenter secundum primaevum illum textum confectae sunt; tum immediate ex ipsis *Actis*, Litterarum Encyclicarum. Dubitari non potest: textu primitus in *Act. Ap. Sed. pg.* 565 exhibito, modificatam esse *praeter intentionem* (probabiliter ex studio stili perpoliendi) rem et sententiam, quae textu primaevo fuit posita. Ideo ad hunc textum fuit redeundum; prout per allegatum « Notandum » est factum.

quod ad corporis laesionem: « Nunquam secundum humanum iudicium aliquis debet puniri, sine culpa, poena flagelli, ut occidatur, vel mutiletur, vel verberetur ». (*Summa theol.*, 2a 2ae q. 108, a. 4 ad 2um).

Ceterum, quod ipsi privati homines in sui corporis membra dominatum alium non habeant quam qui ad eorum naturales fines pertineat, nec possint ea destruere aut mutilare aut alia via ad naturales functiones se ineptos reddere, nisi quando bono totius corporis aliter provideri nequeat, id christiana doctrina statuit atque ex ipso humanae rationis lumine omnino constat. (Litt. Encyc. *Casti connubii*, 31 dec. 1930; *AAS* XXII, pp. 564-565).

II

II. Quid sentiendum de theoria sic dicta « eugenica », sive « positiva » sive « negativa », deque indicatis ab ea mediis ad humanam progeniem in melius provehendam, posthabitis legibus seu naturalibus, seu divinis, seu ecclesiasticis ad matrimonium singulorumque iure spectantibus?

Em.mi ac Rev.mi DD. Cardinales fidei morumque integritati tuendae praepositi, re diligenti examine discussa praehabitoque Rev.morum Patrum Consultorum suffragio, respondendum decreverunt:

Ad II. Eam esse omnino improbandam et habendam pro falsa et damnata, ut in Encyclicis Litteris de matrimonio christiano « Casti connubii » datis sub die 31 decembris 1930.

Hanc autem Em.orum Patrum resolutionem Ssmus Dominus Noster Pius divina Providentia Pp. XI sequenti feria V die 19 eiusdem mensis et anni, in solita audientia R. P. D. Adsessori impertita, plane adprobare et confirmare dignatus est eamque publici iuris faciendam mandavit.

Datum Romae, ex aedibus Sancti Officii, die 21 martii 1931 (S. Off., decretum 21 martii 1931; *AAS* XXIII, p. 118).

ACTA SUMMATIM RELATA

10 - SS. D. N. Pius Pp.

A - Epistula *Laeto iucundoque animo,* 21 iul. 1939, Em.um P. D. Sebastianum tit. SS. Bonifacii et Alexii S. R. E. Presb. Cardinalem Leme da Silveira Cintra, Archiepiscopum S. Sebastiani Fluminis Ianuarii, Legatum Suum a latere eligit ac renuntiat ut tertio Conventui e tota Brasiliana natione Eucharistico, ineunte septembri mense in civitate Recifensi celebrando, nomine Suo Suaque auctoritate praesideat, pro certo quidem habens eum, quemadmodum in variis istic Eucharisticis Congressibus celebratis, perhonorificum munus praeclare utiliterque esse obiturum. (*AAS* XXXI [1939] p. 703 s.).

B - Brevi *Ob animorum curam,* 10 nov. 1939, Nuntiatura Apostolica de Uraguaja perpetuo erigitur et constituitur, eique omnia et singula deferuntur iura, privilegia, honores, praerogativae et indulta quae huiusmodi Legationum propria sunt. Montisvidei vero sedes Apostolicae Nuntiaturae de Uraguaja erit. (*AAS* XXXI [1939] p. 702 s.).

C - Ex oratione die 3 decembris superioris anni habita a Summo Pontifice Pio XII quartum curriculum auspicante studiorum ac laborum Pontificiae Academiae Scientiarum haec praecipue digna sunt quae a viris excultis et praesertim a sacerdotibus cognoscantur.

Cum Spiritus Sanctus in libro Sapientiae (XIII, 1) stultos appellet « omnes homines in quibus non subest scientia Dei, et de his quae videntur bona non potuerunt intelligere eum qui est, neque operibus attendentes agnoverunt quis esset artifex », non solum decet, sed prorsus oportet homines eruditos in res naturae inquirere earumque rationes ac leges quantum fieri potest dignoscere. Huiusmodi enim inquisitio est tamquam scala per quam hominum

mens usque ad invisibilia Dei, ut ait Apostolus, pervenit, vel ad eius sempiternam virtutem ac divinitatem (Rom. I, 20). Nec propterea frustratur officium fidei divinae, imo adiuvatur maxime, sicut explanatio viae expeditiorem facit ascensionem ad summa.

Quod quidem est attenta consideratione dignum; nam quae a quibusdam profertur inter fidem et scientiam insociabilis inimicitia nihil est aliud nisi figmentum eorum mentis infirmae; cum vel ipsa hominum ratio summam in Deo admittere sapentiam omnino cogatur, stultum autem sit quae in rerum natura concluduntur iis adversari quae ab ipso naturae Auctore revelantur. Ad haec historia teste factum omnibus notum est Ecclesiam divinae veritatis magistram numquam abhorruisse a subtili « inquisitione rerum quae sub oculos nostros cadunt ». Et profecto si Deus omnium bonorum largitor plenam nostrae mentis beatitatem in aeterna Suî visione futuram pro certo adfirmavit, non ideo nobis invidit solatium quo animus frui potest in profundiore cognitione rerum quae nos hac in vita circumstant.

Quapropter aptissimum ad rem nostram videri potest monitum Apostoli, sc. de cetero fratres, quaecumque sunt vera, quaecumque pudica, quaecumque iusta, quaecumque sancta, quaecumque bonae famae, si qua virtus, si qua vis disciplinae, haec cogitate ». (Philip. IV, 8). (*L'Osservatore Romano,* 4-5 dec. 1939).

D - In ordinaria audientia Novorum Sponsorum, dei 6 decembris 1939, opportunitate utens quam Ei praebebat iam tunc instans festum Immaculatae Conceptionis B. V. Mariae, S. Pater novellis sponsis, singularem huius integritatem in exemplum proponere non dubitavit. Etenim, aiebat, etiam status matrimonialis, si ad sublimem illam omnium terrestrium gaudiorum abnegationem non tendit, quae virginitatis christianae propria est, nihilo minus suam quoque inlibatam integritatem habere potest, in fideli et generosa exsecutione proprii sui status officiorum, in perfecta coniugalis castitatis observatione. (*L'Osservatore Romano* 7 decembris 1939).

E - Allocutio diei 7 mensis decembris a. 1939. Beatissimus Pater, nobilissimis verbis quibus Exc.mus vir Dinus Alfieri qua Italiae Orator extra ordinem liberis cum man-

datis Litteras publicas porrexit, respondit animadvertens attente considerandum quanti momenti esset ut in rerum adiunctis quae nunc sunt sibi fiduciariae litterae a clarissimo viro exhiberentur. Id enim contingebat decem post annis a Lateranensibus pactionibus constitutis; quae quidem pactiones cum satis facerent longo desiderio ac intimis votis populi italici prae se ferebant apertam professionem ac firmam intentionem ut apud Sanctam Sedem et in ea Sedente plena ac sui omnino iuris potestas ac principatum vigeret. Quod profecto maximum est; praesertim cum hisce temporibus rectores populorum et rerum publicarum administratores iis pressantur officiis ac obligationibus quae singularem prorsus prudentiam ac omnimodam industriam apertissime requirant, et pacifica gentis italicae cum Sancta Sede coniunctio et firmum cum ea foedus maxime conducat ad eorum munera levanda atque adimplenda. Animadvertebat praeterea operam Sanctae Sedis in pacificandis et coniungendis populis maxime impediri insana perversione iustitiae, iuris ac moralis conscientiae quae nunc obtinet. Quamvis adhuc sperare sit amarissimos fructus qui ab ea perversione procedant dissoluturos tandem oculos ac mentes usque nunc clausas atque obfirmatas.

Quod autem clarissimus vir convenit in praecipua doctrinae capita quae a Summo Pontifice proponebantur in edita littera Encyclica ad coniungendos animos in viam sternendam plenae ac perfectae paci, id Summo Pontifici maximo est solatio, qui inde spem concipit fore ut suae innovatae sollicitudines in huiusmodi pacem componendam felicem tandem exitum nanciscantur; consentiente praesertim fideli ac forti Italiae populo qui per prudentiam rectorum nondum bello implicatus ea condicione gaudet qua vires ac industrias adhibere possit ad eam pacem inducendam quae in iustitia atque humanitate fundatur. Post haec Summus Pontifex coelestia dona ac divinum patrocinium super Italiam deprecatus omnibus et singulis sacro ritu benedicit. (*AAS* XXXI [22 dec. 1939] p. 704 ss.).

F - Adhortatio 8 dec. 1939 ad sacerdotes et clericos in exercitus ordines adscitos habita. SS. D. asperis commotus anxietatibus et sollicitudinibus belli, quod omni ope, at frustra deprecari conatus est, vehementius sortem condicionemque dolet, sacerdotum et clericorum, qui, subita

correpti procella, sacri ministerii opera ac tranquilla doctrinae domicilia reliquerunt et ad signa militaria, ad arma deducti sunt. Ut nec ipsi nec viri eorum curae crediti spiritualibus careant solaciis, in animo facultates praeter ordinem concedere habet; elatis verbis spiritum quo iis nova vitae condicio est accipienda illustrat et eos exhortatur ut mentes ad Deum dirigant qui, cum eos ad altaria arcessiverit et Ipse studiorum laborumque consuetudines abrumpi siverit, optima et adoranda eliciet e malis bona.

Constanti voto et magno desiderio divinae complendae voluntatis, spiritu precum, et magna Apostoli adhortamenta sequendi studio, ex iis semper indoles administrorum Dei elucebit, aliena vitia exemplo castigabunt, multos sibi parabunt amicos quos haud difficulter ad fidei semitam traducent.

SS. D. firma demum fretus fiducia desiderii sui exspectationem impletum iri, eos paternis prosequitur votis, valde cupiens, ut animo et corpore optime valeant, et a periculis semper absint. Ac dum Deum exorat, ut eis et universis hominibus calamitosum belli tempus corripiat et, redintegrata cito populorum pace, eos ad quietas sacerdotalis ministerii sedes vel ad sacrarum disciplinarum optata studia restituat, Apostolicam Benedictionem, paternae Suae benevolentiae testem, libenti volentique animo impertit. (*AAS* XXXI [1939] p. 696 ss.).

G - Allocutione 8 dec. 1939, in festo Conceptionis Immaculatae B. M. Virginis, ad Patriarchalem Basilicam Liberianam S. M. Maioris primum accedens, e Solio in sacello S. Catharinae erecto, observantissimo sermoni, quem Em.mus P. D. Cardinalis Archipresbyter nomine adstantis Capituli perlegerat, benigne respondit magnas gratias agens pro tam pio alloquio, itemque Venerabilibus Fratribus ceterisque dilectis Filiis Suis gratum profitetur animum debitasque persolvit grates venerandae Basilicae Canonicorum Collegio et clero, necnon cunctis adstantibus christifidelibus. Multas ob causas templum illustre ac SS.mae Virginis imaginem, tam affabre minio depictam, cordi suo carissima esse dicit et inter pontificalia sollemnia vota suppliciter se laturum esse Deo promittit ut, beatissimae Virginis patrocinio interposito, caligantes fugentur nimbi et melioris aevi cito arrideat felicitas. (*AAS* XXXI p. 706 ss.).

H - Allocutione 21 dec. 1939, cum SS. D. Maiestates Suas Victorium Emmanuelem III Regem Italiae et Albaniae Imperatoremque Aethiopiae ac Reginam Imperatricem, Augustam eius coniugem, necnon aulicos eorum comites sollemniter coram se admisit, sollemnem visitationem pergratam cordi suo esse significavit, praesertim cum proxima iam esset Nativitas, festum nimirum pacis et caritatis redemptricis, quae totius universi formam ac figuram immutat. Dum perplures Nationes tam improba gerunt, Italia serena pace sub ductu sapientium Dominorum gaudet. Super Maiestates Suas, totam perdilectam Regalem Familiam, et super Caput Membraque Gubernii, adlectas coelestes benictiones exoptat ut populus Italicus interna externaque gaudeat pace et honorabilis ac diuturnae pacis instrumentum inter populus fiat (*AAS* XXXI [1939] p. 708 ss.).

I - Sermo *In questo giorno,* quem SS.mus D. N. Pius XII habuit in pervigilio Nativitatis, die 24 dec., 1939, adstantibus Em.is PP. DD. Cardinalibus et Exc.mis DD. Episcopis et Romanae Curiae Praelatis, continet egregia illa 5 principia quae Pontifex enuntiavit tamquam iustae inter nationes pacificae conventionis fundamenta. Eum nunc, spatio coarctati, summarie referimus, textum 5 punctorum pro proximo fasciculo promittentes. *AAS* XXXII [22 ian. 1940] p. 5).

K - Cum in Palatium Quirinale Regem ac Reginam Italiae resalutatum venisset, die 28 decembris 1939, S. Pontifex paucis verbis animi Sui sensus expressit: vivissimi nimirum gaudii ob sollemnem salutationem quam paucis ante diebus iidem Regnantes in Palatio Vaticano apud Eum perfecerant, et maxime ob promissiones pacis quas duae istae congressiones universo mundo significare videbantur. Suppliciter ergo S. Pater caelestes benedictiones invocabat super ipsos Regnantes, super Principes Regios, super Gubernii Caput ac Membra, ut adhibita Italiae opera Divina Providentia pacem inter nationes instaurare benigne vellet. (*AAS* XXXII [22 ian. 1940] p. 21 ss.).

L - In sollemni audientia die 30 decembris Excellentissimo D. D.ri Aloisio Cruz Ocampo, Legato Extraordinario et Plenipotentiario Rei publicae Cilensis concessa, S. Pater efficientissimam operam exaltat quam Ecclesia in tu-

tando, instaurando, fovendo ordine sociali navare non desistit. Ecclesia videlicet, sicut mater amantissima et diligentissima, omnibus quasi sensibus cognoscere satagit hominum necessitates, dolores, studia, Ecclesia mirabili perspicacitate intellegit atque inexhausto zelo urget summum illud et instans officium redemptionis proletariorum persequendae, quae in spelunca Bethleemitica inchoata, nuper a magno S. Pontificis Decessore, Pio XI, illuminata atque apostolica sapientia exposita erat. (*AAS* XXXII [22 ian. 1940] p. 22 ss.).

11 - S. C. Rituum

1 - *Turonen.* Decretum 21 iun. 1939, Super dubio: *An signanda sit Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur* beatificationis et canonizationis servi Dei LEONIS DUPONT, viri saecularis (*AAS* XXXI [1939] p. 715 ss.).

12 - Provisiones ecclesiarum

A - *In Consistorio secreto, die* 11 *dec.* 1939 *habito, nominati sunt*:

R. D. MATTHAEUS BEOVICH, metropolitanae ecclesiae Adelaidensi.

R. D. ISIDORUS AUGUSTUS OVIEDO y REYES, cathedrali ecclesiae Matagalpensi.

B - *Decretis S. C. de Propaganda Fide nominati sunt*:

16 nov. 1939, Exc. P. D. FRANCISCUS HENSCHKE, cathedrali ecclesiae Corvopolitanae.

13 - Nominationes

Decretis S. C. de Prop. Fide renunciati sunt:

10 nov. 1939, R. D. THOMAS MCGETTRICK, Praefectus Ap. cus de Ogoja.

17 nov. 1939, R. P. IOANNES WEMBER, e Missionariis a S. Familia de Grave, Superior ecclesiasticus Districtus Norvegiae Septentrionalis.

14 - Designationes pro appellatione

Iuxta can. 1594 § 2 Codicis Iuris Canonici pro appellatione Vicarius Apostolicus de Caquetà designavit Tribunal Ecclesiae Metropolitanae Popayanensis. Quam designationem SS.mus D. Pius Pp. XII, in audientia diei 19 mensis a. 1939, approbavit.

Item Ordinarii Albaniae, quibus ex pontificia concessione facultas facta est instituendi Scodrae unicum tribunal interdioecesanum primae instantiae, designaverunt pro appellatione Tribunal Metropolitanae Ecclesiae Barensis. Quam designationem Ss.mus D. approbavit in audientia diei 14 mensis novembris a. 1939.

15 - Necrologium

14 nov. 1939, D. Laurentius Youens, episcopus Northantoniensis.

23 nov. 1939, D. Gastone Antonius Rasneur, episcopus Tornacensis.

12 dec. 1939, D. Iosephus Fernandus Antonius Bussolari, archiepiscopus Mutinensis.

14 dec. 1939, D. Otho Raphaël Castro, archiepiscopus S. Iosephi de Costarica.

NOTAE BIBLIOGRAPHICAE

1 - Ex Libris

Felix Maria Cappello, S. I., *Praxis processualis ad normam Codicis et peculiarium S. Sedis instructionum.* Taurini (Marietti) 1940, 14,5×22 cm., VI-221 p.

Notiones generales et praeliminares. — De forma et ratione qua acta processus iudicialis sunt conficienda. — De peculiari forma processus matrimonialis sive stricte iudicialis sive summarii. — De processu super rato et non consummato. — De processu administrativo sive oeconomico. — De processu criminali. — De processu circa Sacram Ordinationem. — De alio quocumque processu via administrativa conficiendo. — Index rerum alphabeticus.

L. Caron, *La Messe Romaine.* Bruxelles (Editions de la Cité chrétienne) 1940, 14×19 cm., 97 p.

Préface. — Messe des Catéchumènes. — Messe des Fidèles: Le Canon de l'Action, La Fraction, La Communion.

Iosephus Filograssi, S. I., *De Sanctissima Eucharistia.* Quaestiones dogmaticae selectae. Tertia editio recognita. Ad usum auditorum Universitatis Gregorianae. Romae (Apud Aedes Pont. Univ. Gregorianae) 1940, 16×23,5 cm., 383 p., pretium L. it. 30.

De ipsa reali praesentia et de iis quae cum praesentia immediate connectuntur: De ipsa reali praesentia Christi, De transubstantiatione, De modo quo Christus est in Eucharistia. — De Sacrificio Eucharistico: De exsistentia et proprietatibus sacrificii eucharistici, De essentia Sacrificii Missae. — De Eucharistiae Sacramento.

Ioseph Fröbes, S. I., *Logica formalis*. Romae (Pont. Universitas Gregoriana) 1940, 17,5×24,5 cm., pretium L. it. 50.

Introductio. — De conceptu. — De iudicio. — De ratiocinio. — De methodo.

P. Iosephus Güenechea, S. I., *Principia Iuris Politici*. Vol. II. Romae (Apud Aedes Pont. Univ. Gregorianae) 1939, 16×23 cm., 413 p., pretium L. it. 32.

Conspectus generalis legis. — Effectus et species legis. — Legum modernarum elaboratio. — Potestas executiva. — Ministri et officiales publici. — Relationes iuridicae officialium inter se et cum Statu. — Servitia publica. — Potestatis iudicialis structura. — Tribunalia peculiaria. — Cautiones et praesidia iurium individualium. — Praesidia et cautiones iuridicae iurium individualium. - - Index alphabeticus utriusque voluminis.

H. Lennerz, S. I., *De Deo Uno*. Editio tertia (Ad usum auditorum). Romae (Apud Aedes Pont. Univ. Gregorianae) 1940, 16×23, 5 IV-363 p., pretium L. it. 30.

Introductio. — De cognoscibilitate Dei. — De perfectionibus divinis. — De scientia Dei. — De providentia et praedestinatione.

P. Ioannes Lo Grasso, S. I., *Ecclesia et Status*. De Mutuis Officiis et Iuribus. Fontes selecti. Romae (Apud Aedes Pont. Universitatis Gregorianae) 1939, 13,5×21 cm., XVIII-345 p., pretium L. it. 34.

(Continet praecipuos fontes Iuris publici Ecclesiastici. Documenta desumpta sunt ex optimis editionibus criticis, imo ex ipsis Archivis Vaticanis).

Card. Iustinianus Saredi, *Codicis Iuris Canonici Fontes*. Vol. IX *Tabellae*. Civitas Vaticana ((Typis Polyglottis Vaticanis) 1939, 622 p.

Prolegomena. — Tabellae: A. Tabella omnium Codicis Iuris Canonici canonum fontibus comparatorum. — B. Tabella omnium CIC fontium eiusdem canonibus comparatorum. — C. Tabella auctorum seu legislatorum fontium CIC. — D. Tabella locorum, ad quae CIC fontes referun-

tur. — E. Tabella personarum, ad quas CIC fontes referuntur. — F. Index alphabeticus locorum et personarum, ad quas CIC fontes in tab. D. et E. collecti referuntur. — G. Tabella materiae omnium fontium CIC.

Timotheus Zapelena, S. I., *De Ecclesia Christi.* Pars apologetica. Romae (Apud Aedes Pont. Univ. Gregorianae) 1939, 16×23 cm., VIII-433 p. (Doctrina 12 thesibus accurate exponitur), pretium L. it. 37.

Ivo A. Zeiger, S. I., *Historia Iuris Canonici,* Vol. I. *De Historia Fontium et Scientiae Iuris Canonici.* Romae (Typis Pont. Universitatis Gregorianae) 1939, 14,5×22,5 cm., 132 p., pretium L. it. 18.

Bibliographia generalis. — Praenotanda. — Fontes iuris ecclesiastici fundamentales. — Aetas antiqua: a primordiis Ecclesiae usque ad Decretum Gratiani. — Aetas media: a Decreto Gratiani usque ad Concilium Tridentinum. — Aetas nova: a Concilio Tridentino usque ad Codicem Iuris Canonici. — Appendices. — Index personarum et rerum.

II - Thesaurus ex periodicis congestus

(Cum experientia constet res quas memoria conservare volumus facile ex ea delabi, visum est notas ex periodicis collectas ad novam hanc formam reducere, quae ad usum practicum magis expedire videtur. Sub tribus capitibus igitur distribuitur materia, ordine *alphabetico* (iuxta verbum aliquod principale) *in re morali* et *liturgica,* ordine autem *numerico* (secundum ipsius Codicis canones) in *iure canonico.* Recensio brevissima ipsa spatii arctitudine imperatur; et his fasciculis erit etiam satis incompleta, utpote inchoatum experimentum. Velint benevoli lectores nuntio postali nobis indicare an et quomodo modestam hanc operam ad ipsorum placitum melius accommodare possimus.)

a) MORALIS

Abortus: Analysis factualis pro Anglia. *Clergy Review,* 17 (1939), p. 393.

Casus de abortu directo et indirecto. *Irish Ecclesiastical Record* 55 (1940), p. 59.

Absolutio poenitentis qui socius est factionis L'Action Francaise. S. **Poen. 24 iul. 1939; AAS 31, p. 317;** *Periodica* 28, p. 334.

Actio Catholica: Allocutio Pii XII in audientia delegationum unionis internationalis societatum feminarum Actionis Catholicae. *Periodica* 28 (1939), p. 255.

In Italia: **Commissio Cardinalitia, 22-23 mai. 1939;** *Periodica* 28, p. 279; Novae normae pro Actione Catholica in Italia. **Commissio pro regimine Actionis Catholicae in Italia, aug. 1939;** *Periodica* 28 (1939) p. 341.

Ultima monita Pii XI de Actione Catholica. *Periodica* 28 (1939), p. 97 (Tromp).

Bellum: Principia Christiana de bello et pace. *Clergy Review* 17 (1939), p. 283.

Confessio: Estne opportunum sola venialia confiteri. *Periodica* 28 (1939), p. 5-24 (Fabregas).

Cultus Confucii et defunctorum in Sinis declaratur civilis. **Instructio S. C. Prop. Fid. 8 Dec. 1939;** *L'Osservatore Romano* 18-19 dec. 1939, et 17 dec. 1939.

Ecclesiae unitas: De unitate Ecclesiae orientalis et occidentalis restituenda. *Periodica* 28 (1939), p. 209.

Fecundatio artificialis. *Ecclesiastical Review* 101 (Aug. 1939), p. 109 (Kelly).

Fetus ectopicus: Casus de liceitate excisionis tubae fallopianae. *Irish E. R.* 55, p. 59.

Indulgentiae: Apostolicae. Elenchus S. **Poen., 11 mar. 1939; AAS 31, p. 132;** *Periodica* 28, p. 327.

Benedictio Papalis ope radiophonica accepta. S. **Poen. 15 iun. 1939; AAS 31, p. 277.**

Portiunculae. S. **Poen. 1 mai. 1939; AAS 31, p. 226;** *Periodica* 28, p. 333.

Propagandae Fidei opus adiuvantibus concessae. *Clergy Review* 17 (1939), p. 263.

Viae Crucis erectio. *Clergy Review* 17 (1939), p. 544.

Missiones: Bibliographia quorumdam recentiorum operum. *Clergy Review* 17 (1939) p. 247.

Operis Fidei propagandae varii aspectus. *Clergy Review* 17 (1939), p. 189, 201, 216, 226.

Prudentior de rebus missionalibus tractandi ratio. **S. C. Prop. Fid. Instructio 9 iun. 1939; AAS 31, p. 269;** *Periodica* 28, p. 325.

Pax Christiana: Hortatio Pii XII ad Gubernia Angliae, Galliae, Germaniae, Italiae et Poloniae. AAS 31, p. 335; *Periodica* 28, p. 311.

Nuntius radiophonicus, Pii XII, 24 aug. 1939; AAS 31, p. 333; *Periodica* 28, p. 307.

Allocutio Consistorialis, Pii XII, 24 dec. 1939, (textus), *L'Osservatore Romano*, 26-27 dec. 1939.

Periculum mortis. Quid sit a sacerdote faciendum iis qui in periculo mortis versantur, sive adultis qui sensuum usum retinent, sive adultis sensibus destitutis: si certo sint catholici; si certo acatholici; si demum sint ignoti. *L'Ami du clergé*, 17 aug. 1939, p. 518.

Secretum: obligatio servandi secretum non sacramentale. *Homiletic and Pastoral Review* 40 (Nov. 1939), p. 174.

Tempus ageneseos: De opportunitate instructionis populi tradendae, vel non. *Clergy Review* 17 (1939), p. 525.

De ratione clinica efficiendi ut catholici a vitio onanismi artificialis avertantur. *Ecclesiastical Review* 101, p. 246.

Theologia moralis: Eius conditio moderna. *Periodica* 28 (1939) p. 177 (Zeiger).

Usus matrimonii: Consultatio de usu matrimonii in dubio de eius validitate. *Ius Pont.* 19, p. 206 (Oesterle).

Vocatio sacerdotalis: Qualitates intellectuales. *Clergy Review* 17 (1939), p. 301.

b) CANONICUS

Prolegomena: *Direttive di ricerche canonistiche* (Arturo Carlo Jemolo). *Archivio di Diritto Ecclesiastico*, Luglio-Settembre 1939 pp. 341-346. Cl. auctor indicat opportunissime argumenta, quae ab studiosis, praesertim Italis, seligi possunt ut dissertationes conficiant progressus scientiae iuris canonici vere adiuvantes.

Il metodo per lo studio del diritto costituzionale della Chiesa (Giuseppe Forchielli). *Ibid.*, pp. 347-354.

Limiti e parti del diritto ecclesiastico (Costantino Jannacone). *Ibid.*, pp. 355-369.

Metodo per giudicare il metodo (Giuseppe Forchielli). *Ibid.*, pp. 370-372.

Note sullo studio del diritto ecclesiastico (Orio Giacchi). *Ibid.*, pp. 373-379.

Nuove osservazioni critiche sull'insegnamento del diritto ecclesiastico e del diritto canonico (Andrea Piola). *Ibid.*, pp. 380-389.

Ancora su lo studio e l'insegnamento del diritto canonico e del diritto ecclesiastico in Italia (Pio Fedele). *Ibid.*, pp. 390-410.

In hac serie articulorum diversae quaestiones attinguntur methodi in studio iuris canonici adhibendae. Notandi digna sunt, quae ab scriptoribus praedictis disputantur circa ambitum et naturam studii iuris canonici in universitatibus laicis, singillatim in Italia.

Canon 3: Assistentia matrimoniis iure concordatario in Italia incundis. **S. C. Sacr., Monitum 1 iul. 1939; AAS 31, p. 225;** *Periodica* 28, p. 325.

Canon 33: Computatio mediae noctis. « Midnight and Canon Law » (Cardenas). *Ecclesiastical Review* 101, p. 399.

Canon 100: De personis moralibus ecclesiasticis in India Brittanica (Chereath). *Apollinaris* 12 (1939), pp. 390-400.

De formali decreto erectionis: utrum et quando ad moralem ecclesiasticam personam erigendam, formale requiratur decretum in quo vel explicite vel aequivalenter iuridica personalitas concedatur. *Collectanea Mechlinensia* 29 (1940), p. 45.

Canon 111: Incardinatio laici qui ad primam tonsuram a proprio Episcopo promotus est in servitium alius determinatae dioecesis. **Pont. Com. ad Cod. Interpr. 24 iul. 1939; AAS 31, p. 321;** *Periodica* 28, p. 337.

Canon 119-123: Privilegia clericalia secundum leges Hungariae (Sipos). *Ius Pontificium* 19, p. 186-190.

Canon 139: Sacerdos munus civilis magistratus agere nequit sine indulto. Conditiones ut id licite agat cum indulto. *Clergy Review* 17 (1939), p. 259. Citat Instructionem **S. Off. 25 iul. 1917** (Sylloge, n. 60).

Canon 247: L'Action Francaise; prohibitio aufertur. **S. Off. 5 iul., 1939; AAS 31, p. 303;** *Periodica* 28, p. 312.

Libri damnati: L'ascesi mistica; La grande sintesi (Ubaldi). **S. Off. 9 nov. 1939;** *L'Osservatore Romano* 15 nov., 1939; *Periodica* 28, p. 397. Solus ad solam (D'Annunzio). **S. Off. 21 iun. 1939; AAS 31, p. 260;** *Periodica* 28, p. 312.

Canon 249: De potestate S. C. Sacr. quod attinet ad matrimonia per Promotorem iustitiae accusanda. Citatur re-

sponsum **Pont. Com. ad Cod. Interpret. 24 iul. 1939,** a Romano Pontifice approbatum 27 iul. 1939. *Ius Pontificium* 19, p. 120.

Canon 470: De modo conficiendi libros paroeciales. *Clergy Review* 17 (1939), p. 366.

Canon 474: De vicarii substituti obligationibus et iuribus, quaesita varia. *Boletin eclesiastico* 1939, p. 35.

Canon 520-522: Casus de confessionibus monialium. *Irish Eccles. Record* 55 (1940), p. 67.

Canon 521: Utrum confessarius extraordinarius totius communitatis vel unius sororis religiosae confessionem audire valeat, vi canonis 521 §§ 2 et 3, praeter occasiones ubi proprium munus, quater in anno, implet vi canonis 521 § 1. Affirmative respondit auctor (Regatillo). *Sal Terrae* 1939, p. 54.

Canon 572: Professio religiosa admissa a Superiore invalide electa. *Ecclesiastical Review* 101, p. 261.

Canon 587: De regimine domus studiorum in religione clericali. *Ius Pontificium* 19, pp. 55 ss, 191 ss.

Canon 638: Loci Ordinarius, quis? **Pont. Com. ad Cod. Interpr. 24 iul. 1939; AAS 31, p. 321;** *Periodica* 28, p. 337.

Canon 692: An privilegiis membri associationis fruitur qui debitum annuum non solvit. *Clergy Review* 17, p. 261.

Canon 707: De iuridica natura quarundam confraternitatum, e. g. S. Rosarii, Doctrinae Christianae. *Palestra del Clero* 1939 (Fanfani).

Canon 714: Confraternitas habitum vel insignia immutans. **Pont. Com. ad Cod. Interpr. 24 iul. 1939; AAS 31, p. 321;** *Periodica* 28, p. 338.

Canon 730, 824: De historia stipendiorum Missarum: qua ratione eorum acceptatio simoniae sit expers (McDonnell). *Irish Ecclesiastical Record* 1939 (Jan-June) pp. 593-612; (July-Dec.) pp. 35-57, 159-175.

Canon 813: Estne munus in Missa privata ministrandi clericorum proprium? *Periodica* 28, p. 369.

Canon 856: Communio cotidiana nonnisi in statu gratiae: cautelae contra sacrilegas Communiones adhibendae. **S. C. Sacr., Instructio reservata 8 dec.;** *Periodica* 28, p. 317. Commentarium ab ipso S. C. Sacr. Secretario, in *Il Monitore Ecclesiastico* 64, p. 245.

Canon 942, 1240: De Sacramentis conferendis, necnon de ecclesiastica sepultura concedenda iis qui in irregulari

matrimonali statu moriuntur (Nevin). *The Australasian Catholic Record* 15 (1938), pp. 355-360.

Canon 955: Episcopus proprius ad altiores ordines. **Pont. Com. ad Cod. Interpr. 24 iul. 1939; AAS 31, p. 321;** *Periodica* 28, p. 337.

Canon 1016: Sollemnitates pro effectibus civilibus in Italia. Trascrizione del matrimonio canonico e requisiti per la sua validità (C. A. Firenze 26 apr. 1939 con nota di C. Petrucci). *Rivista del Diritto Matrimoniale Italiano e dei Rapporti di famiglia*, 1939, pp. 440-457. Actus matrimonii a parocho catholico redactus probat celebrationem matrimonii rite factam, ideoque transcriptioni in regestis civilibus mandanda est, etiam si explicitam mentionem consensus a nupturientibus praestiti non contineat. Transciptio igitur valida habetur, ut effectus civiles pariat. Ratio est, quia transcriptio per se est actus civilis diversus ab ipso actu qui transcribitur; ille regitur iure civili, hic autem iure canonico.

Canon 1033: Tempus ageneseos; de opportunitate instructionis populo tradendae vel contra. *Clergy Review* 17 (1939), p. 525 (Mahoney).

Canon 1038: Disputatio medico-moralis de legibus civilibus quae examen physicum nupturientium ante matrimonium exigunt. *Ecclesiastical Review* 101 (July 1939), p. 9-30, 68.

Canon 1066: Confessio ante matrimonium, quatenus urgenda. *Clergy Review* 17 (1939), p. 451.

Canon 1067: Infidelis iure naturali habilis at lege civili ratione aetatis a nuptiis impeditus, cum haeretico baptizato nuptias contrahit. An valide? *Homiletic and Pastoral Review* 40 (Nov. 1939), p. 171.

Canon 1071: Cautiones omissae in matrimonio cum dispensatione a disparitate cultus. *Clergy Review* 17 (1939), p. 258. Citat Instructionem S. **Off. 5 apr. 1918.** Dispensatio *olim* implicite concessa super aliis impedimentis *Clergy Review* 17 (1939), p. 264.

Canon 1081-1027: Quaestiones de vitiato consensu matrimoniali. *Ecclesiastical Review* 100, pp. 481-497; 101, pp. 31-49, 131-149 (Wanenmacher).

Canon 1094: Assistentia sacerdotis tamquam magistratus civilis. *Clergy Review* 17, p. 259.

Canon 1098: De forma extraordinaria in missionibus. *Clergy Review* 17 (1939), p. 266.

Canon 1114-1117: De prole legitima vel illegitima in iure canonico vigenti (Ciprotti). *Apollinaris* 1939, pp. 328-347. Cl. auctor aggreditur studium de legitimitate vel illegitimitate prolis, tum quoad conceptum tum quoad probationes. Utitur methodo analytica et comparativa cum hodiernis codicibus civilibus, atque intendit completo quodam modo totum argumentum tractare. In praesenti numero partem eius tantum tradit.

Canon 1125: De Constitutione S. Pii V, Romani Pontificis. *Periodica* 27 (1938), pp. 331 ss; 28 (1939), pp. 25 ss, 112 ss, 190 ss (Rayanna).

Canon 1139: De sanando in radice matrimonio irrito ob impedimentum iuris divini. *Apollinaris* 12 (1939), p. 411.

Canon 1143: Benedictio nuptialis: quaesita varia. *Clergy Review* 17 (1939), p. 540.

Canon 1247: Abstinentiae lex cessatne in festis de praecepto: a) suppressis, b) dispensatis? *Periodica* 28 (1939), p. 165.

Canon 1249: De satisfactione praecepti ab audientibus Missam ex licentia Ordinari extra oratorium celebratam. *Periodica* 28 (1939), p. 52.

Canon 1314: De voti commutatione, breve commentarium practicum. *Collectanea Meschlinensia* 29 (Ian. 1940), p. 43.

Canon 1366: Laurea S. Scripturae: responsum de experimentis. **Pont. Com. de re Bibl. 16 iul. 1939; AAS 31-320;** *Periodica* 28, p. 336.

S. Thomae doctrina tenenda. **Pius XII, Allocutio 24 iun. 1939; AAS 31, p. 245;** *Periodica* 28 (1939), p. 296 (Boyer).

Canon 1648-1651: De constitutione curatoris in foro ecclesiastico. *Ius Pontificium* 19, pp. 115-119 (Toso).

Canon 1905: De restitutione in integrum. *Ius Pontificium* 19, pp. 174-185 (Oesterle).

Canon 1960: Utrum acatholici in causis matrimonialibus actoris partes agere possunt in tribulationibus dioecesanis. **S. Off. 22 mart. 1939; AAS 31, p. 131;** *Periodica* 28, p. 274.

« Incipit lamentatio Vinculi... » (Rerum Scriptor). *Apollinaris* 12 (1939), pp. 348-389. Anonymus auctor humanistico modo dialogum fingendo inter Vinculum

matrimonii et Relatorem, querelas exponit ,quae hisce temporibus undique adversus immoderatam cupidinem instaurandi causas nullitatis in foro ecclesiastico erumpunt. Rationes adducit comprimendi abusus, media proponit quibus illae coerceantur, necnon subtilitates detegere conatur unde causae frequentiores nunc evaserunt. Fatendum adhibitam exponendi methodum non nimis aptam alicui videri posse.

Canon 1971: De coniuge ad accusandum matrimonium inhabili, et de munere promotoris iustitiae (Cappello). *La Civiltà Cattolica* 1939, pp. 3 ss; 215 ss.

De nullitate sententiae ob defectum habilitatis ad accusandum matrimonium (Roberti). *Apollinaris* 12 (1939), p. 415.

De processibus matrimonialibus coercendis: quibus mediis eorum frequentis minui possit (Haring). *Apollinaris* 12 (1939), p. 413.

Utrum Promotor Iustitiae, nulla praehabita facultate a S. Officio, matrimonium accusare possit si nullitas matrimonii fuerit denuntiata a coniuge acatholica. **S. Off., 22 mar. 1939; AAS 31, p. 131;** *Periodica* 28 (1939), p. 274. Cfr. etiam *Homiletic and Pastoral Review* 40, p. 169 (Woywod).

Canon 1990: De casibus exceptis, variae quaestiones (Suarez). *Angelicum* 1939, p. 335.

Canon 2020: Normae servandae in construendis processibus ordinariis super causis historicis. **S. Rit. C. 4 ian. 1939; AAS 31, p. 174;** *Periodica* 28, p. 275.

Canon 2230: Aetas pubertatis pro puellis in ordine ad poenas late sententiae contrahendas. *Clergy Review* 17 (1939), p. 353. Citatur rescriptum **S. Off. 3 iun. 1908.**

Canon 2244 et 2249: Censuram multiplicatio in eodem subiecto, earumque absolutio. *Revue ecclésiastique de Liège*, Nov. 1939, pp. 183-186.

a) LITURGICUS

A cunctis: De titulari in hac oratione: inter Missam. *Clergy Review* 17 (1939), p. 168; In Breviario. *Ibid.*, p. 536.

Baptismus: Ritus pro infantibus; pro adultis. *Ecclesiastical Review* 101, p. 274.

Benedictio nuptialis: Quaesita varia. *Clergy Review* 17 (1939) p. 540.

Corporis Christi Octava: De orationibus in Benedictione Sacramenti. *Clergy Review*, 17 (1939), p. 538.

Fontis baptismalis benedictio: Oleum sanctum vetus, in quibusdam adiunctis adhiberi potest. *Il Monitore Ecclesiastico* 1939, pp. 333-335.

Missa: De interruptione Missae ob periculum ex incursione aeronautica. *Clergy Review* 17 (1939), p. 456.

De Missa pro eligendo Summo Pontifice. *Periodica* 28 (1939), p. 135 (Hanssens).

De Missa pro defuncto sacerdote. *Periodica* 28 (1939) p. 236.

De Missa in aliena ecclesia. *Periodica* 28 (1939), p. 234.

Varia quaesita et responsa authentica. S. **Rit. C. 16 mai. 1939.** *Ephemerides Liturgica* 1939, p. 102; *Clergy Review* 17 (1939), p. 462.

Patronus: Regni, provinciae, dioecesis, civitatis, loci. *Ius Pontificium* 19, p. 162 (Souarn).

Purificatio: De benedictione candelarum in festo Purificationis. *Periodica* 28 (1939). p. 233.

Translatio: Festorum S. Iosephi et Annuntiationis. *Periodica* 28 (1939), p. 61.

Festi S. Iosephi; estne simul transferenda obligatio illud feriandi? *Periodica* 28 (1939), p. 159.

DISSERTATIONES
ET QUAESITA VARIA

De imagine perfecti oratoris sacri ad mentem S. Rob. Bellarmini

Ut aliquis perfectus sit orator sacer, ita S. Doctor, tria requiruntur: sapientia, fervor charitatis, eloquentia.

Iam Lovanii in *contione* 36 [1] in die Pentecostis Bellarminus hoc clare docet: « Existat autem concionator aliquis, qui non fulgeat luce sapientiae, quid obsecro efficiet? Nonne caecus caecis ducatum praestabit, et tam ipse quam ii, a quibus auditur, in foveam cadent? Existat dein alius, qui luceat quidem, sed non ardeat: sapiens, sed improbus: nonne quantum sapientia et verbis aedificabit, tantum vitio et moribus destruet? Ut illud omittam, quod qui spiritum ad fervorem non accepit, nunquam se periculis exponet, numquam vitia reprehendere audebit, numquam auditores suos accendet. Ignis enim et fervor caritatis, non eruditio ac sapientia accendit. Porro exsistat tertius, qui Spiritum sapientiae et charitatis acceperit, sed lingua non valeat, neque oratione sensa animi sui exprimere possit; qui haereat, balbutiet, taedium gignat; risum moveat, non illum gratum, indicem voluptatis, qui leporem et gratiam dicentis consequitur, sed illum infaustum et ab oratoribus fugiendum, quem imperitia atque

---

[1] Edit. Neapol. 1861, tom. V, II, pag. 245.

infantia oratoris extorquet: quid obsecro iste umquam persuadebit? Non igitur sine sapientia, charitate et dono orationis aliquis umquam absolutus concionator erit ».

Idem sed modo magis ieiuno proponitur in nota *de ratione formandae contionis,* quae conscripta videtur post annum 1613, ubi in § 5 dicitur[2]: « Tria sunt necessaria ei qui utiliter concionari velit: zelus Dei sive spiritus et fervor caritatis, sapientia, et eloquentia, quae tria significabant linguae igneae, quae super apostolos apparuerunt, cum a Deo crearentur concionatores primi evangelici; ardor ignis zelum, splendor sapientiam, forma linguae eloquentiam designabant. Eloquentia sine caritate et sapientia est cymbalum tinniens et inanis garrulitas. Sapientia et eloquentia sine caritate est res plane humana et mortua. Caritas sine sapientia et eloquentia est instar viri fortis sed inermis ».

Iam de singulis: fervore caritatis, sapientia, eloquentia accuratius videamus:

a) *De fervore charitatis.*

Orator cui deest fervor caritatis nil est nisi aes resonans. Et quidem duplicem ob rationem, ut explicat Bellarminus in contione 19ª Lovaniensi[3]. Nam primum orator, cui deest fervor caritatis, non plus valet quam campana, quae clamans semetipsam non audit: talis loquitur aliis, non sibi; stat in loco sublimi aliis disserens et a semetipso non intelligitur. Est fistula, quae nihil habet praeter vocem, corpus quod nihil habet nisi collum. Deinde etiamsi sonet aliis, sonitum dat inane; terret non laedit; est bombarda absque globo tormentario solo pulvere onerata; edit sonitum maximum, sed moenia et turres non cadunt. Qui enim sine spiritu, affectu, caritate concionantur, feriunt quidem audientium aures sonitu verborum,

---

[2] X. M LE BACHELET, *Auctar. Bell.* pag. 655-657. Post 1613: quia videtur citari liber *De Script. Eccl.*, editus anno 1613.

[3] *Cont.* 19 in Dom. Quinq., part. 1ª, ed. Neap. pag. 121.

sed nequaquam deiciunt turres vitiorum. Talis eloquentia nil valet.

Accedit, ut explicatur in sermone dom. 4ae post Pascha [4], quod orator non fervens charitate semetipsum quaerit et non Dei gloriam. Hac de causa ex una parte vult formosus videri et elegans, et blando utitur genere dicendi; ex altera parte non audet veritatem dicere et corrigere defectus. Nam licet orator christianus teste Gregorio, ita vivere et loqui debeat, ut a populo christiano diligatur, tamen non debet ita placere hominibus, ut iam Deo non placeat. Quare probus atque integer orator annunciabit populo Dei scelera eorum, et si id moleste ferant, aperte dicet: « Quia haec locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum: sed ego veritatem dico vobis; expedit vobis ut hoc dicam! » Quod si autem concionator ista dicere non audet, infelix orator est, et melius ei esset fodere et mendicare, quam loqui verbum Dei. Potius *arátorem* quam *oratorem* agat!

Ut autem zelus seu spiritum charitatis hauriat, nil magis ei proderit quam assidua ad Deum oratio et continua et seria rerum coelestium cogitatio [5]. Meditari quoque debet sui muneris excellentiam: id enim exercet, quod Christus exercuit et apostoli [6]. Sacerdos qui hac in re nec munus suum, nec locum, nec gradum intellegit, non videt ipse, quantopere vilescat ac sordescat. Putat vile concionari, quod Dominus et apostoli faciebant, dum non putat vile pecunias numerare, quod faciebat Iudas [7].

b) *De sapientia.*

Quod ad sapientiam: oratori secundum Bellarmini mentem tria sunt necessaria [8].

---

4 Sermo 32, part. 2a: ed. Neapol. pag. 215.
5 De ratione formandae contionis, § 6.
6 Cf. *Adm. ad Ep. Thean*, cap. III in *Auct. Bell.* pag. 646-647: *De Gem. Columb.* cap. V: ed. Neapol. (1862) VI pag. 357-358.
7 *Serm.* 8 Lovan. in dom. 4 adv.: ed. Neap. V, II, pag. 50.
8 *De ratione form. conc.*, § 7.

Et quidem ante omnia cognitio vera sacrarum Scripturarum. Sacra Scriptura oratori valde familiaris sit oportet. Et hac de causa quotidie aliquid ex divinis litteris legere debet, et simul consulere Patrum commentaria [9]. Pulchre S. Robertus in *explanatione* epist. Dom. 2ae Adventus [10]: « Sacra Scriptura omnium scripturarum est longe utilissima. Siquidem iurisprudentia conservat haereditates et testamenta hominum; Scriptura conservat testamentum Dei, quod est testamentum haereditatis aeternae. Ars medicina curat corpora; haec sanat animos. Philosophia erigit mentem usque ad sydera cognoscenda; haec erigit ad cognoscendum syderum conditorem. Historiae humanae narrant primordia et eversiones civitatum; haec narrat mundi totius constitutionem et eiusdem mundi futuram consummationem. Poesis humana delectare non novit nisi fabulis et amoribus impudicis; haec habet poemata castissima et suavissima Davidis, Salomonis, Moysis, quae mirifice dilectant animos atque ad amorem divinum accendunt. Prudentia humana cum eloquentia summa coniuncta in dialogis Platonis et in libris politicis Aristotelis nullis civitatibus persuasit, ut leges vivendi et formam reipublicae eorum eligerent; praedicatio evangelii simplici Scripturae veritate proposita Christi legem orbi terrarum facile persuasit. Sed quod est omnium maximum, scripturae humanae faciunt doctum iurisconsultum, doctum medicum, doctum philosophum naturalem aut moralem, bonum historicum, bonum poetam, bonum oratorem: at *hominem absolute doctum et sapientem*, atque adeo bonum et beatum hominem numquam facient ».

Non autem sufficit ad fructuose docendum quilibet S. Scripturae usus. Sunt qui de singulis Evangelii vocibus quaedam dicant, vel iis utantur ut puncto ex quo exordiantur; tales autem non S. Scripturam sed sua verba prae-

---

[9] *Ibidem*, § 7.

[10] *Explan.* 2a *in ep. dom. et fest.*: Arch. P.U.G. 384 fol. 35 R.

dicant. Necesse est verum et germanum sensum Verbi Dei eruere, inde dogmata fidei confirmare vel praecepta morum tradere, aliis verbis: breviter id docere, quod Spiritus Sanctus per ea verba doceri voluit. Hoc enim est populum pascere et instruere verbo Dei. Et haec est ratio cur studium Patrum eorum, qui S. Scripturam data opera exposuerunt, vel etiam recentiorum, qui hac in re bene meruerunt, ut v. g. Cornelii Iansenii et Adami Sasbout, non sit ullo modo negligendum [11].

Praeter cognitionem S. Scripturae et Patrum requiritur cognitio dogmatum ecclesiasticorum. Hac in re ut doctrinam tutissimam Bellarminus commendat eam, quae est S. Thomae et Catechismi Tridentini. Orator autem sese ad doctrinam certam limitet necesse est. Cum realismo quodam sanissimo observat S. Robertus, iam non parum esse si populus ea, quae certa sint, plane intelligere et capere possit, et hac de causa non recte facere, qui populo Christiano proponant opiniones inter doctores disputatas [12]. Tractare in cathedra quaestiones scholasticas vel disputare de rebus subtilibus, genera sunt concionandi, quae a Bellarmino excluduntur a generibus utilibus et merito frequentandis [13]. Explicare autem res fidei est res fundamentalis praedicationis evangelicae, et hac de causa etiam voluit Capuae, ut sacerdotes, maxime parochi dioeceseos, haberent doctrinam sufficientem. Excusationem ignorantiae ab iis noluit accipere; non enim admitti excusationem ignorantiae in eo qui profiteatur aliquam artem. Et hac de causa exegit, ut cognoscerent catechismum, scil. Tridentinum, perfecte [14].

Ad sapientiam concionatori debitam acquirendam necessarium quoque est, ut ex historicis et patribus hauriat sat magnam eruditionem [15]. In movendo enim ad stu-

---

11 *De rat. form. conc.*, § 3.
12 *Ibid.*, § 7.
13 *Ibid.* § 10.
14 *Ad synod. dioeces.*: Arch. P.U.G. 385a fol. 374r.
15 *De rat. form. cont.*, § 7.

dium virtutis et horrorem vitii non sufficit irasci et vociferari, quod aliquando terrere potest simpliciores, ridetur verum a sapientioribus: sed solidae rationes afferendae sunt. Quae non solum ducuntur e testimoniis divinis, sed etiam ex causis et effectibus virtutum et vitiorum, et potissimum ex exemplis, quae ad rem spectent. Ea autem omnia summopere hauriuntur ex lectione Patrum et ex historicis ecclesiasticis, inter quos ii modo speciali numerandi sunt, qui de vitis sanctorum scripserunt [16]. Affirmare sibi posse videbatur Bellarminus, homini veritatis indagandae studioso et salutis aeternae adipiscendae cupido nullum posse salutarius consilium dari, quam ut scripta veterum doctorum, qui omnium iudicio probantur, et vitas et res praeclaras gestas sanctissimorum virorum, qui testimonio signorum et prodigiorum a Deo approbati sunt, legat [17]. Quod exemplo demonstravit, nec solum in orationibus. Nam ut alia multa omittam: Capuae legebat vitas Sanctorum Episcoporum, quas ex Surio in unum collegerat et ex hac lectione plurium iuvari se sentiebat [18]. Liber secundus et tertius *De officio principis christiani* [19] nil aliud sunt, nisi vitae breviores ducum atque principum ex tempore Veteris et Novi Testamenti; et moribundo sibi praelegenda curat beatorum exempla, ut sese ad felicem exitum praeparet. Narrat enim Fr. Finali [20], quomodo die morbi decimo septimo — vigesimo autem primo moritur — rogaverit, ut sibi legerentur vita Sanctorum. Et ante omnes vita S. Caroli Borromaei, episcopi et cardinalis, quem putabat eodem morbo, quo ipse laboraret, obiisse; deinde S. Francisci Assisiensis, cui, ut notum est, erat devotissimus; deinde quorumdam aliorum sanctorum episcoporum, quorum operibus bonis consolabatur, sicut af-

---

[16] *Ibid.* § 3.
[17] ΙΕΡΑΤΙΚΟΝ ΔΩΡΟΝ, cap. 21: *Auct. Bell.*, pag. 255.
[18] *Autobiogr.* cap. 38: *Bell. à. s. Card.* pag. 462.
[19] Ed. Neapol. 1862, VI pag. 438-618.
[20] FINALI, *Relatio* pag. 75-76.

flictus erat, alios audiens ex amore sui detrimento fuisse Ecclesiae.

c) *De eloquentia.*

Quamquam eloquentia sine sapientia et charitate est prorsus inanis, et a charitate seiuncta magis obest quam prodest: tamen sine eloquentia orator esse nequit. Est autem ad mentem Bellarmini donum aliquíd naturale, quod arte politur et emendatur; et ubi agitur de eloquentia christiana, ex fine, obiecto et dignitate supernaturali auditorum, specialem accipit gravitatem atque sanctitatem. Ipsum Bellarminum audiamus[21].

« Ad eloquentiam christianam, imo ad omnem veram eloquentiam requiritur, ut ars emendet et poliat, sed non destruat aut corrumpat naturam. Atque in hac una re praecipue peccari solet. Debet ars emendare naturam, quia nonnulli interdum vel educatione vel aliunde vitiose loquuntur et agunt; ut cum verbis utuntur impropriis vel minus honestis, vel phrasibus obscuris, et cum caput indecore movent aut manu sinistra gestus faciunt, aut aliter peccant in agendo. Quae vitia facile notari et caveri possunt et debent. Debet rursus, ut dixi, ars non destruere naturam; et si peccata aliqua toleranda sint, minus malum est non emendari quam destrui naturam. Destruunt naturam, qui, dum concionantur vel tono utuntur insolito, ut non loqui, sed recitare vel canere videantur; vel verbis utuntur poeticis aut nimis affectatis; vel certe phrasibus ita concinnis, ut omnes intelligant eum multum laborasse in componenda oratione. Ista enim detrahunt concionatori omnem pene auctoritatem.

« Si quis velit hoc vitium fugere, cogitare debet se, licet ex loco altiore et ad multos, tamen cum singulis hominibus, collocuturum, et cum iis ita acturum ac si seorsum cum singulis ageret. Qui enim cum uno aliquo loquitur, ut ei aliquid persuadeat, certe non utitur initio mul-

---

[21] *De rat. form. conc.*, § 8-9.

tis epithetis nec poetica phrasi nec voce inusitata nec motu membrorum; sed plane more humano, primum quieto corpore, voce moderata et sententiis simplicibus; deinde si opus sit contendere vel reprehendere, extollit vocem, multiplicat verba, agitat corpus, exclamat, etc., ut mutatione vocis et commotione membrorum pariat affectus, non affectatione aut artificio. Hoc solum interesse deberet inter orationem concionatoris ad populum et collocutionem familiarem unius ad alterum, quod concionatori, ut commode exaudiatur, est et altius loquendum et etiam gravius et magis considerate, ob honorem multitudinis: multitudo enim honorabilis est ».

Haec omnia dicta sunt potius de eloquentia in genere. Eloquentia autem sacra ex suo fine in multis a profana differt. Nam cum orator profanus pro scopo habere potest, ut per horam partim argutis sententiis, partim varietate rerum narrandarum, partim dictionis pulchritudine auditores delectet: non ita orator sacer. Eius est docere res divinas et movere ad coelestia. Et hac de causa non solum totam suam actionem oratoriam et singulas orationis partes ad hunc finem dirigat necesse est; et in scopum sacrum bene praefixum, collectis rationibus, sententiis divinis, exemplis, totam materiam ordinet oportet: sed etiam abstinere debet tam in modo dicendi quam in re dicenda ab omnibus, quae scopo sacro, materiae sacrae, auditorio sacro non conveniant. Orator sacer, qui unice vult delectare auditores, licet multum fatigetur et sudet, nil assequitur [22]. Orator sacer, qui exquisitis verbis et rhetoricis flosculis vel historias evangelicas narrat, vel crimina pharisaeorum amplificat vel de rebus subtilibus inepto artificio disputat, magno quidem labore, sed sine ulla utilitate concionatur [23]. Et si verba exquisita et contexa, praesertim in exordiis, iam quisquilia sunt iudicio prudentium genti-

[22] *De rat. form. conc.*, § 2.
[23] *De rat. form. conc.*, § 10.

lium, quid sunt in ore eius, qui praedicare debet evangelium? Impertinentia autem invectiva in Pharisaeos, allegationes nimiae prophanorum auctorum, verba Scripturae detorta ad proprias imaginationes, non sunt pura semina Christi, sed mixta zizaniis [24].

Cur pauci concionatores, rogat Bellarminus, proficiunt? Et responsio in prompto est: « Quia non dant panem, sed olera eloquentiae vel poma scientiarum humanarum, dum volunt videri theologi, philosophi, historici etc. Panis verus est scientia salutis, quae docet humilitatem, patientiam, charitatem. Hunc panem in sudore vultus sui acquirunt boni concionatores, impetrando illum a Deo lacrimis et orationibus et meditationibus [25].

Cur multi oratores, iterum rogat, gladio spiritus, quod est verbum Dei, tam parum proficiunt? Et respondet: Vel quia percutiunt gladio in vagina recondito; nam gladius est sensus Verbi, vagina est sonitus verborum. Vel quia feriunt gladio verbi sui, non Verbo Dei, et sic feriunt gladio ligneo. Vel habent sensum puerilem, magnificentes res ludicras: et sic utuntur gladio quidem ferreo Dei, sed ut pueri carnales, non habentes ardorem Spiritus ad illum apte movendum. Nam solummodo ardor spiritus dat veram eloquentiam, ut iam apparet in carnali amore matrum [26].

Minime negat Bellarminus, etiam auditores in culpa esse, cur concionatores sacri totiens nullum profectum faciant, teste ipso Domino in parabola famosa seminantis; nec in suis sermonibus illos hac de re severissime admonere umquam desinit [27]: sed ex altera parte oratores quoque ad conscientiae examen continuo exhortatur, ipse per

---

[24] *Serm.* anni 1599 in dom. 3 Quadr.: Arch. P.U.G. 384 fol. 459r.

[25] *Ibidem* in peroratione, fol. 458v marg.

[26] *Ibidem* in peroratione, fol. 459r-v.

[27] *Cont. Lov.* 22 in Dom. 1 Quadr., ed. Neap. V, II, pag. 142, ubi iam famosa obiectio: « Scimus quid concionator dicturus est: nimirum ut faciamus bonum et declinemus a malo »; *Serm.* citatus ann. 1599 in dom. 3 quadrag.; *Serm.* anni 1604 in Dom. Sexag.: Arch. P.U.G. 384 fol. 392-397.

totam vitam deflens periodum illam brevissimam, qua in collegio Montis Regalis multis verborum ornamentis conciones valde elaboratas componeret, multas dies consumens tum in concionibus illius generis conscribendis, tum in iis commendandis memoriae [28].

Haec est idea Bellarmini oratoris sacri absoluti. Quam in semetipso perfecte implevit, testantibus permultis, qui eum audivere tum Florentiae, tum Patavii, tum Venetiis, tum maxime Lovanii, Capuae, Romae; quorum aliqui dicere non dubitarunt [29]: *Numquam locutus est homo sicut hic homo.*

SEBASTIANUS TROMP, S. I.

Ad interpretationem canonis 98 § 4.

Quae primo quodam tempore de interpretatione canonis 98 § 4 Codicis I. C. scripseram, aliis augere et explicare in mente habui, sed per errorem publici iuris facta sunt, antequam allatae essent quas addere volui correctiones. Propterea quae in priore fasciculo pag. 11-13 brevius forte et obscurius notavi, benignus lector hoc loco dictis compleat corrigatque velim.

Quaeritur autem, cum canone praedicto statuatur « integrum esse mulieri diversi ritus ad ritum viri in matrimonio ineundo ... transire », utrum mulieri iam ab initio celebrationis matrimonii transire liceat ita ut in ipsa celebratione ritui viri adscripta habeatur, an absoluta tantum celebratione ideoque verba canonis de *initio matri-*

---

[28] *Autobiogr.* cap. 11, pag. 448; *Epist.* 6 Iun. 1615 ad Patrem Recupito.

[29] *Epist.* superioris coll. Montis Regalis ad Patres Romanos: *Autobiogr.* cap. X, pag. 447. Addit Bellarminus modeste: *immerito.*

monii, non de *initio celebrationis* matrimonii intelligenda sint.

In huius quaestionis solutione ita procedemus ut priore tempore videamus quid ex ipsius canonis textu eruatur, altero tempore reliqua interpretationis subsidia quid nobis lucis afferant.

Iamvero duplex verborum « in matrimonio ineundo » sensus admitti potest: aut hic ut transitus praecedat, licet non tempore, sed ratione et ordine matrimonium, aut vice versa ut matrimonium praecedat ordine, licet non tempore transitum ad alium ritum. Quae priore loco ponuntur, ita intelligenda sunt ut transitus praecedat ratione non solum matrimonium perfectum, sed etiam celebrationem incoeptam. Mulier secundum hanc canonis interpretationem per totam celebrationem iam legi ritus viri, non ritus nativi subicitur. De se sane tertia quaedam explicatio proponi potest secundum quam transitus *inter* celebrationem, sive celebratione iam incoepta sed non absoluta perficiatur. Sed ita mulier priore parte celebrationis iure ritus nativi, v. g. latini, altera parte iure ritus viri, i. e. orientali regeretur atque unus idemque actus celebrationis duabus legibus diversis subiceretur quod legislatorem statuere voluisse admitti nequit.

Qui alteram explicationem amplectuntur, transitum ita celebrationem matrimonii sequi tenent, ut celebratione perfecta mulier eo ipso ad ritum viri translata sit (dummodo ante transire se velle in matrimonio ineundo declaraverit), ideoque nullo tempore in matrimonio peracto ad ritum viri non pertinuerit.

Quae igitur inter verba « in matrimonio ineundo » et « durante matrimonio » exstat oppositio, secundum priorem sententiam de actu matrimonii aut imperfecto aut perfecto intelligenda sunt. Secundum alteram sententiam his verbis tempus indicatur diversum: opponitur transitus qui fit ab ipso initio matrimonii illi qui posteriore tempore perficitur.

Textu solo canonis inspecto utraque interpretatio admitti neque certitudo de alterutrius praevalentia haberi posse videtur. Id vero non sufficit ad utramque interpretationem probabilem declarandam. Nam secundum canonem 18 C. I. C., si significatio legis ecclesiasticae in textu et contextu considerata « dubia et obscura manserit, ad locos Codicis parallelos, si qui sint, ad legis finem ac circumstantias et ad mentem legislatoris est recurrendum ». Tunc tantummodo si omnibus his adminiculis adhibitis significatio clara non evaserit, omnes explicationes seriis solidisque rationibus innitentes probabiles haberi possunt.

Ex consideratione vero locorum Codicis parallelorum, legis finis, mentis legislatoris id mihi effici videtur legislatorem non cogitasse de permittendo transitu ab ipso initio celebrationis matrimonii. Ecce rationes quibus moveor.

1. Vi canonis 1099 § 1, n. 3 formam Codice I. C. stabilitam servare tenentur « Orientales, si cum Latinis contrahant hac forma adstrictis ». Haec lex universalis est seu omnes Orientales cum Latinis matrimonium ineuntes adstringit; nam « indefinita locutio aequipollet universali » [1]. Nullum igitur dubium quin matrimonium contractum inter virum orientalem et mulierem latinam, si abstrahitur interim de canone 98 controverso, cadat sub eius praescripto. Id ne illi quidem negant qui contrariam sententiam tenent, sed censent canone 98 § 4 matrimonium mulieris latinae quae initio celebrationis matrimonii transit ad ritum viri, indirecte subtrahi ambitui canonis 1099.

At admissa legislatoris voluntate huius exceptionis statuendae, primo mirum videtur quod exceptionem non solum non edixit sub capite quod inscribitur « De forma celebrationis matrimonii » ideoque locus proprius est huius normae, sed ne memoravit quidem in canone 1099 § 1, n. 3. Id vel eo magis notandum propterea quod favor ca-

[1] Glossa ordinaria ad const. Gregorii IX, Rex Pacificus, cf. A. VAN HOVE, *De legibus ecclesiasticis*, p. 262.

none 98 § 4 concessus ad id solum fere tenderet ut matrimonium virum orientalem inter et mulierem latinam liberaret a praescripto canonis 1099 [2]. Porro si supponamus hanc fuisse legislatoris mentem, quomodo factum est ut ne in canone 98 quidem intentum suum claris et certis verbis expresserit, sed locutione tam ambigua usus sit, quae aequo iure et forte meliore de sola conservatione iuris anterioris intelligatur.

2. Accedit quod ipsa verba canonis 98 § 4 sententiae contrariae minus favent. Concessimus sane supra textum huius canonis utramque pati interpretationem, ne argumentis subtilioribus nostrae sententiae veritatem propugnare videremur. Sed postquam aliis locis constat mentem legislatoris ut ex canonibus eruitur, interpretationi non favere, hoc quoque indicium non sine utilitate afferri posse videtur. Si legislator enim concedere voluisset ut mulier iam ab initio celebrationis ritui mariti adscripta haberetur, id sane aptioribus verbis expressisset. Nam qui dicit mulierem in matrimonio ineundo transire, affirmat eam initio celebrationis adhuc ritui *a quo* adscriptam fuisse, seu aliis verbis initium celebrationis ratione saltem transitum antecedere. Mulier igitur sub lege nativi ritus constituta erat cum celebrationis exordium factum est. Id saltem his considerationibus apparet ipsum textum canonis 98 § 4 non admodum favere huic interpretationi.

3. Mulieri transitus ad viri ritum certe idcirco concessus est, ut in matrimonio unitas et uniformitas inter coniuges melius servetur. Cum igitur transitus concedatur ob matrimonium, consentaneum est transitum effici matrimonio iam contracto vel melius per contractionem matrimonii, ut in fontibus anterioribus interdum explicite dicitur.

Secundum interpretationem can. 98 nobis non acceptam a Leone XIII et iterum a Codice I. C. novus favor

---

[2] Cf. ea quae dicuntur sub num. 3, nota 3.

concessus esset quo mulier in ipsa celebratione matrimonii iam ad ritum viri translata haberetur. Finis vero huius concessionis non bene perspicitur. Nam non est favor datus propter liturgicam matrimonii celebrationem, cum matrimonium iure saltem communi semper ritu viri celebretur sive mulier ad ritum viri transierit sive non. Superest igitur ut supponamus legislatorem iuridicam matrimonii celebrationem liberiorem vel faciliorem reddere voluisse. Sed ne id quidem qua ratione factum sit, facile videtur. Nam quo tempore in const. « Orientalium dignitas » hic favor primum datus esset, partes diversi ritus inter se contrahentes, cum necessitas benedictionis ab Congregationibus non agnosceretur, aut nulla cuiusquam formae lege aut decreto « Tametsi » concilii Tridentini adstricti erant. Sed cum sub hac quoque lege principium « communicationis libertatis » admitteretur, difficulter intelligitur quomodo transitus ab initio celebrationis permissus matrimonii celebrationem faciliorem reddidisset [3]. Non ita sane in iure Codicis l. C. secundum quod matrimonium inter virum orientalem et mulierem latinam forma Codicis servata contrahi debet. Sed etiam si missum facimus quod Codex in hac re repetivit normam ab antiquioribus fontibus transsumptam, alia remanet difficultas. Iam in decreto « Ne temere » itemque in Codice apparet studium omnes Latinos catholicos cumque eis contrahentes uniformiter subiciendi formae a Codice stabilitae. Non facile igitur neque sine solida probatione admitti potest fuisse mentem legislatoris stabiliendae nor-

[3] Quotiescumque vel una sola pars aut nulla lege formae adstringebatur aut decreto « Tametsi » subiecta personaliter libera erat, transitus mulieris ab initio celebrationis peractus nihil operatus esset. Tunc tantummodo si ambo contrahentes ex lege ritus nativi personaliter ad formam decreti « Tametsi » servandam tenebantur, in quibusdam raris casibus forte mulier in ipsa celebratione matrimonii iam ritui mariti adscripta personaliter libera facta esset. Sed quis credit Leonem XIII legem suam pro his casibus raris et difficulter diiudicandis dedisse?

mae quae coniugibus quotiescumque volunt, hoc praescriptum formae servandae eludere permittit.

4. Explicatio denique quae normam 98 § 4 de diverso transitus tempore interpretatur, etiam consideratione historiae huius normae commendatur. Vix enim dubitari potest quin const. « Orientalium dignitas » in qua primum invenitur, ortum habuerit ex difficultatibus parvo tempore ante, anno 1887 Sacrae Congregationi de Propaganda Fide propositis. Sub num. 4 documenti interrogatum est « utrum mulier quae tempore initi matrimonii prorsus ignoraverit sibi licere ritum viri sui sequi seu adoptare, et post cognitum errorem, declarat se libenter eundum adopturam fuisse si scivisset, et nunc quidem idipsum sequi cupere, possit dicta mulier quasi innovato beneficio gaudere, et deinceps ritum maritalem, nova facta declaratione sequi et adoptare » [4]. Hic opponitur tempus initi matrimonii et tempus posterius. In const. « Orientalium dignitas » permissio a S. Congr. data praeter casum in dubio consideratum extenditur, sed sub modo dicendi magis classico iterum utrumque tempus transitus, tempus quo matrimonium contrahitur et tempus posterius consideratur. Idem dein habetur in const. « Ea semper » (ubi de transitu mulieris ruthenae ad ritum viri latini sermo est) quae in hac re sine ullo dubio normam a Leone XIII datam sequitur [5]. Hic enim legitur: « Si vero vir latinus in uxorem duxerit mulierem ruthenam, integrum erit mulieri ad ritum latinum, sive in actu matrimonii, sive *postea, durante matrimonio* transire ». In omnibus igitur his documentis videmus oppositionem illam quae inter duo momenta transitus stabilitur, sensu temporali intelligi.

Ex consideratione igitur locorum parallelorum, finis legis, historiae ipsius textus apparet nullum indicium inveniri quo probetur legislatorem intendisse concedere ut

---

[4] *C. I. C. Fontes,* VII, p. 518, n. 4919.
[5] Art. 27 *ASS.*, XLI, p. 9.

mulier ab ipso celebrationis initio ritui viri adscripta haberi possit. Immo mente volventi legislatorem non semel, uti notavimus, debuisse manifestare hanc mentem si re vera id voluisset, dubium esse non potest quin id stabilire noluerit. Propterea salvo meliore iudicio alteram canonis 94 § 4 interpretationem solam admittendam esse reputamus.

AEMILIUS HERMAN S. I.

De impedimento iuris ecclesiastici in neoconversis

Casus. Titius et Caia, vinculo consanguinitatis in secundo gradu collaterali coniuncti, matrimonium in infidelitate valide contraxerunt. Mox ambo baptismum recipient. Quidam e nostris missionariis dispensationem super impedimento ecclesiastico petendam putant ut, post matrimonium, renovato consensu, cohabitare possint. Cum enim post baptismum legibus Ecclesiae iam teneantur, renovationem consensus praestare nequeunt cui obstat impedimentum dirimens ecclesiasticum. Praeterea cum, secundum quosdam auctores, eorum matrimonium sacramentum fieri nequeat sine renovatione consensus, et in materia sacramentorum securior via sit semper ineunda, probabilitate sententiae oppositae contenti esse non possumus. Alii autem missionarii haec in certa iuris et theologiae principia impingere autumant. Quid nobis agendum? nam casus non est ita rarus.

Solutio. Num matrimonium validum non baptizatorum qui convertuntur ipsa baptismi receptione sacramentum evadat, tres sunt sententiae possibiles, quae suos patronos habuerunt; duae defensores retinent. Alii enim dicunt illud matrimonium sacramentum numquam fieri posse. Sacramentum est enim ipse *contractus* matrimonii seu matrimonium *in fieri* per consensum primo praestitum et acceptum. Qui

actus, cum iam locum habuerit et totaliter praeteritus renovari non possit (renovatio enim non est idem actus), iam materia et forma sacramenti matrimonii poni non possunt. Hanc sententiam tenuit SCHMALZGRUEBER, *Ius eccl. univ.*, I, tit. I, n. 310. CARD. GASPARRI, sententiam hanc omnino deseruit, ita ut, in recentiori editione, tertiam sententiam, huic omnino oppositam, solam *veram* asserat (*De matrimonio,* ed post. Cod., I, n. 36).

Secunda sententia tenet matrimonium infidelium fieri sacramentum cum consensum vel novum praestant vel ante baptismum praestitum *actu* approbant. Habuit quoque patronos magni nominis, ut BELLARMINUM, *De matrimonio,* I, cap. 5.

Tandem plerique auctores moderni [1] censent matrimonium infidelium sacramentum effici ipso baptismo suscepto, quin ulla renovatio consensus necessaria sit. Alii aliter rem explicant: aut habent consensum virtualiter perseverantem tamquam materiam et formam nunc recepti sacramenti aut vinculum stabile coniugum tamquam sacramentum et rem habent aut potentiam sacramenti quae in infidelibus valide coniunctis exsistit in actum transire dicunt, sublato defectu christianitatis.

Haec dilucide proposita invenies apud Th. M. VLAMING, *Praelectiones iuris matrimonii.* t. I (1919), n. 36 vel apud PAYEN, G., S. J., *De matrimonio,* I (1929), n. 32, ss.

Sancta Sedes nullam sententiam damnavit vel canonizavit. Quantam autem probabilitatem tertiae sententiae documenta et praxis Ecclesiae conferant facile e sequentibus apparet.

Ut omittamus verba Apostoli ad Ephesios (II, 11-13) quae matrimonium etiam neoconversorum sacramentum esse videntur supponere, afferri possunt verba Pii IX qui

---

[1] Ut pauci nominentur: CAPPELLO, *De matrimonio,* 3ª ed., n. 35; DE SMET, *De sponsalibus et matrimonio,* ed. 4ª, I, n. 178; PYEN, *De matrimonio,* I, n. 32 ss.; VLAMING, *Prael. iuris matrim.*, I, n. 36; WERNZ-VIDAL, *De matrimonio,* n. 41, etc.

dixit « Inter fideles matrimonium *dari* non posse quin uno eodemque tempore sit sacramentum » (*Enchir. symb.*, n. 1640). Paulo aliter Codex ait: « Inter baptizatos nequit matrimonialis contractus validus *consistere*, quin sit eo ipso sacramentum ». Qui textus tamen quaestionem non dirimit cum propter verba adhibita (*contractus*), tum quia Codex non solet doctrinales controversias dirimere.

Praxis S. Sedis tertiae sententiae omnino favet. Dum enim neo-conversos hortatur ut benedictionem matrimonii petant (*Coll. de P. F.*, n. 1557), renovationem consensus nedum exigat vel suadeat, a missionariis exigi vetat, secundum Gasparri, *De matrimonio*, n. 36, nota 2. De vi tamen textus Payen dubitat, o. c., n. 40, 2°. Saltem explicite asseritur renovationem consensus non esse necessariam, quando non est dubium de validitate matrimonii in infidelitate contracti. *S. O.*, 20 sept. 1848 cit. a Wernz, *Ius Decret.*, IV, n. 43.

Ex his ad difficultates missionariorum responsum facile datur.

1° Illi infideles, non obstante consanguinitate in secundo gradu collaterali, valide matrimonium contraxerunt. Baptismus autem, ut patet, illud matrimonium, nedum irritet, ita firmat, ut denuo consummatum iam nulla potestate humana solvi possit.

2° Ut matrimonium post baptismum consistat, nulla consensus renovatio exigitur. Etiamsi praestatur sive explicite, sive implicite, nullam dispensationem ab impedimento ecclesiastico postulat. Impedimentum enim matrimonii matrimonium iam valide contractum afficere esset contra ipsam naturam contractus matrimonialis et legis ecclesiasticae.

3° Quare, etiamsi sententiae secundae adhaerentes missionarii neo-conversis renovationem consensus suadent (quod forte valde imprudens fuerit), sine ulla dispensatione neo-baptizati sacramentum recipient. Cum autem illa renovatio consensus matrimonium non constituat, sed sit

tantum condicio ut matrimonium sacramentale fiat, impedimentum ecclesiasticum illam nullo modo afficit.

4° Neque haec renovatio suadenda est ut neo-conversi certius sacramentum recipiant. Nam: *a*) neo-conversi ad illud sacramentum recipiendum (si illud ipso baptismo non recipiant) non tenentur; *b*) si consensus virtualiter perseverans vel in ipso actu coniugali implicite renovatus ad sacramentum recipiendum non sufficit, nulla seria probabilitate renovatio expressa consensus illum effectum producit; *c*) secure omnino agit qui praxim S. Sedis sequitur. Iamvero ipsa renovationem consensus nullo modo exigit, neque positive suadet.

Ios. Creusen S. I.

Quaestiones de sacra ordinatione

1. Episcopus, postquam diaconos ad presbyteratum promovendos vocaverat, instante iam ordinationis die, e vita decessit. Dubitatur an Vicarius Capitularis, qui episcopali dignitate polleat, ordinationes licite peragere valeat.

Resp. Censemus ordinationes licite fieri posse, quae conclusio epikeia quadam nititur. Concilium Tridentinum, sess. VII, cap. 10, de ref., prohibuit ne Capitulum, vel Vicarius Capitularis, infra annum a sede vacante, dimissorias concederet nisi « arctatis »; quae disciplina in Codicem est inducta (c. 958, § 1, 3°). Clerici de quibus agitur in casu non sunt arctati, nec proinde sub provisa exceptione veniunt. Et ultro admittimus Vicarium, etsi episcopali charactere ornatum, nec litteras concedere nec ordines per se conferre posse, si agatur de casu ordinario. At ubi quaestio est de iis promovendis qui iam a proprio Episcopo ad determinatum sacrum ordinem sunt vocati, res aliter se habet, et dubitare potest an prohibitio ad casum

extendatur. Nam vocatio a proprio Episcopo facta supponit impleta iam fuisse omnia quae requiruntur, habitis etiam testimoniis de quibus in cc. 993-1000 et Instructione S. C. Sacr. 27 dec. 1930 (*AAS* XXIII, p. 120), ad normam canonis 960, § 1. De quibus, si ex actis legitime constat simul cum vocatione ab Episcopo ante decessum facta, vocatio locum supplere videtur dimissoriarum, ita ut Vicarius Capitularis licite ad ordinationes procedere valeat.

2. An idem Vicarius Capitularis possit intra annum ad ordines sacros promovere alios subditos, qui ab Episcopo nondum fuerant vocati, sed qui ad pastoralia officia destinantur, quae sacerdotes tempore belli ad militiam coacti vacantia reliquerunt?

Resp. Agitur de arctatis ratione certi alicuius officii, cui propter necessitatem dioecesis sine dilatione est providendum. Unde, ad normam canonis 958, § 1, 3°, Vicarius Capitularis bene potest litteras dimissorias dare; et cum necessariam ordinis potestatem habeat, potest ipse quoque ordines conferre (c. 959).

3. Clerici quidam, ante aliquot annos, ad primam tonsuram erant promoti a proprio Episcopo, pro servitio tamen alius dioecesis determinatae, cum huius Episcopi consensu, sed absque domicilio ibi quaesito. Unde, iuxta responsum Commissionis Interpretationis diei 24 iul. 1939 (*AAS* XXXI, p. 321) iam censentur incardinati huic dioecesi, cuius Episcopus iure proprio et exclusivo iis ulteriores ordines conferre valet. De hac autem iuris determinatione, ante citatum responsum non plane constabat. Imo ipsi Episcopi regionis de qua agitur communiter aestimabant ulteriores ordines esse conferendos ab Episcopo originis et domicilii ad normam canonis 956, non obstante destinatione alii dioecesi. Appropinquante autem tempore ordinationis sacerdotalis, iidem clerici valde optant ut cum dimissoriis Episcopi originis ordinari possint. Ratio, quia, vacante sede destinationis, Vicarius Capitularis infra annum litteras concedere nequit, et annum inutiliter expe-

ctare nolunt. Nonne dubium iuris ante citatum responsum existens aliquo modo invocari potest ad benignam solutionem?

Resp. Dubium iuris, etsi supponitur ante citatum responsum vere existens, nihil in casu contra authenticam interpretationem efficere potest. Nam unica quaestio est de proprio Episcopo futurae ordinationis, de qua, post citatam interpretationem, nullum iam existit iuris dubium. Urgebit quis dubium iuris antea existens potuisse in ipsam clericorum incardinationem influere; nam incardinatio facta est existente dubio, et ab ipsis Episcopis censebatur facta in dioecesi originis, non autem in dioecesi destinationis. Quo concesso, clerici saltem probabiliter in dioecesi originis erant incardinati, et probabiliter ibi incardinati manent. Sed neque haec rem efficiunt. Incardinatio enim per primam tonsuram neque ab Episcopi ordinantis intentione neque a communi Episcoporum sententia pendet, sed ipso iure efficitur et unice a iure obiectivo dependet. Dato dubium iuris, etiam obiectivum, tunc exstitisse, nunc tamen plane constat incardinationem unice in dioecesi destinationis fuisse effectam; cuius Episcopus proinde unice proprius est ad ordines conferendos.

4. An ordines maiores, gravi causa interveniente, conferri possunt in festo Corporis Christi, in regione ubi (ut in Statibus Foederatis Americae) illa dies, vi indulti S. Sedis, iam non ut de praecepto observatur, translata scilicet sollemnitate in diem dominicam proxime sequentem?

Resp. Canon 1006, § 3 decernit: « Gravi causa interveniente, Episcopus potest eas (ordinationes in sacris) habere etiam quolibet die dominico aut festo de praecepto ». Quidam auctores, iure antiquo innixi, affirmabant in ista facultate comprehendi etiam festa suppressa; quae sententia, post responsum Commissionis Interpretationis diei 15 maii 1936 iam sustineri nequit. Nam ad dubium: « An sub verbis *festo de praecepto*, de quibus in canone 1006, § 3, veniant etiam festa per Codicem in universa Ecclesia

suppressa »; Commissio respondit: « Negative » (*AAS* XXVIII, p. 210). Tamen censemus includi festum quod in universa Ecclesia revera est de praecepto (c. 1247), quamvis in loco ordinationis suppressum sit. Ita docebant VERMEERSCH (*Theol. mor.* III, n. 730) et PAUWELS (in annotatione citati responsi in *Periodica* XXV, p. 208). Accedit responsum privatum ab Exc.mo Delegato Apostolico Statuum Foederatorum, die 13 maii 1938 transmissum ad Exc.mum Episcopum Ogdensburgensem, quod ex authentico documento sic latino sermone vertitur:

« Ordinarii est iudicare an adiuncta, quae in litteris tuis referuntur, gravem constituant causam, quae licitam reddat ordinis sacerdotalis collationem in festo Corporis Christi. Si Ordinarius affirmative censeat, nihil obstat quominus eorum moralistarum sequatur sententiam, qui docent canonem 1006, § 3 comprehendere festa quae ubique per se ex Codice vigent, quamvis in loco ordinationis dispensentur, quale est festum Corporis Christi, quod festum est de praecepto in universa Ecclesia (c. 1247, § 1) ».

T. LINCOLN BOUSCAREN, S. I.

Consultatio de caeremoniis hebdomadae sanctae

Sunt apud nos casus quod parochus administrat duas parochias cum facultate binandi. Quaeritur ergo:

An celebrare possit parochus, utendo facultate binandi, sanctam missam in utraque ecclesia parochiali et peragere omnes sacros ritus, et quidem feria V in Cena Domini, feria VI in Parasceve, Sabbato sancto.

Si negative,

An peragere possit parochus in altera parochiali ecclesia sine missa tantum praescriptos s. ritus, nempe, feria V in Cena Domini, Sanctissimum e tabernaculo maioris

altaris reponere ad paratum locum et dein peragere denudationem altaris; feria VI in Parasceve, peragere s. ritus usque ad denudationem s. Crucis inclusive; Sabbato sancto peragere benedictionem ignis et fontis baptismalis.

Respondetur:

Ad primum negative. Etenim ad normam canonis 806 nemini licet, extra diem 2 novembris et 25 decembris, plures missas eodem die celebrare, nisi ex apostolico indulto aut potestate facta a loci Ordinario. Iam vero ex ipsis quaesiti verbis apparet nullum adesse apostolicum indultum. Facultatem autem pluries in die missam celebrandi impertiri nequit Ordinarius, nisi propter penuriam sacerdotum die festo de praecepto notabilis fidelium pars missae adstare non possit. Porro nulla e tribus feriis maioribus de quibus agitur festum de praecepto est. Adde quod missa praesanctificatorum non est vera missa sed ritus communionis. Nulla autem lege conceditur ut extra casum viatici sola communio pluries in die aliquando fieri possit.

Ad secundum. Fas non est, omissa ipsa missa, reliquas hebdomadis sanctae caeremonias perficere. Attamen ex decreto S. C. Rituum 3842, ad III, ubi nulla habetur functio, potest tamen feria V in Cena Domini sacra pixis in suo altari servari usque ad solis occasum, ut fideles, loco sepulcri, ad ss.mam Eucharistiam adorandam accedere valeant. Immo nihil prohibere videtur quominus Ss.mum in aliud altare reponatur quod convenienti tabernaculo eoque fixo muniatur et ad instar illius altaris quod sepulcrum vocari solet, ornatum sit. S. Pixis tamen in ipso tabernaculo collocanda est.

Quod ad fontis benedictionem attinet, sequatur parochus normas decretorum S. C. R. 4005 (13 ian. 1899) et 4057 (29 maii 1900) ad I. Videlicet: etiam in ea parochia in qua officia diei non celebrat, debet parochus per sacerdotem delegatum fontis baptismalis benedictionem integram perficere. Si tamen, onerata super hoc conscientia

sua, nullum reperire potest sacerdotem cui illam committat, consecret parochus in celebrando officio diei eam copiam aquae quae utrique ecclesiae parochiali sufficiat.

IOANNES M. HANSSENS S. I.

An sacerdotes ex clero indigena in missionibus gaudeant privilegiis omnibus Piae Unioni concessis

« Omnes sacerdotes qui actu in missionibus degunt vel valetudinis, senectutis aut obedientiae causa eas relinquere coacti sunt, omnibus privilegiis et gratiis Piae Unioni concessis gaudent ». (Statuta Generalia Piae Unionis Cleri pro Missionibus, n. 13; Decretum S. C. Prop. Fid. 14 apr. 1937, *AAS* XXIX [1937] p. 438).

Quaeritur: 1. An verba *omnes sacerdotes* intelligenda sint etiam de sacerdotibus cleri indigenae, tum saecularibus tum religiosis.

2. An verba *omnibus privilegiis et gratiis* intelligenda sint tum de favoribus quae omnibus sodalibus conceduntur, tum de favoribus iis tantum sodalibus concessis, qui inscripti sunt ante diem 1 aprilis 1933, ita ut sacerdotes indigenae omnes, sive iam nunc ordinati, sive in posterum ordinandi, gaudeant vel gavisuri sint favoribus utriusque seriei.

De primo quaesito nobis non videtur esse ratio dubitandi, nam affirmativa responsio certa videtur. Etsi mens Ecclesiae in ista concessione erat praemio quodam spirituali remunerari sacerdotes *extraneos*, qui ex propria regione ad missiones se contulerint, nullum indicium est ab iisdem favoribus *excludi sacerdotes cleri indigenae*. Immo, talis distinctio invidiosa esset et contradiceret pluribus et gravissimis Ecclesiae documentis praesertim recentioribus. Verba concessionis in textu et contextu considerata nullum dubium admittunt. « Omnes sacerdotes »

includunt sacerdotes tum saeculares tum religiosos, tum extraneos tum indigenas, « qui actu in missionibus degunt vel valetudinis, senectutis aut obedientiae causa eas relinquere coacti sunt ». Et observes haec ultima verba etiam de sacerdote indigena intelligi posse et debere. Nam contingere potest ut hic etiam, perinde ac sacerdos extraneus missioni addictus, obedientiae causa Romam, vel alibi causa valetudinis etc. se conferat. Sed etsi dubius esset sensus concessionis, deberet ad normam canonum 68 et 50 latam accipere interpretationem. Interpretatio autem quae limitationem contra clerum indigenam sine fundamento induceret, nedum lata sed ne rationabilis quidem esset.

Ratio dubitandi de secundo quaesito videtur fuisse Decretum Sacrae Paenitentiariae diei 20 martii 1933, quod die 1 aprilis est promulgatum (*AAS* xxv [1933] p. 170; *Periodica* xxii [1933] p. 106). Quo decreto, « concessiones... piis fidelium associationibus... hucusque factae, largiendi privatis sacerdotibus facultates et indulta... benedicendi devotionis obiecta eisque Indulgentias Apostolicas aut Sanctae Birgittae... adnectendi etc.... revocantur, abrogantur atque omnino abolentur... » Quae revocatio fundamentum est distinctionis favorum spiritualium quos Pia Unio suis alumnis *ratione adscriptionis* elargitur, in duas series seu sectiones, prout in elencho ab ipsa S. C. Prop. Fid. digesto inveniuntur. Sunt nempe « favores spirituales omnibus sodalibus concessi » et « favores spirituales tantum sodalibus concessi ante diem 1 aprilis 1933 adscriptis »; in qua altera serie enumerantur facultates quas, post illam diem, ob citatum S. Paenitentiariae Decretum, Pia Unio suis alumnis iam impertiri non potest. (Cf. elenchum recognitum favorum spiritualium membris Piae Unionis Cleri pro Missionibus concessorum; *Periodica* xxvii [1938] p. 138).

Sed si verba citati Decreti attente perpenduntur nulla ratio apparet excludendi missionarios a favoribus huius

alterius seriei. Nam in Decreto agebatur de concessione ab ipsa Pia Unione *suis membris qua* talibus non amplius facienda. Missionarii autem, iuxta Statuta Piae Unionis, quae vim habent Decreti S. C. Prop. Fid., « omnibus privilegiis et gratiis Piae Unioni concessis gaudent », non ut membra Piae Unionis sed ut missionarii, nec vi adscriptionis Piae Unioni, sed vi concessionis ab ipsa Sacra Congregatione factae et Pontificia auctoritate confirmatae. Quae concessio nullam Piae Unioni adscriptionem requirit, et multo minus adscriptionem ante diem 1 aprilis 1933. Praeterea, si in hunc sensum esset interpretanda, lapsu temporis evaderet inutilis, decedentibus scilicet missionariis qui illa die adscripti erant, ita ut post plures annos iam nulli superstites essent sacerdotes qui concessis favoribus frui possent.

Quapropter P. Hecht, in commentario de elencho favorum spiritualium Piae Unionis (*Periodica* XXVII [1938] pp. 140-154 et 247-258) ne dubium quidem movet quin missionarii *ut tales* utriusque seriei favoribus gaudeant.

Sedulo autem notandum est (cum eodem, l. c.) quod quaedam utriusque seriei facultates adnexam habent conditionem « dummodo adscriptus ad sacerdotales confessiones audiendas sit approbatus ». Quae conditio profecto etiam missionariis applicatur. Sunt autem: *a*) in prima serie, facultates III-V, benedicendi et imponendi scapularia; *b*) in altera serie, facultates I-V, seu omnes, excepto indulto personali altaris privilegiati.

Futuri missionarii sub iisdem conditionibus ac praesentes iisdem favoribus gaudebunt, nisi interim S. Sedes aliter decreverit; nam verba concessionis « qui actu in missionibus degunt » temporis limitationem non exprimunt sed sunt in oppositione cum sequentibus, « vel valetudinis, etc. ».

Conclusio: Sacerdotes utriusque cleri, sc. tum saecularis tum religiosi, sive extranei sive indigenae, qui in missionibus degunt vel valetudinis, senectutis aut obe-

dientiae causa eas relinquere coacti sunt, omnibus favoribus fruuntur in utraque sectione elenchi enumeratis, sub conditionibus ibi expressis, et sine necessitate Piae Unioni adscriptionis. Missionarii, ut supra, etiam in posterum iisdem privilegiis sub iisdem conditionibus gaudebunt, nisi interim S. Sedes aliter providerit.

T. Lincoln Bouscaren, S. I.

Casus conscientiae
De servitio militari et de « obiectione conscientiae »

1. Tarsitius, clericus in minoribus, bello in propria patria ad certissima libertatis et religionis iura tuenda exorto, cupit ad exercitum convolare et arma sumere, quamvis exemptus legibus patriis sit, putans, in tanta et tam sancta patriae causa, etiam a clericis, arma sponte esse sumenda.

2. Stephanus sacerdos, iusto bello in patria suscepto, convocatus ad arma gestanda, cum sine difficultate possit convocationi non respondere, ubi degit ibi manet, ministeriis spiritualibus operam dans; arguitur tamen a quodam confratre de pietatis in patriam officiis violatis.

3. Lucius, opinione innixus quae tenet omne bellum hodie iniustum esse, saltem in praxi, tempore convocationis generalis, omnem adhibet operam, non solum ut se liberet a servitio militari praestando, sed, etiam, ad quamplurimos dissuadendos a servitio militari praestando.

I

Praenotanda ad casus solvendos.

1. Certum est cives teneri, in bello iusto, patriae iura tueri, etiam cum vitae propriae iactura.

In bello iusto agitur de iuribus fundamentalibus patriae defendendis; libertate, integritate, religione etc. quae aliter tueri ab iniusta vexatione non possunt. Atqui in illo casu civis tenetur bono totius consulere etiam cum vitae iactura. Unde Leo XIII amorem erga patriam proponit ut exemplar amoris erga matrem Ecclesiam dicens: « Adamanda igitur patria est, unde vitae mortalis usuram accepimus; sed necesse est caritate Ecclesiam praestare, cui vitam animae debemus perpetuo mansuram: quia bona animi corporis bonis rectum est anteponere, multoque, quam erga homines, sunt erga Deum officia sanctiora ... Nunc vero si civitatem, in qua editi susceptique in hanc lucem sumus, praecipue diligere tuerique iubemur lege naturali eousque, ut civis bonus vel mortem pro patria oppetere non dubitet, officium est christianorum longe maius, simili modo esse in Ecclesiam semper affectos ». Enc. *Sap. christ.* Dz. n. 1936 a.

2. Si vero de clericis agitur, hoc officium multo magis quam fideles eos erga Ecclesiam, ita adstringit ut « de foro Ecclesiae facti » [1] a negotiis saecularibus abstinendum sit, et utendum iure particulari immunitatis, quod eis renuntiare non licet. « Clerici omnes a servitio militari ... immunes sunt » (can. 121). Et Can. 141. § 1. Saecularem militiam ne capessant voluntarii, nisi cum sui Ordinarii licentia, ut citius liberi evadant, id fecerint; § 2. Clericus minor qui contra praescriptum § 1 sponte sua militiae nomen dederit, ipso iure e statu clericali decidit ».

Unde bene *Bouuaert-Simenon*: « Nefariae sunt leges civiles quae clericos servitium militare stricte dictum assumere cogunt. Aliae leges civiles servitium militare late dictum imponunt; clericos nempe adstringendo ad servitia praestanda, sive ut cappellani militum, sive quatenus curae infirmorum addicti. Quae quidem servitia partim cum

---

[1] *Pont. Rom.*, de clerico faciendo.

statu clericali plane concordant, partim ab eo non sunt prorsus aliena »[2].

Itaque servitium militare stricte dictum, i. e. arma ad pugnandum gestando, non nisi vel coacti, vel cum Ordinarii licentia ut citius liberi evadant clerici assumere possunt; late sumptum, de venia episcopi, debitis cautelis adhibitis, bene suscipere possunt.

3. Servitium militare ordinatur, remote ad cives praeparandos, per apta exercitia, ad bellum gerendum; proxime, ad ipsum bellum gerendum.

Certum est auctoritatis supremae esse providere ut patriae sit militum sufficiens copia a quibus semper defendi possit; et consequenter, *cives teneri, ex pietate erga patriam et ex iustitia legali, legibus iustis militaribus, obedire.* Mensura enim obligationis ex pietate, in his quae sponte non sunt praestanda, legis est determinatio. Legum determinatione diversae fuere: nam habetur:

a) *Conscriptio libera,* qua congregantur qui propter stipendium, ultro se offerunt, salvo conscriptionis universalis iure, urgente belli necessitate.

b) *Conscriptio obligatoria per sortem*: qua ex omnibus aptis, certa aetate, usque ad numerum praefinitum, sorte designantur ii quibus onus est imponendum.

c) *Conscriptio obligatoria universalis*: qua omnes iuvenes certae aetatis tenentur servitium praestare.

Hodie conscriptio obligatoria universalis invalescit, ita ut honori esse ducatur quam maxime, militiam agere; quae ut officium personale et insustituibile habetur.

4. *Quaenam sunt iustae leges, in hac materia?*

Normam, theoretice, dare, facile est: *Illa lex est iusta quae, habita ratione finis providendi securitati tam internae quam externae patriae, onera non imponit nisi necessaria, et personis accommodata.*

---

[2] *Manuale Iuris can.* I, n. 279.

Si ergo finis legis obtineri potest per conscriptionem voluntariam, obligatoria non est iusta. Imponit enim onera gravissima non necessaria.

Aestimare autem utrum proportio inter necessitatem et onera verificetur, ad peritos et expertos, in diversis regionibus, pertinet. Personis non sunt accommodata: clericis arma imponere; vel patribus familias omne subsidium filiorum aufferre, vel debilioribus labores rudissimos imponere. Discrimen inter moralistas datur in modo iudicandi conditiones facti.

Non paucis videntur iniustae leges conscriptionis universalis tempore pacis. Nam a) inaequaliter familiae gravantur, prout filios habeant vel minus; b) nimis dura est privatio libertatis et subiectio sustinenda; *c*) nimium infert damnum, dum in aetate ad vitam ordinandam pretiosissima, coguntur omnia propria relinquere; d) multis periculis moralibus iuvenes obiiciuntur; e) aliter finis obtineri potest.

Sic Vermeersch (*De Iustitia* n. 121-24). Ferreres (vol. II, n. 884), Güenechea, (*Principia iuris politici*, vol. II, n. 401 et seq.) et alii non pauci. Ab aliis leges istae saltem habentur ut poenales; sic Noldin, (Vol. II, n. 319).

Aliis, si iustae exceptiones fiant, pro filiis-familias necessariis ad sustinendam domum, pro clericis et aegrotis, leges conscriptionis iustae videntur. Sic Bucceroni (*Inst. theol. mor.* II, n. 1384) qui tamen exigit ut prius voluntarii quaerantur quam coeteri cogantur. Fere eodem modo Ubach, (*Theol. mor.* I, n. 884). Viri politici vero multi favent legi conscriptionis universalis ob has fere rationes: a) ad aequalitatem inter cives urgendam; b) ad spiritum nationis excolendum; c) ad exercitum parandum ad bellum necessarium.

5. *Sententia nostra*: *A priori*, iuxta normam iustitiae distributivae, onera non imponenda nisi necessaria. Et moderatorum civitatis est efficere ut onera durissima sine vera necessitate non imponantur. Ergo, cum in aequa con-

ditione vitae socialis et internationalis, securitati consulere possint sine servitio militari obligatorio, tenentur gubernatores populorum ad illud mitigandum. Peccatum ergo in eo est quod, ii qui valent, operam non dant ad vim armorum minuendam una cum militum numero [3].

In quo vestigia sectamur RR. PP. a Leone XIII [4].

In concreto tamen antequam de iniustitia legis quis sententiam det attendat oportet: a) Quid de necessitate conscriptionis sentiant viri politici honesti et catholico sensu imbuti; b) quaenam sit, in hac re, opinio et conditio statuum circumstantium. Impius in patriam esset, qui dum Status circumstantes vi armorum pollent, inermem vellet proprium Statum manere; cum in ordine internationali, pro dolor, alia iuris tutela efficax praeter vim, etsi inventa, ad actum nondum sit deducta.

6 *De « obiectione conscientiae »* [5].

Ex dictis apparet; nos bellum iustum ut possibile hodie habere, et consequenter obligatorium esse civibus arma in illo sumere, si convocentur.

Contra sentiunt qui sic dictam « obiectionem conscientiae », invocant ut se ab omni obligatione militari eripiant.

Fuere nempe qui exterrefacti ex atroci bello mundiali, foedera inierunt contra omne bellum in futuro: ut medium efficax propositum fuit inducere populos ad dene-

---

[3] Cfr. ad quamdam ideam de causis occultis progressionis armorum habendam, LECLERCQ, *Leçons de Droit naturel* vol. IV, p. 133 et sq.

[4] Cfr. DUCATILLON, *Le vrai et le faux Patriotisme*, Spes, 1933. pag. 240 seq.

[5] Cfr. DUCATILLON, o. c. pag. 211-266; *Leclercq, Leç de Dr. Nat.* IV, pag. 109 et seq.; YVES DE LA BRIÈRE, S. J., *Le droit de juste guerre*, Paris 1938, Chap. III, n. II. Si una guerre peut être juste des deux côtés à la fois. p. 82-85, Les devoirs de la conscience devant l'appel Militaire p. 85-96; BARTHÉLÊMY DE LIGHT, *La paix créatrice* 2 vol. trad. hollandais, Paris 1935; HERRING, G. J., *Dieu et César*. La carence des Eglises devant le problème de la guerre. (Trad. du hollandais par H. ROCHART, pasteur, Paris 1933).

ganda guberniis omnia subsidia bellica, maxime subsidium personalis servitii.

Duplex forma obiectionis: a) *Absoluta*: imponit obligationem resistendi legibus militaribus eo quod semper et ubique malum sit « occidere » proximum. Impugnat omne bellum; falsitas talis theoriae apparet ex doctrina certa de liceitate belli.

b) *Relativa*. Quidquid sit de theoria: hodie bellum adeo immane est ut nulla sit belli gerendi causa proportionata: ergo bellum est aut certe iniustum aut saltem probabiliter. Consequenter, cum ad arma gerenda et ad partem habendam in bello, certitudo requiratur de illius iustitia, cives non possunt hodie obedire legibus militaribus[6].

Haec theoria cum doctrina catholica de bello et de officiis civium erga patriam conciliari non potest.

1° Falsum est, nostris temporibus, iustam belli causam dari non posse. Dato etiam quod ex bello ingentes timendae sint ruinae, bona ordinis moralis, religiosi et culturae quae ab hostibus oppetuntur, talia esse possunt ut merito cives cogantur bellum gerere ad haec bona, in omni eventu, tuenda.

2° Si belli causa iusta adessa potest; si temporum adiuncta timorem belli rationabiliter incutiunt; iustum est exercitum tempestive praeparare, etiam per conscriptionem obligatoriam. Prudentis est praevidere.

3° Bello exorto, in dubio de belli iustitia, praesumptio stat pro auctoritate et consequenter singuli obedire tenentur. Hoc exigit rectus ordo, ne disciplina interna Status, ubi magis est necessaria, destruatur. Haec fuit et est communis theologorum doctrina. Vide - Victoria, *De*

---

[6] Non nulli Status nordici huic opinioni satisfacere conati sunt a lege de servitio militari partim vel ex toto eximendo illos qui obiectionem conscientiae opponerent, eam in servitium civile commutando. Cf. Leclerq, o. c. pag. 137.

iure belli (Ed. Brown Scot.) n. 31, 32. SUAREZ, *De Caritate*, disp. 13, n. 8. PRÜMMER II n. 130. NOLDIN, vol. II, n. 354.

4° Atqui pro dolor, nostris diebus quis privatus occultas rationes bellorum invenire potest, cum, per « propaganda » quae dicitur, opiniones hominum tam vehementer praeoccupentur ut arduum sit, etiam pro eruditis, veritatem invenire?

Unde cum *Conc. Mechlin.* V° (1937), n. 24) practice concludere possumus ea quae PP. Concilii dicunt, etiam ad alias regiones extendendo, nam par est conditio. « In specie, quod leges militares spectat, in hodiernis nostrae patriae adiunctis, *obiectionem conscientiae* illegitimam declaramus ac prorsus reprobamus. Bellum enim iustum nulla valet ratione demonstrari in hodiernis adiunctis impossibile. Auctoritas ergo publica licite potest tempore pacis edicere leges ad condendum instruendumque exercitum, ut paratus sit ad iura essentialia patriae, cogente necessitate, efficaciter defendenda, et cives tenentur praescriptum hac in re servitium adimplere. Ad bellum autem quod attinet, si verum est principium, in bello evidenter iniusto nemini licitum esse partem habere, practice etiam verum est, orto de iustitia belli dubio, praesumptionem stare pro principe praecipiente, cum praesertim subditi, in causis internationalibus maxime intricatis, ad iudicandum cum certitudine apta inquisitionis media sibi comparare nequeant »... [7].

II.

Solutio casuum.

Ad Primum. Tarsitius, nimio aestu ducitur ad iudicandum, etiam in causa iustissima et sanctissima, licitum esse clericis sumere arma. Adest perfectior ratio inserviendi patriam; per ministeria caritatis tum corporalis tum

[7] *Acta et Decreta Conc. Prov. Mechlinen.* V°, Dessain, 1938.

spiritualis. Ad haec utique poterit, episcopo approbante, se offerre Tarsitius.

Quod si, nihilominus militiae nomen dederit, eo ipso ad statum laicalem reducitur cum amissione omnium iurium status clericalis (can. 141).

Ad Secundum. Stephanus, nullo modo tenetur obedire legibus quae eum iniuste, contra ius immunitatis, ad arma gestanda cogunt. Talis lex, utpote iniusta, non est lex. Ergo, qua talis, nullam parit obligationem. Cum unica ratio patiendi legem sit caritas erga semetipsum vel erga statum ad quem pertinet, ad maiora damna avertenda, quae hic non dantur; nec tenetur nec potest convocationi respondere; nec in hoc ab officiis pietatis erga patriam deficit.

Ad Tertium. Graviter Lucius errat putans hodie bellum iustum dari non posse. Nisi ex errore inculpabili, quod per se non est admittendum, excusetur; vel dispensetur a lege positivam exceptionem concedente in favorem illorum qui ex motivis religiosis a militari servitio abhorrent, graviter peccat, servitium militare, tempore convocationis generalis, recusando, nisi certo constet bellum quod paratur esse iniustum; graviter similiter peccat alios ab officio avertendo; et quidem in hoc casu non solum contra pietatem et iustitiam legalem, sed etiam contra iustitiam commutativam: ius enim habet patria ne, honesti cives avertantur ab officiis implendis erga ipsam.

ULPIANUS LOPEZ, S. I.

MONUMENTA

16 - SS. D. N. Pius Pp. XII
Sermo

QUEM SS.MUS D. N. PIUS PAPA XII HABUIT DIE XXIV MENSIS DECEMBRIS A. MCMXXXIX, IN PERVIGILIO NATIVITATIS D. N. IESU CHRISTI, ADSTANTIBUS EM.IS PP. DD. CARDINALIBUS ET EXC.MIS DD. EPISCOPIS AC ROMANAE CURIAE PRAELATIS [1].

(*AAS* XXXII [22 ian. 1940] p. 5)

Quanto più il mostro della guerra si procaccia, inghiotte e si aggiudica i mezzi materiali, che inesorabilmente vengono tutti messi al servizio delle necessità guerresche, d'ora in ora crescenti, tanto più acuto diventa per le nazioni, direttamente o indirettamente colpite dal conflitto, il pericolo di una, vorremmo dire, anemia perniciosa, e si affaccia l'incalzante domanda: come potrà, a guerra finita, una economia esausta o estenuata trovare i mezzi per la ricostruzione economica e sociale, tra difficoltà che d'ogni lato saranno enormemente aumentate, e delle quali le forze e le arti del disordine, che si tengono in agguato, cercheranno di valersi, nella speranza di poter dare all'Europa cristiana il colpo decisivo?

---

[1] Eam solam augusti Sermonis partem referimus, qua Summus Pontifex 5 illa principia enuntiat iustae pacificae conventionis inter nationes post immane bellum componendae. Cf. *Periodica* XXIX, p. 154.

Simili considerazioni del presente e dell'avvenire debbono tener sopra pensiero, pur nella febbre della lotta, i governanti e la parte sana di ogni popolo, e muoverla e spingerla a esaminarne gli effetti e a riflettere sugli scopi e sulle finalità giustificabili della guerra.

E pensiamo che coloro i quali con occhio vigile mirino queste gravi previsioni e considerino con mente pacata i sintomi che in molte parti del mondo accennano a tale evoluzione degli eventi, si terranno, nonostante la guerra e le sue dure necessità, interiormente disposti a definire, al momento opportuno e propizio, chiaramente, per quanto li riguarda, i punti fondamentali di una pace giusta e onorevole, nè rifiuterebbero senz'altro le trattative, qualora se ne presentasse l'occasione con le necessarie garanzie e cautele.

1° Un postulato fondamentale di una pace giusta e onorevole è assicurare il diritto alla vita e all'indipendenza di tutte le nazioni, grandi e piccole, potenti e deboli. La volontà di vivere d'una nazione non deve mai equivalere alla sentenza di morte per un'altra. Quando questa uguaglianza di diritti sia stata distrutta o lesa o posta in pericolo, l'ordine giuridico esige una riparazione, la cui misura e estensione non è determinata dalla spada o dall'arbitrio egoistico, ma dalle norme di giustizia e di reciproca equità.

2° Affinchè l'ordine, in tal modo stabilito, possa avere tranquillità e durata, cardini di una vera pace, le nazioni devono venir liberate dalla pesante schiavitù della corsa agli armamenti e dal pericolo che la forza materiale, invece di servire a tutelare il diritto, ne divenga tirannica violentatrice. Conclusioni di pace, che non attribuissero fondamentale importanza ad un disarmo mutuamente consentito, organico, progressivo, sia nell'ordine pratico che in quello spirituale, e non curassero di attuarlo lealmente, rivelerebbero, presto o tardi, la loro inconsistenza e mancanza di vitalità.

3° In ogni riordinamento della convivenza internazionale, sarebbe conforme alle massime dell'umana saggezza che da tutte le parti in causa si deducessero le conseguenze dalle lacune o dalle deficienze del passato; e nel creare o ricostruire le istituzioni internazionali, che hanno una missione tanto alto, ma in pari tempo così difficile e piena di gravissime responsabilità, si dovrebbero tener presenti le esperienze che sgorgassero dall'inefficacia o dal difettoso funzionamento di simili anteriori iniziative. E poichè alla debolezza umana è così malagevole, si sarebbe tentati di dire, quasi impossibile, di tutto prevedere e tutto assicurare al momento delle trattative di pace, quando torna difficile l'esser scevri di passione e d'amarezza, la costituzione di giuridiche istituzioni, che servano a garantire la leale e fedele attuazione delle convenzioni e, in caso di riconosciuto bisogno, a rivederle e correggerle, è d'importanza decisiva per una onorevole accettazione di un trattato di pace e per evitare arbitrarie e unilaterali lesioni e interpretazioni delle condizioni dei trattati medesimi.

4° In particolare, un punto, che dovrebbe attirare l'attenzione, se si vuole un migliore ordinamento dell'Europa, riguarda i veri bisogni e le giuste richieste delle nazioni e dei popoli, come pure delle minoranze etniche; richieste le quali, se non bastano sempre a fondare uno stretto diritto, quando siano in vigore trattati riconosciuti e sanciti o altri titoli giuridici, che vi si oppongano, meritano tuttavia un benevolo esame, per venire loro incontro in vie pacifiche e anche, ove apparisca necessario, per mezzo di una equa, saggia e concorde revisione dei trattati. Ricondotto così un vero equilibrio tra le nazioni, e ricostituite le basi di una mutua fiducia, si allontanerebbero molti incentivi a ricorrere alla violenza.

5° Ma anche i regolamenti migliori e più compiuti saranno imperfetti e condannati in definitiva all'insuccesso, se quei che dirigono le sorti dei popoli, e i popoli

stessi, non si lasciano penetrare sempre più da quello spirito, da cui solo può provenire vita, autorità e obbligazione alla lettera morta dei paragrafi negli ordinamenti internazionali; da quel senso, cioè, di intima e acuta responsabilità che misura e pondera gli statuti umani secondo le sante e incrollabili norme del diritto divino; da quella fame e sete di giustizia, che è proclamata come beatitudine nel Sermone della Montagna e che ha come naturale presupposto la giustizia morale; da quell'amore universale, che è il compendio e il termine più proteso dell'ideale cristiano e per ciò getta un ponte anche verso coloro, i quali non hanno il bene di partecipare alla stessa nostra fede.

Non misconosciamo quanto gravi siano le difficoltà che si frappongono al conseguimento dei fini, da Noi tracciati in grandi linee, per fondare, porre in atto e conservare una giusta pace internazionale. Ma se mai vi fu scopo degno del concorso degli spiriti nobili e generosi, se mai sorse ardimento di crociata spirituale, in cui con nuova verità risonasse il grido « Dio lo vuole », è veramente quest'altissimo scopo e questa crociata e lotta di cuori puri e magnanimi, ingaggiata per ricondurre i popoli dalle torbide cisterne di interessi materiali ed egoistici alla fonte viva del diritto divino, il quale solo è potente a dare quella moralità, nobiltà e stabilità, di cui troppo e troppo a lungo si è sentito il difetto e il bisogno con grave iattura delle nazioni e dell'umanità.

A questi ideali, che sono in pari tempo i fini reali di una vera pace nella giustizia e nell'amore, Noi aspettiamo e speriamo che tutti quelli i quali a Noi sono uniti col vincolo della fede, ciascuno al suo posto e entro i limiti della sua missione, tengano aperta la mente e il cuore; affinchè, quando l'uragano della guerra sia sul cessare e disperdersi, sorgano presso tutti i popoli e le nazioni, spiriti preveggenti e puri, animati dal coraggio che sappia e valga ad opporre al tenebroso istinto di bassa vendetta

la severa e nobile maestà della giustizia, sorella dell'amore e compagna di ogni verace saggezza.

Interpretatio [2]

In egregio hoc sermone Sanctissimus Dominus, paterne lamentatus sua ad pacem inducendam conamina inter gentes in bellum proclives et paratas inania cecidisse, patefactis incommodis ac detrimentis ex bello, quicumque est exitus, derivandis, aperte proponit quae sit mens sua circa praecipua capita in quae omnes illi conveniant oportet quot sint publici boni amatores, si non verbis tantum sed re et ratione hominum societatem ac coniunctionem misere perturbatam ad tranquillitatem et pacem revocare intendunt.

1. Nempe prima huiusmodi pacis condicio requisita atque prorsus necessaria in eo apertissime constat quod quam tutissime vivant atque vigeant singulae nationes, sive magnae ac potentes illae sunt, sive parvulae ac debiles, atque suo unaquaeque arbitrio regantur. Etenim absonum profecto atque absurdum videri debet cuique nationi licere vitam alterius pessumdare ac perdere ut vitam suam servet atque tueatur. Quod si huiusmodi iurium aequalitas perempta fuerit aut laesa aut periculo exposita, ordo iuridicus expostulat aequam restaurationem, cuius rationem et modum definiatur non exercitus et arma sed sanctae leges iustitiae ac reciprocae aequitatis.

2. Ut autem rectus rerum ordo hisce artibus institutus imperturbatus perseveret ac sanctus, quod omnino verae pacis cardo est, omni nisu est efficiendum ut populi se-

---

[2] Ne ansam praebeamus citandi Ss.mi D. N. verba gravissima extra nativum suum contextum et linguam, a solita versione nos abstinemus. Quae hic proferimus sunt potius liberior quaedam sensus interpretatio ad usum lectorum qui lingua Italica minus expedite utuntur.

curi ex terrore liberentur quem in eos ingerit febrilis, quae nunc est, armorum praeparatio, et haud infundato timore ne copiae, quae specie in defensionem sui comparantur, reipsa in aliorum offensionem tendant. Foedera enim pacis quae una non importarent mutuam ab armis discessionem, lentam illam quidem et successivam sed firmam atque concretam, cum quod ad armorum concertationem tum quod ad animorum consensum, nullam stabilitatis spem afferrent.

3. Ad quam stabilitatem firmius inducendam non abs re erit considerare quae ipsa hominum prudentia doceat. Nempe sicut, cum adhibiti conatus ad prosperum exitum non pervenerunt, maxime praestat indagari quibus vitiis ac defectibus res non successerit, ita in constituendis inter nationes pactionibus, quod tanti momenti est atque periculi, inquirere oportet quibus rationibus experimenta iam tentata in cassum abierint. Et, cum haud pronum humanae prudentiae, imo quasi impossibile sit, omnia praevidere quae ab initis foederibus consequi possunt, praesertim cum animi perturbationes fucum atque caliginem mentibus hominum obfundant, maxime interest ut talia in concreto constituantur instituta iuridica, quae fidelem pactionum exsecutionem efficaciter provideant, vel in casu indubiae necessitatis earum aequae revisioni atque emendationi consulant. His institutis nihil magis conducet ut proponendae pacis condiciones honeste acceptari possint, nihil efficacius praecavebit ne postea unius partis arbitrio laedantur vel arroganter interpretentur.

4. Si autem animum intendimus in Europae Status ad firmam pacem deducendos, illud prae oculis est habendum ut diligenter indagentur et aequo iure agnoscantur quae nunc sunt necessitates ac iusta desideria populorum ac gentium, ratione etiam habita earum rerum publicarum quae cum numero civium tum publicis viribus inferiores sunt, cum huiusmodi necessitates non pertingant ad iustum ius fundandum, obstantibus constitutionibus iam

sancitis, merentur tamen benignam considerationem ut quantum fieri potest illis fiat satis. Per hoc, uti patet, et multa vitarentur incommoda et fundamentum poneretur aequae inter nationes pacis, amoto graviore periculo ad arma recurrendi.

5. Attamen vel optima quaeque instituta et prudentum consilia infirma perpetim evadent et sterilitati damnata, nisi et qui rebus publicis praesunt et populi ipsi ea funditus imbuantur doctrina quae sola robur, vitam ac perpetuam obligandi vim inserere potest inanimis formulis quae mutuam inter nationes obligationem sanciunt. Ea scilicet animorum intima persuasio qua homines, cum belli furor deferbuerit, sentiant leges omnes ac constitutiones humanas nullam vim atque auctoritatem habere nisi procedant ab illo divino iure quod solum est momentum ac norma quarumcumque legum; ab illa tandem iustitiae fame ac siti, qua Christus Dominus pronunciavit homines fieri beatos. Quae omnia nullibi profecto fundari possunt nisi in morum iustitia et in communi amore erga omnes homines, quo christiana doctrina quanta est tendit, et propterea ad eos ipsos se porrigit qui beneficio fidei nostrae non gaudent.

Non tamen ignoramus quot et quanta obstent atque impediant quominus perveniatur ad ea consequenda quae breviter proposuimus ut pax exoptata inter nationes Europae statuatur ac firmetur. Sed si umquam probis et claris viris nobilis meta proposita fuit in quam tendant, si umquam gloriosum certamen condictum fuit quo denuo concinat vox illa fere coelestis « Dio lo vuole », ea profecto hisce nostris verbis instaurantur. Hic nempe revera pro aris et focis contenditur ad summum obtinendum bonum quo animi omnium adspirant, hic sanctissime pugnatur ut popoli a dissipatis cisternis avertantur ad fontem illum vivum divini iuris quo uno sperare est morum sanctitatem et publicam quietem iam diu deperditas a populis recuperatum iri. Quapropter huiusmodi pacis bona in iustitia

et mutuo amore fundata ut fauste nanciscamur cupienti animo expectamus ac praestolamur eos omnes qui nobiscum vinculo fidei iunguntur, unumquemque loco ac munere sibi concredito mentes atque animos ita nostris monitis adhibituros ut haud pauci sint praesto qui prudentes atque integri magno animo libidini iniurias ulciscendi valide opponant severam atque nobilem iustitiae virtutem civilis amoris ac prudentiae pronubam.

PETRUS FRANCESCHINI, S. I.

Annotationes

Futura tempora, aiebat S. Pontifex Pius XII in suis primis Litteris Encyclicis, ut pollicentur ii a quibus populorum sors ac fortuna pendet, praesentibus cruentisque conflictationibus tandem aliquando pacatis, novam rerum rationumque temperationem afferent, iustitiae prosperitatisque fundamento suffultam.

Profecto nemo est his in terris qui ardentius quam R. Pontifex desideret ut pulcherrima haec promissa plene exsecutioni mandentur; non vult tamen celare nos quanto timore paternum cor suum afficiatur ne tempore pacis constituendae iterum falsa arripiatur via. Num, quaerit sollicitudine plenus R. Pontifex, nova pacis conventa novaque inter nationes constituta ordinatio, quae huius belli finem consequentur, iustitia aequitateque erga omnes ac redintegranti paciferoque spiritu conformabuntur, vel potius veteres recentesque errores luctuose repetent?

Ut, funestis erroribus praetéritis vitatis, pax iusta et duratura, quam exoptant ardenter omnes homines sanae mentis, instituatur tandem aliquando inter populos, principia praebet nobis solidissima R. Pontifex in memorabili allocutione habita coram Collegio Cardinalitio in pervigilio Nativitatis D. N. Iesu Christi. Haec principia vel

normae generales sapientem doctrinam in Litteris Encyclicis supra citatis indicatam mirifice illustrant atque complent.

Veluti fundamentum essentiale verae pacis, quae iustitiae et dignitatis exigentiis plene satisfaciat, est collocandum illud principium quod cogit homines agnoscere et revereri ius quod possident omnes Status, tam magni et potentes quam parvi et debiles, ad propriam independentiam integre servandam et ad vitam convenientem ducendam. Voluntas vivendi alicuius Status, admonet graviter R. Pontifex, non debet secum ferre necessitatem destruendi legitimam independentiam et libertatem alterius Status. Id sponte sequitur ex principio fundamentali supra exposito; licet utique cuilibet Statui vitam propriam roborare atque evolvere; sed hic laudabilis conatus ibi desinit esse licitus ubi iam incipit nocere aliis Statibus in sua vita, quae aequo modo competit eis, plene conservanda; secus sub specie necessitatis vitae propriae conservandae cupiditas dominandi irreperet facile in Statibus praepotentibus.

Id vero supponit Status singulos iuxta legitimas exigentias iustitiae et aequitatis esse constitutos. Non absque ratione innuit R. Pontifex eos, qui sincere amant rectam et stabilem ordinationem Europae, attentionem praestare debere diligentem tam veris necessitatibus quam legitimis postulatis sive Statuum sive etiam minoritatum ethnicarum. Vera necessitas in ordine materiali debet attendi, in quantum id possibile sit; legitimae tendentiae in natura ipsa minoritatum insitae non debent ullo modo supprimi, sed sapienter dirigi. Quod si aliquando hae legitimae tendentiae non possint ob peculiares rationes vocari stricta iura, semper tamen erunt attente et benevole examinandae, ut inveniri possit modus eisdem convenienter satisfaciendi, ipsa non exclusa revisione conventionum, prudenti et aequo modo peracta. Quo enim magis conformetur nova ordinatio populorum Europae exigentiis natura-

libus, eo pauciora exsistent incitamenta ad vim armatam adhibendam.

Immo, semel ac quaestiones internationales Europae iuxta exigentias iustitiae et aequitatis fuerint ordinatae, poterunt populi liberari a durissima servitute, quam iam diu subeunt, effrenatae concurrentiae in vi armata augenda. Conventiones pacis, ait R. Pontifex, in quibus non ageretur, veluti de re maximi momenti, de vi armata populorum ex mutuo consensu organice et gradatim diminuenda, quaeque negligerent mediorum selectionem quibus proposita diminutio fideliter ad praxim deduceretur, serius ocius defectum soliditatis et verae vitae patefacerent. Benedictus XV in sua ad populorum belligerantium moderatores adhortatione[1] etiam limitem determinabat, qui in diminuenda vi armata populorum attingi debet; nempe quidquid non sit necessarium vel conveniens ad ordinem publicum servandum intra singulos Status debet prorsus supprimi. Ex quo sequentur duo maxima commoda; primum enim tolletur ingentissimum onus, quo ob non intermissum armorum augmentum magis in dies opprimuntur populi, et deinde periculum disparebit utendi vel potius abutendi vi armata, cuius unicus usus licitus stat in protegendis iuribus, sive ad vim inferendam sive ad tyrannidem arbitrariam imponendam. Hac unica ratione poterit tandem aliquando vis moralis, et non iam vis materialis armorum, in ordine internationali componendo praevalere. Nam secus non raro triumphus in conflictu armato illi subridere poterit cui minime favet vis moralis iuris. Quo quid iniustius quidve funestius pro duratura pace inter diversos populos solidanda?

Semel ac Status per sollemnem conventionem sponte admissam renuntient usui vis armatae ad mutuas lites componendas, debebunt necessario erigi instituta iuridica internationalia. Eorum erit primum fidelem exsecutio-

---

[1] *A. A. S.* v. 9, p. 417.

nem conventionum curare easque contra unilaterales vel interpretationes vel violationes firmiter protegere, deinde, ubi primum ob mutationem gravem adiunctorum necessitas vel utilitas maxima suadeat, illas sollemnes conventiones in articulis respectivis denuo sincere examinare ad opportunas immutationes tempestive introducendas.

Benedictus XV in adhortatione supra memorata loquitur non solum de obligatione assumenda sollemniter ab omnibus Statibus quoad submittendas his institutis internationalibus mutuas lites eorumque decisiones acceptandas, sed etiam de sanctionibus, quae deberent imponi violatoribus harum obligationum internationalium. Et certe, quemadmodum intra singulos Status vis armata in promptu esse debet ad legitima iussa competentis auctoritatis urgenda, ita etiam in campo internationali usus vis coactivae, quacumque tandem forma ea exerceatur, non semel necessarius erit ad exsecutionem obligationum supra indicatarum secure obtinendam.

Ex alia parte instituta iuridica internationalia ad hunc nobilissimum itemque gravissimum scopum erecta, dum et iustitiae et aequitatis normas in propria activitate exserenda stricte sequentur, non modo satis gravi quam habent obligationi facient, sed etiam quam maxime conferent ad hanc institutionem arbitratus internationalis inter populos definitive solidandam. Hoc est medium quo nihil securius nihilque efficacius ad teterrimum spectrum conflagrationis generalis, quod secus immineret continuo Europae regionibus, semel pro semper removendum.

Non ignorat R. Pontifex pluribus gravibusque difficultatibus laborare tam erectionem horum institutorum internationalium quam exsecutionem prudentem altissimi muneris eisdem committendi; ideo enixe rogat omnes, quorum interest, ut serio perpendere velint quidquid in hoc ordine hucusque peractum sit; cognitio enim lacunarum vel defectuum ex quibus inefficacia vel completa vel par-

tialis institutorum internationalium anteacti temporis profluxit, non parum conferre poterit ad optimam instaurationem vitae internationalis pro tempore subsecuturo constituendam.

De necessitate et convenientia erigendi huiusmodi instituta internationalia nullum dubium rationabile iam moveri potest. Totus ergo labor eorum, qui christiano vel etiam humano spiritu vere sint imbuti, ad hoc tendere debet ut actio eiusmodi institutorum pro pace conservanda efficax atque secura per sapientem organizationem reddatur. Non est conforme spiritui christiano, immo neque instinctui humanitatis, nobilissima haec tentamina ob infelices exitus praeteritos irridere; laborem destructivum in hoc ordine, quocumque tandem modo peractum, crimen laesae humanitatis vocarem. Ad laborem positivum in hoc ordine peragendum invitat enixe R. Pontifex eos omnes, quorum cooperatio possit uno vel alio modo esse utilis; prosequamur nos omnes ardentibus votis nobilissimos eorum labores.

Ecce principia fundamentalia, ecce normae generales, quae moderatores populorum sapienter dirigere possunt in structura societatis internationalis efformanda; si perarduo suo labori sub ductu normarum R. Pontificis fideliter incumbunt, fieri non poterit quin tandem exoptatum finem feliciter attingant.

Sed ut haec statuta internationalia auctoritatem et vitam foecundam habeant simulque possint vim obligatoriam, quae eisdem inest, animis hominum firmiter imprimere, debent ante omnia conformari sanctis et inviolabilibus normis iuris divini; in populis vero debent tam moderatores quam subditi esse informati spiritu iustitiae et inflammati amore universali, in quo stat compendium et corona religionis christianae. Haec est athmosphaera in qua sola poterit recta ordinatio populorum vitam et obtinere et conservare.

Nequit re vera intelligi cur adeo obstinate reiiciant non-

nulli normas iuris divini sive pro regendis populis sive pro vita internationali ordinanda. Qui hoc facit debet logice progredi usque ad negationem ipsius Dei; sed in hoc casu non solum Status essent liberi a quacumque norma altiore, sed etiam singuli homines possent iugum quarumcumque legum omni iure excutere. Semel ac principium aliquod tanquam inconcussum proponitur, logica quoque sua habet iura, et nequeunt iam arbitrarie reiici conclusiones quae ex eo legitime deducuntur. Si fons salutaris iuris divini praecludatur, ex quo solo moralitas, stabilitas et excellentia ordinis internationalis provenire potest, omnia reducentur in eo vel ad frigida documenta, quorum valor admodum fluxus et caducus erit, vel ad facta per vim consummata.

Universa familia generis humani est in diversos Status independentes distributa ut melius possit hoc modo prosperitati terrenae populorum consuli; qua de re haec divisio veluti extrinseca et materialis non debet conducere homines ad hostilem animum inter se confovendum, sed potius ad mutuae fraternitatis vincula arctius stringenda; hoc modo incommoda ex hac separatione externa provenientia interna vi iustitiae et amoris abunde compensabuntur.

Haec sunt principia quae quotquot sint veri christiani alte debent in suis mentibus defigere, haec sensa quibus eorum animi sunt imbuendi; qui ergo actioni catholicae suam operam praestant nihil utilius generi humano, nihilque iucundius R. Pontifici facient quam has sapientissimas normas quaquaversus indefesse diffundere. Sic bonum fermentum in totam massam hominum beneficum influxum exercere poterit, atque adventante cessatione belli nobiles homines exsurgent, qui contra maleficum spiritum odii et vindictae acerrime decertantes assequantur demum ut pax iusta, verae caritatis suavitate temperata, Europae regionibus affulgeat.

PHILIPPUS AGUIRRE, S. I.

17 - SS. D. N. Pius Pp. XII
Nuntia telegraphica diei 10 maii, 1940

(*L'Osservatore Romano*, 12 Maggio 1940)

Vespere diei 10 maii 1940, Ss.mus D. N. Pius P. XII, ad S. M. Leopoldum III Regem Belgarum, ad S. M. Gulielminam Reginam Neerlandiae et ad S. A. R. Carlottam Grandem Ducissam de Luxembourg, cum quorum Nationes S. Sedes relationes diplomaticas fovet, nuntia telegraphica quae sequuntur transmisit.

Sa Majesté le Roi des Belges

Bruxelles

Au moment où pour la seconde fois, contre sa volonté et son droit, le peuple Belge voit son territoire exposé aux cruautés de la guerre, profondément ému Nous envoyons à Votre Maesté et à toute cette nation si aimée l'assurance de Notre paternelle affection; et en priant le DIEU tout-puissant, pour que cette dure épreuve s'achève par le rétablissement de la pleine liberté et de l'indépendance de la Belgique, Nous accordons de tout coeur à Votre Majesté et à son peuple Notre Bénédiction Apostolique.

PIUS PP. XII

Sa Majesté la Reine des Pays-Bas

La Haye

Apprenant avec une vive émotion que les efforts de Votre Majesté pour la paix n'ont pu préserver son noble peuple de devenir, contrairement à sa volonté et à son droit, le théâtre d'une guerre, Nous supplions DIEU, arbitre suprême des destinées des nations, de hâter par son tout-puissant secours le rétablissement de la justice et de la liberté.

PIUS PP. XII

Son Altesse Royale la Grande-Duchesse de Luxembourg

En ce moment douloureux où le peuple du Luxembourg, malgré son amour de la paix, se trouve enveloppé dans la tourmente de la guerre, Nous Nous sentons plus proche de lui par le coeur, et en implorant de sa céleste Patronne aide et protection, pour qu'il puisse vivre dans la liberté et l'indépendance, Nous accordons à Votre Altesse Royale et à ses fidèles sujets Notre Bénédiction Apostolique.

Pius Pp. XII

Annotatio

Gravissima haec documenta, quae commentario nostro sane non indigent, altissima voce per se loquuntur et in saeculum resonare pergent. Conferri possunt cum iis, quae superius retulimus quinque principiis pacis internationalis (p. 203) necnon cum eiusdem Ss.mi D. N. Homilia paschali (p. 247).

18 - Suprema Sacra Congregatio S. Officii Decretum 4 martii 1940

PROSCRIPTIO LIBRORUM

(*AAS* XXXII [20 martii 1940] p. 120)

Feria IV, die 28 Februarii 1940

In generali consessu Supremae S. Congregationis Sancti Officii E.mi ac Rev.mi DD. Cardinales rebus fidei ac morum tutandis praepositi, audito RR. DD. Consultorum voto, praedamnatos esse declararunt, vi canonis 1939 C. I. C., atque in Indicem librorum prohibitorum inserendos mandarunt duos libros ab Edmundo Fleg conscriptos, quibus tituli:

L'enfant prophète,

Jésus raconté par le juif errant.

Et sequenti Feria V, die 29 eiusdem mensis et anni, Ssmus D. N. Pius Divina Providentia Papa XII, in solita audientia Exc. D. Adsessori Sancti Officii impertita, relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem adprobavit, confirmavit et publicari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 4 Martii 1940.

ROMULUS PANTANETTI,
Supremae S. Congr. S. Officii Notarius.

19 - Suprema Sacra Congregatio S. Officii Decretum 27 apr. 1940

PROSCRIPTIO LIBRORUM
(*L'Osservatore Romano*, 28 Aprile 1940)

Feria IV, die 24 aprilis 1940

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii E.mi ac Rev.mi DD. Cardinales rebus fidei ac morum tutandis praepositi, praehabito RR. DD. Consultorum voto, decreverunt tamquam praedamnata habenda esse, ad normam can. 1399 C. I. C. atque in Indicem librorum prohibitorum inserenda *Opera omnia* ab Alaphrido Oriani conscripta.

Et sequenti Feria V, die 25 eiusdem mensis et anni, SS.mus D. N. Pius Divina Providentia Papa XII, in solita audientia Exc.mo ac Rev.mo D. Adsessori Sancti Officii concessa, relatam Sibi Em.orum Patrum resolutionem adprobavit, confirmavit et publicari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Officii, die 27 aprilis 1940.

ROMULUS PANTANETTI, *Supremae S. Congr. S. Officii Notarius.*

20 - Sacra Congregatio pro Ecclesia Orientali Decretum 27 ian. 1940

DE RECTA CLERI ORIENTALIS
INSTITUTIONE IN TERRITORIIS PATRIARCHALIBUS

(*AAS* XXXII [19 apr. 1940] p. 152 ss.).

Apostolicae Sedi id semper cordi fuit, ut quos sua Dominus benignitate ad sublimem sacerdotii honorem dignaretur vocare, spiritualibus atque ad scientiam pertinentibus disciplinis adprime imbuerentur, quatenus re quidem vera, sal terrae et lux mundi futuri essent atque haberentur.

Maternae huius sollicitudinis circa iuveniles sacros manipulos, spem sanctae Ecclesiae, futuros animarum pastores, haud ultimum sane argumentum his nostris temporibus Litterae Encyclicae exstitere « Ad catholici sacerdotii », necnon Constitutio Apostolica « Deus scientiarum Dominus » f. r. Pii Pp. XI: quorum documentorum alterum morum institutioni, alterum vero rationi studiorum clericalis militiae pressius consuluit.

Sacra haec Congregatio pro Ecclesia Orientali quae sub immediata Summi Pontificis directione, peculiari studio bonum fovet orientalium fidelium, ac proinde eorum praesertim qui, sacerdotali aucti dignitate, per multiplicem miramque varietatem sacrorum rituum, illorum animas ad Deum ducere atque comitari debent, plurimis atque in dies gravioribus regionum ac populorum sibi curae commissorum perspectis necessitatibus, officii sui censet, ut quae supra memoravimus documenta, quantum fieri possit, peculiarem applicationem sortiantur etiam pro iuvenibus levitis orientalibus, quos, praeter officia cuique sacerdoti communia, naturali quadam necessitate, missionales quoque esse oportet erga eos qui catholicam fidem

non habeant, simulque apologetas erga dissidentes fratres, apud quos seu quibuscum vivere debent.

His porro, quae quidem gravissimae sunt, aliae quoque non minoris momenti accedunt rationes, si hodierna tempora ac res, quae ubique progrediuntur, prae oculis habeantur.

Si enim, anteactis temporibus, tantum in urbibus hic rerum progressus fieri consuevit, hodie contra, vel in oppidis et in vicis, patenter habetur; ubi quoque propterea sacerdotibus, sanctitate ac scientia praeditis, omnino opus est: huiusmodi nempe qui verbo apostolico, zelo ac doctrina omnibus duces se praebeant, arceantque periculum, ne Christifideles erroris malitiaeque facilis evadant praeda.

Neque vero praetereundum est cuique sacerdoti gravissimum officii munus incumbere praedicandi ubique atque docendi divinam veritatem, iuxta illud « vos estis sal terrae, vos estis lux mundi »: gravissimum profecto munus, quod si omittere nefas est, adimpleri tamen quidem non potest, nisi sacerdotes scientiae thesauro ac virtutibus eximiis sint praediti.

Quod si in ceteris vitae institutis, utpote iurisperiti, magistratus, medici etc., per plures annos opportunis disciplinarum studiis est incumbendum, praescriptamque lauream oportet adipisci, immo si vel manualium artium cultores, antequam artem exerceant, diuturna indigent praeparatione, multo sane diuturniore ac diligentiore instituto opus est Christi administris, tum ob sublimem sacerdotii dignitatem, tum denique ob eidem adnexum gravissimum pondus, regimen scilicet animarum, de quibus Christo ab iisdem ratio est reddenda.

Neque reapse cogitari possunt sacerdotes — quibus officium est pascere verbo vitae, veritatem docere, dirigere atque firmare per vias iustitiae caritatisque animas a Christo redemptas — minus docti ac parati quam ii, qui corporum solummodo rerumve terrenarum curam susceperint.

Eo igitur consilio ut, quantum fieri liceat, nobilissi-

mum hoc propositum ad effectum deducatur, consulendi nempe sufficienti ac solidae institutioni morali ac doctrinali eorum qui in sortem Domini vocantur, et praecavendi abusus qui, sensim sine sensu, in conferendis sacris Ordinibus haberi forte potuerint, Sacra haec Congregatio, in Plenario Conventu Em.morum Cardinalium, habito die 20 martii a. 1939, totam quaestionem sedulo examinavit, rebusque mature perpensis, haec quae sequuntur statuit ac decrevit:

I - *De admissione candidatorum*

1° Ut quis in seminarium seu domum religiosam admittatur, ut postea Sacros maiores Ordines recipiat, testimonium exhibeat vitae irreprehensibilis, scripto datum ab ipsius parocho vel Ordinario, quod iidem ne tradant nisi sua onerata coram Domino conscientia.

2° In seminaria ne admittantur qui ex aliis seminariis, monasteriis, piisque institutis dimissi fuerint, nisi prius consulta S. Congregatione pro Ecclesia Orientali.

3° Si quem vero ad Sacros Ordines vocatum non constet, nec idoneum ad munera eisdem inhaerentia — sacramentorum nempe administrationem, praedicationem verbi Dei, christianam catechesim — neque viribus animoque obsistendi separatis ab unitate Ecclesiae sufficienter sit praeditus, is omnino neque in seminariis, neque in domibus clericalium studiorum, neque in religiosis institutis, uti alumnus, retineri potest, neque denique in sacris constitui, ac sacerdotio initiari.

II - *De alumnorum in seminariis institutione*

4° Tum doctrinalis, tum vero moralis et ascetica alumnorum institutio in seminariis impertienda est, in collegiis nempe seu domibus reservatis tantum alumnis sa-

cerdotio initiandis, quaeque ad huiusmodi finem apposite constituta et ordinata sint.

5° Expleto superiori curriculo litterarum, ad sacerdotium candidati unum *saltem* annum philosophiae studio, tres vero sacrae theologiae impendere debent, firma tamen studiorum ratione Seminariorum atque Institutorum Religiosorum in quibus cursus philosophicus ac theologicus amplior et perfectior laudabiliter iam absolvitur. Patriarchae erit harum rationem disciplinarum seu, uti aiunt « programma » conficere et ad S. Congregationem pro approbatione transmittere.

6° Peculiari denique sollicitudine S. Congregatio commendat, ut candidati idoneos quoque se reddant ad docendum in scholis publicis, necessariamque attestationem, seu diploma, a civili auctoritate adipiscantur, ita ut ad munus publici magistri eligi possint.

III - *De ascensu ad Ordines Sacros*

7° Nequit Episcopus manus cuiquam imponere, nisi prius moraliter ac positive certior factus fuerit de canonica idoneitate eligendi; alioquin non modo gravissime peccat, sed et periculo scse committit cum peccatis alienis communicandi. Quamobrem attestationem sibi procuret necesse est Superioris seminarii seu domus vel monasterii, ubi studiorum curriculum candidatus peregerit, necnon sententiam sive iudicium Commissionis, quam vocant, Ordinandorum Examinatricis, uti per ea quae sequuntur, statuitur.

8° Attestatio Superioris seminarii, monasterii seu domus piae, per secretum scrutinium et cum maiore parte suffragiorum exquirenda, in consilio professorum confici debet; inde vero Ordinario, seu Supremo Ordinis Moderatori, si de religioso agitur, scripto communicari, simulque Commissioni Ordinandorum Examinatrici.

9° Antequam Sacros Ordines conferat, Episcopus sedulo quoque perpendat, se, cum ad sacerdotium aliquem admittit, eum acceptare, suoque mancipare servitio, nempe dioecesi atque animabus suae curae commissis, ideoque sibi fieri obnoxium non modo quoad eiusdem statum vel condicionem, sed etiam quoad temporalem substentationem, nisi forte electum substentationis titulum personalem, securum, vereque sufficientem, habere constiterit.

10° Ex hoc gravissimo episcopali officio circa sacerdotum statum ac temporalem condicionem, necessario consequitur Sacros Ordines iis tantum esse conferendos quos animarum bonum expostulat. Sacrilegus reapse abusus plenitudinis sacri characteris censendus est, sacerdotalem conferre ordinem, alicuius familiae seu factionis favore, amicorum vel hominum potentium instantia, vel cuiuslibet humani commodi intuitu.

11° Unusquisque ad Sacros Ordines maiores candidatus, cuiusvis sit aetatis vel condicionis, antequam Ordinem recipiat, coram Commissione Examinatrice se sistere debet, eique de sua ipsius praeparatione satisfacere.

12° Singuli Patriarchatus Commissionem Examinatricem, vi huius Decreti, habento. Haec vero:

a) aliquot membris constare debet nempe 5, 7, 9; numquam tamen minus tribus selectis ex clero saeculari ac regulari, alterius vel proprii ritus;

b) constituatur per Patriarcham una cum Delegato Apostolico; ab eodemque Delegato, nomine huius S. Congregationis, approbetur;

c) examinatores Commissionis studiorum titulum in facultatibus theologicis ac philosophicis regulariter adepti sint, vel saltem bene compleverint integrum studiorum curriculum apud facultatem quamdam seu seminarium, notique sint probata doctrina;

d) Ordinario seu Superiori cuiusvis ordinandi officium sit conventum Commissionis Examinatricis tempestive promovere — nisi forte certa tempora Patriarcha sta-

tuerit — ad eamque mittere candidatos. Est autem penes Ordinarium seu Superiorem, ratione temporis vel commoditatis, ad Commissionem alterius Patriarchatus praesentare ordinandos;

e) Commissio sententiam det scripto exaratam duplicique exemplari, quorum alterum servetur in tabulario Eparchiae sive Ordinis ad quem pertinet candidatus, alterum in tabulario seminarii seu instituti ubi studia peracta fuerint;

f) Commissio quoties pro examinibus congregatur, tria saltem membra habeat, et iudicium proferat per suffragium secretum, quod unanimitatem prae se ferre debet ut quis ad Sacros maiores Ordines admitti possit. Candidatus vero qui unanimitatem non retulerit, Commissioni, aliquo elapso temporis spatio, denuo se sistendi ius habet, eique contra sententiam recursus patet ad Sacram Congregationem;

g) in examine coram Commissione subeundo unusquisque candidatus satisfacere debet: 1) de sua ipsius praeparatione morali et ascetica; 2) de scientia practica atque theologica cuiusvis Ordinis suscipiendi; 3) de institutione doctrinali, inspectis in primis theologia dogmatica, morali et sacramentaria, liturgia et iure canonico;

h) huiusmodi examen superandum est antequam candidatus ad Sacros maiores Ordines admittatur, atque iterum, secunda vice, priusquam sacerdotio initietur.

13° Ut vero recens ordinati suo munere, qua par est dignitate, fungi pergant, per integrum quinquennium ab inito sacerdotio tenentur singulis annis Commissioni Examinatrici se sistere, ut diversis sacrarum scientiarum disciplinis, antea opportune designatis, satisfaciant et interesse peculiaribus curriculis seu collationibus, quae locorum Ordinarii ac S. Congregatio quotannis promovere curaverint.

Documentum comprobans exitum annui periculi ad Episcopum, vel, si agatur de religiosis, ad Superiorem Or-

dinis, necnon ad S. Congregationem pro Ecclesia Orientali mittatur.

14° Condicionibus, quas supra recensuimus, circa praeparationem et ascensum ad Sacros Ordines, omnes candidati obstringuntur, sive caelibes sive uxorati advocentur.

IV - *Derogationes et sanctiones*

15° Quaevis derogatio seu dispensatio ab his quae praesenti decreto statuta sunt, maxime vero circa ea quae attinent ad obligationem ac tempus commorationis in seminario seu domo ecclesiastica, ad sententiam Superioris seminarii seu instituti pii, necnon Commissionis Examinatricis, S. Congregationi reservatur.

16° Qui sine praevia in aliquo seminario seu domo ecclesiastica, praescripta commoratione, vel non obtentis, quae supra enumerantur ac requiruntur, documentis favorabilibus, Sacris maioribus Ordinibus initiatus fuerit, ipso facto ab exercitio ordinis suspensus manet, et ad S. Sedem recurrere debet.

17° Suspensionem item a collatione Sacrorum Ordinum Episcopus ipso facto incurrit, qui scienter Sacros maiores Ordines candidato de quo in num. 16 contulerit.

Quae omnia, relata Ss.mo D. N. Pio, div. prov. Papa XII, in Audientia habita ab infrascripto Cardinali a secretis die 27 m. Ianuarii a. 1940, Beatissimus Pater adprobare dignatus est et per praesens decretum iussit publici iuris fieri.

Contrariis quibuslibet minime obfuturis.

Datum Romae, ex Aedibus S. Congregationis pro Ecclesia Orientali, die 27 m. Ianuarii, in festo S. Ioannis Chrysostomi, a. 1940.

EUGENIUS Card. TISSERANT, *a secretis.*

L. ✠ S.

Ioseph Cesarini, *Adsessor.*

Annotationes

Decretum non ad omnes catholicos orientales, sed tantum ad territoria patriarchalia dirigitur.

Quinam sunt hi patriarchatus et quaenam sunt eorum territoria?

Agitur primo de tribus patriarchatibus Antiochiae, nimirum Melchitico, Syro et Maronitico, porro de patriarchatu Chaldaico Babylonis (sedes: Mossul-Bagdad) de patriarchatu Armeno Ciliciae (sedes: Beyrouth) de patriarchatu Coptico Alexandriae (sedes: Cairo; sine titulari; habetur Administrator). Territoria horum patriarchatuum non sunt ab invicem separata sed se mutuo penetrant. Iurisdictio patriarcharum se extendit ad omnes asseclas respectivi ritus in Syria, Palaestina, Transjordania, Irak, Iran, Turcia (inclusa urbe Constantinopoli), Aegypto. In Turcia (excepta Constantinopoli) pauci remanent Christiani. Inveniuntur adhuc praecipue in regione Mardin.

Secundum statisticam Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali (cf. *Statistica con cenni storici della Gerarchia e dei fedeli di rito orientale.* Tipogr. poligl. Vaticana 1932) numerus totalis catholicorum orientalium harum regionum ascendit ad 667.092. Numerus sacerdotum orientalium, qui curam horum fidelium habent, est: 2581, e quibus 904 sunt sacerdotes religiosi. Pro 258 fidelibus ergo unus invenitur sacerdos. Hic numerus relative magnus sacerdotum explicatur ex eo, quod catholici in his regionibus valde dispersi sunt — constituunt tantum parvam minoritatem — porro ex divisione catholicorum in varios ritus. Ita v. g. accidit, ut in parvo quodam oppido, in quo 1.500 tantum catholici inveniuntur, ipsi dividantur in 6 diversos ritus (incluso latino), e quibus unusquisque suum sacerdotem et suam ecclesiam habet.

Pro singulis communitatibus statistica (anni 1932) pro territoriis patriarchalibus sequentes numeros dat:

	Fideles	*Sacerdotes*	
Copti	32.300	66	
Maronitae	322.715	1559	(e quibus 547 religiosi)
Syri	50.018	164	
Armeni	41.860	113	
Melchitae	150.155	504	(e quibus 337 religiosi)
Chaldaei	70.044	175	(e quibus 20 religiosi).

Unus sacerdos invenitur ergo apud Coptos pro 489 fidelibus, apud Maronitas pro 207, apud Syros pro 305, apud Armenos pro 370, apud Melchitas pro 298, apud Chaldaeos pro 400.

In clero saeculari duae distinguendae sunt categoriae: illi, qui completam formationem in seminariis bene directis habuerunt — qui sine exceptione caelibes sunt — et illi qui matrimonio iuncti formationem non nisi valde rudimentalem receperunt. Haec categoria — sacerdotes qui ruri curam animarum habent ad eam saepe pertinent — adhuc satis numerosa est apud Melchitas et Maronitas, minus numerosa apud Chaldaeos, satis rara apud Syros et Coptos, apud Armenos vix invenitur, quia hi generatim urbes incolunt.

Quod hae ecclesiae per saecula persecutiones passae sint, explicat cur diu impossibile fuerit clerum satis numerosum bene instituere et colere. Cum temporibus satis recentibus adhuc instructio ruri generatim parum spargeretur, formatio scientifica pro sacerdotibus non tam necessaria esse videbatur.

Usque ad nostros dies apud Melchitas et Maronitas praesertim haud raro accidit, ut pro vicis boni et honesti agricolae vel artifices iam matrimonio iuncti post brevem omnino instructionem sacros ordines recipiant. Apud Chaldaeos idem rarius evenit. Patriarcha Syrus, Em.mus

Cardinalis Tappouni, neminem sacerdotem ordinat, quin formationem completam in seminario receperit. (Pro parva communitate Syrorum hoc facile fieri potest).

Quod antiquum systema adhuc in vigore sit, explicatur praesertim ex rationibus pecuniariis. Multae dioceses mediis necessariis carent, ut sacerdotibus bene instructis temporalem sustentationem vel stricte sufficientem dare possint. Ideo solent ordinari viri, qui iam aliunde ad vitam necessaria habent.

Sacerdotes bene instructi caelibes ideo generatim in urbibus inveniuntur, ibique numero saepe plus quam sufficienti, non raro in collegiis missionariorum latinorum ut professores.

Sed ruri quoque tales sacerdotes curam animarum habent, uti verbi gratia in vicis Melchiticis Transjordaniae, in pagis Syris prope Homs et in Mesopotamia septentrionali. In Aegypto sacerdotes etiam ruri generatim formationem sufficientem habent. Necessitas etiam ruri habendi sacerdotes bene instructos in dies crescit.

Scholae numerosae in proximo Oriente instructionem late spargunt. Etiam ruri, in vicis praesertim Libani, numerus hominum excultorum crescit.

Sacerdotes religiosi ex parte ruri etiam ut parochi curam animarum habent praesertim apud Melchitas. Formatio sacerdotum religiosorum his ultimis temporibus apud Maronitas et Melchitas gratia visitationis apostolicae multo melior facta est. Ordines religiosi partim ipsi iam scholasticatus bene institutos possident, sicuti v. g. Salvatoriani (Melchitae) in conventu S.S. Salvatoris prope Sidonem, partim iuvenes suos mittunt in Universitatem S. Josephi Beyrouth.

Quot sacerdotes hodie sint bene instructi, quot minus bene difficile est dicere. Ruri certe, excepta Aegypto, sacerdotes sine formatione completa longe maiorem partem constituunt. Etiam tales sacerdotes multum contulerunt et conferunt saluti animarum, praesertim ubi bene dirigun-

tur et iuvantur sicuti v. g. in missione Missionariorum S. Pauli (Melchitae) prope Marmaritam. Immo illi generatim mores et modum cogitandi simplicis populi melius intelligunt quam sacerdotes bene instructi, qui per longum tempus separati a suis vixerunt inter Europaeos, quorum mores sunt prorsus diversi.

In statistica data notatur: apud Maronitas etiam relative numerum sacerdotum maiorem esse (unus sacerdos pro 207 fidelibus!) Haec res inde explicatur, quod in parvis vicis Libani non raro plures inveniuntur ecclesiae et sacerdotes. Ansam ad hoc praebent studium fundationes ecclesiarum instituendi et aemulatio inter familias, sicuti ruri facile occurrit. Ut exemplum afferamus: in vico quodam 500 animarum in regione Bkerke (sedes Patriarchae) 7 inveniuntur ecclesiae, 4 sacerdotes saeculares, 12 sacerdotes monachi, 3 scholae!

Opportuna media acquirendi institutionem intellectualem in proximo Oriente abundant. Unusquisque ritus suum proprium seminarium habere cupit, quod intelligitur ex eo, quod secus formatio cleri secundum spiritum liturgiae proprii ritus difficulter fieri posse videtur. Utique hoc systema postulat relative magnam copiam mediorum, professorum etc. pro parvo numero alumnorum.

Agimus hic tantum de seminariis sic dictis maioribus, in quibus philosophia et theologia docentur. Generatim alumni in his seminariis per 2 annos philosophiae et 4 theologiae operam dant.

Armeni soli non possident seminarium magnum in proximo oriente. Mittunt clericos suos Romam. Aliqui etiam frequentant Universitatem S. Iosephi.

Pro Melchitis existit seminarium S. Annae Jerosolymis directum a Missionarii Africae (Pères Blancs). Circa 30 alumni numerantur in seminario magno. Singulis annis 3 vel 4 sacerdotes ordinantur, numerus plane insufficiens pro exigentiis ecclesiae Melchiticae late sparsae.

Maronitae possident plura seminaria propria, quae mediis scholis aequiparantur. Pro completa formatione mittunt iuvenes suos vel Romam vel in Universitatem S. Iosephi.

Chaldaei ipsi dirigunt seminarium patriarchale Mossul. Numerantur circa 15 alumni in studiis superioribus. Docetur in lingua arabica. Sacerdotes Chaldaei professores sunt in hoc seminario. Linguam latinam docentur tantum illi, quos Romam mittere volunt.

Etiam Copti ipsi dirigunt seminarium suum Tahtae in superiori Aegypto. Duo professores docent circa 10 alumnos. In scholis omnes alumni semper simul instruuntur ob parvum numerum alumnorum et professorum.

Syri habent suum seminarium patriarchale Charfet in Libano. Quattuor Patres Benedictini docent circa 15 alumnos. Director seminarii est unus ex Patribus Benedictinis. Superior domus est sacerdos Syrus.

Praeter seminaria rituum propria existunt duo seminaria interritualia: Universitas S. Iosephi Beyrouth, directa a Iesuitis, et seminarium Mossul, directum a Patribus Dominicanis, quod seminarium praesertim a Chaldaeis sed etiam a Syris frequentatur. 10 numerantur alumni. Numerus auditorum facultatis theologicae Universitatis S. Iosephi (hodie circa 30) his ultimis temporibus diminutus est ob desiderium singulorum rituum formandi suos clericos in seminariis ritui propriis.

Alumni facultatis ex maiore parte hodie sunt Maronitae, aliqui etiam inveniuntur Melchitae et Armeni, nulli Syri neque Copti vel Chaldaei.

Decretum, uti ex dictis elucet, mutationem satis profundam in statum hucusque vigentem introducit, quae saluti animarum sine dubio valde proderit.

G. DE VRIES, S. I.

21 - Sacra Paenitentiaria Apostolica

(OFFICIUM DE INDULGENTIIS)

Summarium

INDULGENTIARUM ET PRIVILEGII A SUMMIS PONTIFICIBUS VENERABILI ARCHICONFRATERNITATI DOCTRINAE CHRISTIANAE IN ECCLESIA S. MARIAE DE PLANCTU URBIS CANONICE ERECTAE NECNON CONFRATERNITATIBUS IPSO IURE EIDEM AGGREGATIS [1] CONCESSORUM.

A) *Indulgentiae*

I. *Indulgentia plenaria,* suetis conditionibus lucranda, 1) ab universis christifidelibus, die ingressus in Confraternitatem; 2) ab omnibus et singulis Confratribus, *a*) die festo principali Confraternitatis, *b*) diebus festis: Paschae Resurrectionis, Nativitatis Domini, Pentecostes, Epiphaniae, Ascensionis, Circumcisionis, Corporis Christi, Assumptionis et Imm. Conceptionis B. M. V., S. Mariae de Planctu (tit. ecclesiae Archiconfraternitatis), S. Ioseph, Ss. App. Petri et Pauli, Omnium Sanctorum, S. Caroli Borromaei, S. Iosephi Calasanctii et S. Roberti Bellarmino.

II. *Indulgentia plenaria in mortis articulo* a Confratribus lucranda, si confessi ac sacra Communione refecti vel saltem contriti, Ss.mum Iesu Nomen ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint et mortem de manu Domini, tamquam peccati stipendium, patienter susceperint.

III. *Indulgentiae Stationum Urbis* a Confratribus acquirendae diebus tantum Stationum in Missali Romano de-

---

[1] V. *Codex i. c.,* can. 711 § 2.

scriptis, ad normam Decreti S. Paenitentiariae Ap. diei 12 Aprilis 1932 (*Acta Apost. Sedis*, vol. XXIV, p. 248), ea tamen lege ut praedictas Indulgentias in ecclesia Confraternitatis ipsi acquirere valeant tum tantum cum nullae in loco ecclesiae stationales inveniantur (Cfr. Declaratio Decreti circa Indulgentias Stationibus adnexas diei 25 Februarii 1933; *Acta Apost. Sedis*, vol. XXV, p. 27).

IV. *Indulgentiae partiales*, saltem corde contrito a Sodalibus lucrandae, 1) *decem annorum*, si de civitate exeant ut in villis et agris christianam doceant cathechesim; 2) *septem annorum*, *a*) si confessi sacram Synaxim susceperint die et loco in quo Confraternitas constituitur; *b*) si civitatem percurrant, viros, mulieres et pueros ad religiosam instructionem ducturi; *c*) si Ss.mum Sacramentum ad aegrotos delatum comitati fuerint; *d*) semel in mense, si confessi sacra Communione reficiantur; *e*) si, sacerdotali charactere insigniti, concionem aliquam seu instructionem religiosam in quadam ecclesia vel oratorio Confraternitatis habuerint; 3) *trium annorum*, si ad coemeterium defunctos Sodales consocientur, vel funeri in eorum suffragium explendo adstiterint, pro eorum anima devote orantes; 4) *trecentorum dierum*, *a*) si pie curent ut pueri, famuli aliique sacrae intersint cathechesi; *b*) si visitent aegrotos Consociatos; *c*) si officiis aut conventibus Confraternitatis seu processionibus ab eadem de consensu Ordinarii institutis interfuerint; 5) *centum dierum*, si publice vel privatim christianam tradant cathechesim diebus ferialibus.

B) *Privilegium*

Missae omnes, quae pro anima alicuius Sodalis in Dei gratia vita functi a quocumque Sacerdote ad quodlibet altare celebrantur, ita illi animae suffragari possunt ac si in altari privilegiato litatae fuissent.

Die 21 Decembris 1939

Sacra Paenitentiaria Apostolica, vi facultatum a Ssmo. D. N. Pio Pp. XII sibi tributarum, praesens Summarium, ex authenticis documentis excerptum, revisum et recognitum, approbat, idemque tamquam unicam syllogem Indulgentiarum et privilegiorum, hucusque ab Apostolica Sede Archiconfraternitati, de qua supra, concessorum, habendum esse declarat atque imprimi et publicari permittit. Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

L. Card. Lauri, *Paenitentiarius Maior.*

L. ✠ S.

S. Luzio, *Regens.*

Annotationes

De indulgentiis Stationibus adnexis in ecclesiis non Stationalibus

Decreto « Ut fideles ferventius » 12 Aprilis 1932 (*AAS*, xxiv, p. 248) S. Paenitentiaria in unius disciplinae formam redigere voluit indulgentias a fidelibus acquirendas, qui ecclesias stationales visitarent. Praeter consuetas conditiones visitationis Ecclesiae, confessionis et communionis, orationis ad mentem S. Pontificis, necesse est ad indulgentiam plenariam lucrandam functionibus interesse quae matutinis vel vespertinis horis in ecclesiis stationalibus peraguntur; « si vero nulla publica supplicatio in ecclesia stationali locum habuerit, *plenariam* pariter indulgentiam lucrentur suetis conditionibus confessionis et Communionis, recitatis tamen quinquies *Pater, Ave* et *Gloria* coram Ss.mo Sacramento, ter *Pater, Ave* et *Gloria* coram ss. reliquiis venerationi expositis, semel saltem *Pater, Ave* et *Gloria*, ad Summi Pontificis intentionem ».

Cum autem Romani Pontifices pluribus praesertim Ordinibus aut Congregationibus religiosis, sicut et piis Confraternitatibus et Associationibus concesserint ut indulgentias Stationum in aliis ecclesiis ad hoc designatis lucrari possent (cfr. Bèringer, I n. 958), Pius XI, per Cardinalem Paenitentiarium Maiorem, declarare dignatus est, « peculiaria eiusmodi indulta ita in posterum intelligenda esse ut valeant adscripti indulgentias Stationales in ecclesiis etiam non Stationalibus, ceteris ad rem clausulis et praescriptionibus ad unguem servatis, adipisci tunc tantum cum nullae in loco ecclesiae stationales inveniantur » (*AAS* xxv p. 72).

Iam quaeritur quomodo possunt ad unguem ceterae clausulae et praescriptiones servari in ecclesiis v. gr. ubi fortasse SS.mum Sacramentum non continuo servatur; et, quod facilius est, ubi nullae habentur Sanctorum reliquiae quae in ecclesiis stationalibus fidelium venerationi expositae sunt? Dum aliud authentice non declaretur, censemus praescripta *Pater, Ave* et *Gloria* recitanda esse in honorem SS.mi Sacramenti et Sanctorum quorum reliquiae coluntur in ecclesiis stationalibus eo die cui indulgentiae affixae sunt. Nam licet Decretum 12 Aprilis 1932 recitanda praescribat *coram* SS.mo et *coram* ss. reliquiis, nisi frustraneum et inane dicere velimus privilegium aliis ecclesiis concessum, quod quidem minime decet, conditiones servantur meliori quo potest modo preces fundendo, praesentia quadam morali, in honorem SS.mi et Sanctorum qui in respondenti ecclesia Stationali eo die fidelium veneratìoni exponuntur.

I. M. Restrepo R., S. I.

22 - Sacra Paenitentiaria Apostolica Notificatio 24 novembris 1939

DE ABSOLUTIONE A CENSURIS ET DISPENSATIONE AB IRREGULARITATIBUS

(*La Documentation Catholique*, t. 41, N°. 909 [5-20 fevrier 1940] col. 153) [1].

Spectatis peculiaribus rerum adiunctis quae in Gallia obtinent, Sacra Paenitentiaria, incommodis et impedimentis, quae in transmittendis documentis occurrunt, subvenire cupiens, iuxta mandata a Summo Pontifice accepta, singulis confessariis legitime approbatis facultatem concedit absolvendi ab omnibus censuris, ea sola excepta de

---

[1] Eu égard à la situation spéciale dans laquelle la France se trouve actuellement et dans le but de remédier à la gêne et aux obstacles qui se présentent quand il s'agit de transmettre des documents, la Sacrée Pénitencerie, se conformant aux ordres qu'elle a reçus du Souverain Pontife, accorde à tout confesseur légitimement approuvé le pouvoir d'absoudre de toutes les censures, exception faite seulement de celle dont il est question dans le décret *Lex sacri caelibatus* du 18 avril 1936; de même elle accorde le pouvoir de dispenser des irrégularités, mais seulement s'il s'agit d'exercer les ordres sacrés déjà reçus, et ces concessions valent pour les cas occultes qui exigeraient le recours à la Sacrée Pénitencerie elle-même.

Pour ce qui concerne les *mandata* qui se rapportent soit aux censures déjà absoutes, soit à l'irrégularité dont dispense a été donnée (conformement à ce qui a été fixé pour l'irrégularité, dans les concessions quinquennales faites aux Ordinaires des lieux), les intéressés doivent être opportunément avertis de l'obligation qui leur incombe à chacun de recourir le plus tôt possible à la Sacrée Pénitencerie, quand la situation, dont il a été question plus haut, se sera améliorée.

Donné à Rome, au Palais de la Sacré Pénitencerie le 24 novembre 1939.

Par ordre du cardinal Grand Pénitencier.

S. Luzio, *régent.*
S. Rossi, *secrétaire.*

qua in decreto *Lex sacri caelibatus* diei 18 apr. 1936 [2]; item facultatem concedit dispensandi ab irregularitatibus, ad hoc tantummodo ut clericus sacros ordines iam receptos licite exercere valeat; quae concessiones valent pro casibus occultis in quibus recursus fieri deberet ad ipsam Sacram Paenitentiariam.

Quod ad mandata attinet, quae sive censuras iam absolutas sive irregularitatem dispensatam spectant (iuxta id quod de irregularitate statutum est in facultatibus quinquennalibus locorum Ordinariis concessis) opportune moneantur ii quorum interest de obligatione quae singulis incumbit quamprimum recurrendi ad Sacram Paenitentiariam quando rerum conditio de qua supra in melius cesserit [3].

Datum Romae, ex S. Paenitentiaria Apostolica, die 24 novembris 1939.

De mandato Cardinalis Paenitentiarii Maioris.

S. Luzio, *Regens.*
S. Rossi, *Secretarius.*

23 - Dataria Apostolica
Declaratio 8 aprilis 1940

DE CONDITIONIBUS IN CONFERENDO CANONICATU THEOLOGALI REQUISITIS

(*AAS* xxxii [19 aprilis 1940] p. 163)

Quae in *Motu Proprio* Pii fel. rec. Pp. XI « Bibliorum scientiam » diei 27 Aprilis 1924 (*Acta Apost. Sedis,* 16,

[2] Cf. *AAS* xxviii [1936] p. 242. Agitur de excommunicatione latae sententiae Sedi Apostolicae simpliciter reservata, in casu quo sacerdos, qui ad normam canonis 2388, § 1, per attentatum matrimonium eam incurrit, ob gravissimas rationes « a cohabitatione sub eodem tecto cum suae desertionis complice, etsi forte tandem ad cor reversus, cessare impeditur ».

[3] Cf. cc. 2252, 2254.

1924, pag. 181) sub II statuta sunt, de requisitis in eo cui conferendum sit Beneficium in quo canonice insit onus Sacrae Scripturae populo explanandae, ita sunt interpretanda, ut, ceteris paribus, ille, etiam Doctori in Sacra Theologia (de quo in Canone 399, § 1), praeferatur, qui Laurea aut Licentia in Re Biblica insignitus sit.

Ex Audientia Ss.mi dĭei 8 Aprilis 1940.

L. ✠ S.

F. Card. Tedeschini, *S. R. E. Datarius.*
Ioseph Guerri, *Regens.*

Annotatio

Quae in Motu Proprio sub II statuta sunt sic leguntur: « Beneficium, in quo canonice insit onus Sacrae Scripturae populo explanandae, ulli ne conferatur, nisi, praeter alia, sit is licentia aut laurea in re biblica potitus ». Et ex canone 400, § 1 liquet agi praesertim de canonico theologo, cuius est « diebus et horis ab Episcopo ... designatis, publice in ecclesia explanare sacram Scripturam ». Hic igitur « praeter alia » forte requisita, debet laurea vel saltem licentia in re biblica ornari. Quae provisio non parum mutare videtur sensum canonis 399, § 1, ubi nihil de laurea vel licentia in re biblica pro idoneitate canonici theologi dicitur, sed e contra statuitur: « si agatur de canonico theologo, ... praeferantur, ceteris paribus ... doctores in sacra theologia ».

Cum autem decursu temporis appareret vix non semper necessarium esse hac in re dispensari, nam paucissimi omnino sunt qui laurea aut saltem licentia in re biblica potiri valeant sive apud Commissionem Biblicam sive apud Institutum itidem Biblicum de Urbe, quae adhuc unice in toto mundo gaudent facultate gradus academicos in S. Scriptura conferendi, apparuit simul necessitas legem in Motu Proprio 27 Aprilis 1924 sic tempe-

randi ut exceptio et dispensatio in normam generalem non transirent et lex vix umquam suam vim exerere valeret.

Quod modo Dataria Apostolica, cui munus incumbit beneficia minora Sanctae Sedi reservata providendi, inter quae saepe, una vel alia causa, canonicatus theologales reperiuntur, authentica declaratione resolvit. In posterum igitur, si quis candidatus ad praebendam theologalem laurea aut licentia in re biblica insignitus sit, ille, ceteris paribus, est praeferendus; secus intrat lex canonis 399.

Mirari possit quis interpretationem quae sensum canonis respicere videtur immediate ab Apostolica Dataria proferri. Rem autem ulterius perpendenti, ratio statim apparet. Praesenti declaratione Dataria non ipsum canonem 399, sed praescriptum Motu Proprio directe attingit. Si quod vero dubium superesse posset, illud statim evanesceet perspectis ultimis huius Declarationis verbis, eam scilicet factam esse « Ex audientia Ss.mi ».

R., S. I.

24 - Pont. Commissio Interpret. Codici Responsa ad proposita dubia 19 ian. 1940

(*AAS* XXXII [20 feb. 1940] p. 62)

E.mi Patres Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos, propositis in plenario coetu quae sequuntur dubiis, responderi mandarunt ut infra ad singula:

I - DE EXCUSATIONE A CHORO

D. An excusatio a choro, de qua in canone 420 § 1 n. 4, extendatur ad servitium paroeciae non capitularis.

R. Negative.

II - DE INDULGENTIIS LUCRANDIS

D. An confessarii, vi canonis 935, commutare possint visitationem ecclesiae determinatae, etiam ad lucrandas indulgentias *toties quoties* et *Portiunculae* nuncupatas.

R. Affirmative.

Datum Romae, e Civitate Vaticana, die 19 mensis Ianuarii, anno 1940.

L. ✠ S.

M. Card. MASSIMI, *Praeses.*
I. BRUNO, *Secretarius.*

Annotationes

I - DE EXCUSATIONE A CHORO

Causae quae absentibus distributiones attribuunt habentur Sexti Decretalium lib. III, tit. III, *de clericis non residentibus,* cap. unico *Consuetudinem,* videlicet: « infirmitas seu iusta et rationabilis corporalis necessitas, aut evidens ecclesiae utilitas ». (DE HERDT, *Praxis capitularis,* p. 370). Codex autem, pluribus S. C. Concilii resolutionibus nixus, causam *evidentis ecclesiae utilitatis* in casus magis specificos distribuit eosque expressit in canone 420. Et, sicut ante Codicem causa generica *utilitatis ecclesiae* intelligebatur utilitas propriae, non alienae ecclesiae, neque dioeceseos vel Ecclesiae universalis, ita iure quo utimur ea membra canonis 420, quae ex illa regula ortum ducunt, eodem sensu intelligenda sunt. Proinde auctores qui post Codicem scribunt, saltem plerique, docent in c. 420, § 1, 4° agi de vicario paroeciali, parocho, vel coadiutore, qui paroecialibus officiis vacat in ecclesia *non aliena,* sed *propria seu capitulari.* (Cf. CHELODI, De Personis, p. 328, nota 4; MATTHAEUS CONTE A CORONATA, *Institutiones* I. C., I, p. 515,

nota 2; FANFANI, *De iure parochorum*, p. 465; et paulo ante Codicem LAVITRANO, *De la puntatura corale*, in *Il Monitore Ecclesiastico* XXVIII, p. 267).

Pontificiae Commissionis responsum vero hoc tantum explicite declarat, sc. excusationem de qua agitur *non extendi ad servitium paroeciae non capitularis*. Unde putamus intactum manere principium vi cuius fruitur distributionibus vicarius e Capitulo ab Episcopo deputatus, dum paroecialibus officiis vacat in vicaria paroeciali cuius *cura habitualis est penes Capitulum*, quamvis ecclesia non sit ecclesia stricte capitularis. In tali casu enim vicaria paroecialis ita manet cum capitulari *paroecia* coniuncta ut dici nequeat *paroecia* non capitularis. Cf. Resolutionem S. C. Conc., *Dioecesis N.*, 12 dec. 1913; *AAS* VIII p. 439, ubi argumenta pro et contra perpenduntur.

T. LINCOLN BOUSCAREN, S. I.

II - DE INDULGENTIIS LUCRANDIS

Unico verbo solvit Pont. Commissio triplicem quaestionem iamdiu agitatam circa potestatem confessarii commutandi visitationem ad indulgentiam lucrandam requisitam.

Quaerebatur olim *a*) Utrum posset confessarius commutare visitationem ecclesiae determinatae;

b) utrum idem posset quoad indulgentiam *toties quoties;* et

c) quoad indulgentiam *Portiunculae.*

Doctores in diversas sententias inclinabant. Alii enim *negative* ad omnia respondendum censebant; alii contra, ad tria proposita, *affirmative;* alii *affirmative* ad *a*), *negative* ad *b*) et *c*); alii *affirmative* ad *a*) et *b*), *negative* ad *c*).

Pro sententia negativa adducebatur imprimis ipsa rei difficultas aut forte etiam repugnantia. Qui enim fieri

potest, aiebant, ut confessarius tantam recipiat potestatem ut substantiam rei, cui indulgentia est affixa, mutare possit, et indulgentiam concedere precibus aut operibus nullo modo in concessione statutis? Posset ita v. gr. confessarius quilibet concedere fideli qui nec memoriter illam tenet nec librum habet in quo legat orationem « En ego, o bone Iesu... » ut loco talis orationis recitet ter Pater, Ave et Gloria. Posset itidem impeditis domo egredi, loco visitationis ecclesiae requisitae, alia pia opera praescribere ad indulgentiam, etiam plenariam, lucrandam. Et exempla in infinitum multiplicari possent.

Iam vero, nonne talis facultas aut delegatio confessariis concessa exorbitans et nimia dici potest, ac propterea in citato can. 935 minime contenta?

Hinc ad quasdam interpretationes inducendas coacti sunt patroni sententiae negativae, subtiliter distinguentes inter « Pia opera *substantialia* et *accidentalia* », inter « opera *iniuncta* et *adiuncta* »; concedentes confessarium posse quidem opera accidentalia et adiuncta commutare, minime vero substantialia et iniuncta.

Afferebantur quoque quaedam responsiones Summorum Pontificum, v. gr. Leonis XIII, 16 Ianuar. 1886 (*AAS* XVIII, p. 462) quae facultatem negabant indulgentiam lucrandi sine visitatione ecclesiae determinatae.

Patroni sententiae affirmativae nitebantur maxime verbis ipsis can. 935, quae omnino clara et perspicua sunt, ac proinde intelligenda secundum propriam verborum significationem et communem loquendi usum (cf. can. 49). Verba nitide dicunt posse confessarios pro iis qui legitimo detinentur impedimento pia opera commutare ad lucrandas indulgentias iniuncta. Ea igitur commutent, nulla facta distinctione, quam canon ne quidem innuit, inter opera substantialia aut accidentalia, iniuncta aut adiuncta.

Ceterum iam in iure ante Codicem plures responsiones prodierunt quae omnino cum hodierna congruunt. Sic in Decreto Urbis et Orbis, 18 Sept. 1862, conceditur ex

audientia SSmi. ut « Christi fideles (ob infirmitatem domo egredi impotentes), exceptis tamen illis qui in communitate morantur, acquirere possint omnes et singulas Indulgentias Plenarias iam concessas vel in posterum concedendas, quasque alias acquirere possent in locis in quibus vivunt, si in eo statu physico non essent, pro quarum acquisitione praescripta sit Sacra Communio et visitatio alicuius ecclesiae vel publici oratorii in locis iisdem, dummodo vere poenitentes, confessi, ac caeteris omnibus absolutis conditionibus, si quae iniunctae fuerint, loco S. Communionis et visitationis alia pia opera a respectivo confessario iniungenda, fideliter adimpleant » (*AAS*, II, pag. 539). Cfr. et Decretum *Societatis Iesu, de Confraternitatibus*, 16 Iulii 1887 *ASS*, XX p. 108), ubi similis gratia declaratur valere pro confratribus infirmis aut carceribus detentis; atque « supplicandum Sanctissimo pro benigna extensione ad alia legitima impedimenta iudicio discreti confesarii dignoscenda, commutato tamen ab eodem confessario opere iniuncto visitationis ecclesiae in aliud pium opus ». (*ASS*, XX, pag. 108-111).

I. M. Restrepo R., S. I.

ACTA SUMMATIM RELATA

25 - SS. D. N. Pius Pp. XII

A - Bulla *Quo in Transvaallensi,* 13 iun. 1939, Praefectura Apostolica Transvaallensis Septentrionalis, Congregationi Casinensi a primaeva observantia Ordinis S. Benedicti commissa, iisdem servatis finibus, in Abbatiam *nullius* evehitur, erigitur et constituitur, eaque a *Pietersburg* urbe, Praefecturae mutato nomine, de *Pietersburg* nuncupatur. (*AAS* XXXII [22 ian. 1940] p. 14 ss.).

B - Bulla *Apostolica de Benkoelen,* 13 iun. 1939, Praefectura Apostolica de Benkoelen, in Sumatra insula, ad Vicariatus Apostolici gradum et dignitatem extollitur, erigitur et constituitur. Decernitur ut novus hic Vicariatus ab urbe *Palembang,* Palembangensis nuncupetur. (*AAS* XXXII [22 ian. 1940] p. 16 s.).

C - Bulla *Si per indefessos,* 11 iul. 1939, Praefectura Apostolica de Monte Currie, iisdem servatis finibus, in Vicariatum Apostolicum evehitur, erigitur et constituitur. Novus hic Vicariatus, vetere Praefecturae nomine mutato ab urbe illius regionis principe, in qua Vicarius Apostolicus sedem habebit, de *Kokstad* nuncupabitur. (*AAS* XXXII [22 ian. 1940] p. 18 s.).

D - Bulla *Si catholica res,* 11 iul. 1939, Praefectura Apostolica de Peng-yang in Corea, in Vicariatum Apostolicum de Heijo nuncupandum evehitur, erigitur et constituitur eidem atque novus Vicariatus eidem Societati de Maryknoll pro Missionibus ad exteras gentes concreditus manet. (*AAS* XXXII [22 ian. 1940] p. 19 ss.).

E - Bulla *Apostolica de Yangku,* 11 iul. 1939, Praefectura Apostolica de Yangku in Sinis, in Vicariatum Apostolicum sub eadem appellatione, iisdemque servatis finibus, evehitur, erigitur et constituitur. Eidem igitur Vicariatui eiusque pro tempore Vicariis Apostolicis omnia tribuuntur iura, privilegia, honores et potestates, quibus ceteri per orbem Vicariatus Apostolici eorumque Praesules iure communi fruuntur et gaudent. (*AAS* XXXII [20 febr. 1940] p. 33 s.).

F - Bulla *Enascens inter,* 20 iul. 1939, Praefectura Apostolica de Multan in dioecesim, iisdem servatis finibus et appellatione, evehitur et erigitur, illaque suffraganea constituitur metropolitanae ecclesiae Delhiensi et Simlensi, eiusque pro tempore episcopi metropolitici Archiepiscopi Delhiensis et Simlensis iuri subiciuntur. (*AAS* XXXII [20 febr. 1940] p. 34 ss.).

G - Bulla *Quaecumque fidei,* 20 iul. 1939, Praefectura Apostolica de Wuchow, eodem nomine iisdemque finibus servatis, in Vicariatum Apostolicum evehitur, erigitur et constituitur. Novus Vicariatus Societatis de Maryknoll pro Missionibus Exteris sollertibus curis, sicut antea, concreditus manet. (*AAS* XXXII [20 febr. 1940] p. 37 s.).

H - Bulla *Si qua dioecesis,* 22 iul. 1939, ab archidioecesis S. Ludovici de Maragnano territorio pars septendecim complectens Municipia, distrahitur, atque territorium ita avulsum in novam erigitur et constituitur dioecesim, quae ab urbe *Caxias,* in Statu *Maranhao* sita, *Caxiensis in Maragnano* nuncupabitur (*AAS* XXXII [20 martii 1940] p. 109 ss.).

I - Bulla *Ad maius christifidelium,* 22 iul. 1939, ab archidioecesi S. Ludovici de Maragnano et a Praelatura *nullius* S. Iosephi de Grajahù, pro parte ad utramque spectante, territorium seiungitur et nova ex eo Praelatura *nullius,* quae a *Pinheiro* urbe *Pinerensis* nuncupabitur, erigitur et constituitur. (*AAS* XXXII [20 martii 1940] p. 112 ss.).

L - Brevi *Ventimiliensium Episcopus,* 20 aug. 1939, paroeciale templum Sanctuarii Sacratissimo Cordi Iesu dicati in loco « Bussana Nuova » intra Ventimiliensis dioe-

cesis fines, Basilicae Minoris titulo ac privilegiis, perpetuum in modum augetur. (*AAS* XXXII [20 febr. 1940] p. 38 s.).

M - Bulla *Ad maius christifidelium spirituale,* 5 oct. 1939, tota regio illa *Hatay,* ad ecclesiasticum territorium missionis *sui iuris* Syriae hucusque spectans, Vicariatui Apostolico Constantinopolitano seu *de Instanbul* perpetuo unitur, illaque, una cum clero et populo, illius pro tempore Vicarii Apostolici iurisdictioni in posterum subiecta decernitur. (*AAS* XXXII [20 martii 1940] p. 115 ss.).

N - Brevi *Montis Pessulani,* 11 oct. 1939, Ecclesia Nostrae Dominae a Tabulis, intra fines civitatis ac dioecesis Montis Pessulani, titulo atque honorificentiis *Basilicae Minoris* decoratur. (*AAS* XXXII [20 febr. 1940] p. 39 s.).

O - Bulla *Inter regionis* 11 nov. 1939, ab Archidioecesi Dyrrachiensi pars distrahitur complectens Albaniae Australis territorium, atque nova exinde Administratio Apostolica « Albaniae Australis » nomine, constituitur, S. Congregationis pro Ecclesia Orientali iurisdictioni subiecta. (*AAS* XXXII [19 apr. 1940] p. 139).

P - Brevi *Litteris suis Apostolicis,* 11 nov. 1939, privilegium nobilitatis Ordini Equestri Piano olim concessum abrogatur: « Omnibus rei momentis attente perpensis, Nos, ut huiusmodi iure Ordo quoque Pianus ceteris Equestribus Ordinibus adaequetur Pontificiis, motu proprio statuendum censemus et, iis absolutis quae iam Litteris Apostolicis supradictis decreta fuerant, ex nunc et in posterum omnes et singuli, in quamlibet ex tribus classibus praefati Ordinis Piani classem adsciti, insignibus tantum ac titulo proprio Classis, absque ullo nobilitatis iure privilegioque licite uti, frui possint et queant. Contrariis non obstantibus quibuslibet;... » (*AAS* XXXII [20 febr. 1940] p. 41).

Q - Epistola *Singulari animi,* 20 nov. 1939, ad Exc.um P. D. Ioannem Panico, archiepiscopum tit. Iustinianensem, SS. D. N. eum qui in amplissima Australiae regione apostolico munere Suam gerit personam, quique archiepiscopali honore ac dignitate praefulget, Legatum Suum deligit ac renuntiat, ut Congressui Eucharistico, ex tota No-

vae Zelandiae regione in Wellingtonensi civitate proxime ineundo, nomine Suo Suaque auctoritate praesideat (*AAS* XXXII [20 febr. 1940] p. 42 s.).

R - Bulla *E dioecesibus* 25 nov. 1939, a Natalensi Dioecesi quaedam territorii pars seiungitur et nova exinde dioecesis, « Caicoensis » nuncupanda, erigitur, Metropolitanae Ecclesiae Parahybensi suffraganea. (*AAS* XXXII [19 apr. 1940] p. 141).

S - Brevi *Hodiernos Namurcensis,* 8 dec. 1939, templum abbatiale B. Mariae Virginis de Aurea Valle, intra fines Namurcensis dioecesis noviter erectum, titulo ac dignitate Basilicae Minoris, iuribus ac privilegiis rite competentibus adiectis, perpetuum in modum augetur. (*AAS* XXXII [20 martii 1940] p. 117 s.).

T - Bulla *Quo sacrorum,* 9 dec. 1939, Ciliciarum regio, territoria amplectens urbium *Adana, Mersina* ac *Tarso* a Vicariatu Apostolico Aleppensi, ad quem hucusque illa pertinuit, seiungitur atque Vicariatui Apostolico de Instanbul adnectitur et unitur, et territoria ipsa, una cum clero et populo, eiusdem pro tempore Vicarii Apostolici de Istanbul iurisdictioni in posterum subiecta decernuntur, (*AAS* XXXII [20 martii 1940] p. 116 s.).

U - Brevi *Compertum Nobis,* 10 ian. 1940, templum seu sanctuarium Zapopanense intra fines dioecesis Guadalajarensis, ad honrem B. M. V. Deo dicatum, ad Basilicae Minoris titulum et dignitatem promovetur, iuribus privilegiisque adiectis, quae rite competunt. (*AAS* XXXII [20 martii 1940] p. 118 s.).

V - Epistola *The memorable messagc,* 7 ian. 1940, ad Exc.mum Franklin D. Roosevelt, Foederatarum Civitatum Praesidem, Summus Pontifex Exc.mo Viro de humanissimis litteris Sibi missis (cf. *L'Osservatore Romano,* 26 dic. 1939) gratulatur, legatum obventurum iam honorifice excipit, vota de efficaci coperatione ad pacem inter nationes demum componendam benignissime profert. (*AAS* XXXII [20 febr. 1940] p. 43).

W - Die 1 feb. 1940, Summus Pontifex nuntio radiophonico, lingua Anglica, benigne allocutus est Christifide-

les Novae Zelandiae, ob conventum Eucharisticum in urbe Wellingtonensi coadunatos: Se cum illis hunc vitae Catholicae in Nova Zelandia centenarium anniversarium laete concelebrare; Deo gratias de Providentiae donis necnon de operibus fauste transactis referre. Illos vero Novae Zelandiae fideles, opportunissima devotione Christum Regem Eucharistico concessu laudare et invocare decrevisse, Beatam Virginem Patronam et Reginam elegisse. Se denique illos omnes, specialissime autem eos qui ad indigenam Maöriensium gentem pertinerent, Sibi commendatos habere, iisque omnibus Benedictionem Apostolicam paterne impertire. (*AAS* XXXII [20 feb. 1940] p. 47).

X - Consistorium publicum diei 7 martii 1940. Post Consistorium secretum, in aula supra Porticum Basilicae Vaticanae, fuit Consistorium publicum pro Canonizatione Beatae Maria a S. Euphrasia Pelletier, Virginis monialis professae ex Ordine dominae Nostrae a caritate, fundatricis Instituti sororum a Bono Pastore, necnon Beatae Gemmae Galgani, virginis saecularis. (*AAS* XXXII [20 martii 1940] p. 107 ss.).

Y - Die 24 martii 1940, inter sacra Paschatis sollemnia in Basilica Vaticana, Ss.mus D. N. homiliam pronuntiavit, qua Resurrectionis gaudium et vim renovatricem celebravit, animorum spiritualem renovationem praedicavit. Haec, quae ad publicos eventus referuntur, temperari non possumus quin verbatim citemus:

« At aliud etiam in causa est, Venerabiles Fratres ac Dilecti Filii, cur vobis cunctisque hominibus spiritualem eiusmodi per Christum renovationem restaurationemque vehementer commendemus. Hoc videlicet necessarium opus non modo privata singulorum vita privatumque bonum postulant, sed totius etiam humànae consortionis suprema salus. Idque potissimum hoc temporum discrimine, dum tristissimae res oculis obversantur omnium ac vel formidolosiores in posterum reformidantur. Nostis enim quae nobis aetas inciderit. Populorum concordia misére diffracta iacet; pacta conventa, quae data utrimque fide sollemniter confirmata fuere, interdum ex una parte solummodo, nec mutuis rationibus antea transactis definiteque compositis, vel immutantur, vel omnino infringuntur; ac vox silet fraterni amoris fraternaeque necessitu-

dinis. Quidquid hominum mens tentando experiendoque peperit, quidquid est virium, quidquid fortunae divitiarumque, id fere omne vel ad bellum gerendum, vel in armorum apparatum confertur increscentem cotidie magis. Quae ad populorum prosperitatem ad auctioremque rerum progressionem gignebantur, ea in praesens, mutato cursu mutatoque ordine, in eorundem exitium ruinamque convertuntur. Languent, intercepta insidiis omne genus, pacifica commercia; atque adeo tenuiorum praesertim civium classes rerum inopia laborant. Ac praeterea — quod deterius est — dum odio simultateque infuscantur animi, multis iam locis, terrae, maria ipsumque caelum, excelsa sempiternae patriae imago, fraterna caede foedantur. Et iura etiam, quibus excultae gentes inter se continentur, non semel violata summo moerore cernimus: unde misere est factum ut urbes non munitae, agricolarum pagi ac vici igneis sint glandibus exterrita, vacillantes senes innocentesque pueri e domo sint deturbati ac saepenumero morte confecti... Nos igitur, qui, ut paternum erga omnes gerimus animum, ita maerentes filiorum luctus angoresque participamus, a divino Redemptore, hoc sollemni laetoque die, supplici prece contendimus ut Regibus ac Principibus cunctoque populo christiano pacem, concordiam et unitatem largiri dignetur. Amen ». (*AAS* XXXII [19 apr. 1940] p. 146 ss.).

Z - Consistorium semipublicum. Feria V, die 4 mensis aprilis 1940, in consueta aula Palatii Apostolici Vaticani, *Consistorium semipublicum* habitum est, in quo Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa XII tam Reverendissimorum Patrum Cardinalium, quam Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum itemque Praelatorum seu Abbatum *nullius*, quibus ius est, suffragia excepit pro futura canonizatione Beatarum Mariae a Sancta Euphrasia Pelletier, monialis professae ex Ordine Dominae Nostrae a Caritate, fundatricis Instituti a Bono Pastore, et Gemmae Galgani, virginis saecularis. (*AAS* XXXII [19 apr. 1940] p. 137).

AA - Epistola *Superiore anno* 15 apr. 1940, ad Eminentissimum P. D. Aloysium S. R. E. Cardinalem Maglione, a publicis Ecclesiae negotiis, Ss.mus D. N. adhortatur ut iterum, sicut anno praeterito factum est, preces fun-

dantur ad populorum pacem conciliandam; et, peculiari modo « ut iterum per proximum mensem candidae puerorum puellarumque multitudines supplices stipent sacras Virginis aedes; eademque deprecatrice ac sequestra pacis, populis ac gentibus omnibus a Deo pacata tempora impetrent ». (*AAS* XXXII [19 apr. 1940] p. 144).

26 - S. Congregatio Concilii

DIOECESIS C. *Iuris funerandi canonicos honorarios*: die 9 dec. 1939. Sacra Congregatio, accedente die 16 eiusdem mensis approbatione et confirmatione SS.mi D. N. Pii P. XI, dubium sic resolvit:

D. An et quomodo articulus 123 Statutorum capitularium sustineatur in casu.

R. Negative, et articulum 123 Statutorum capitularium esse reformandum ad normam iuris.

DISCEPTATIO: Statuta Capituli cathedralis Dioecesis C, ab Episcopo anno 1933 approbata, in articulo 123 haec decernunt: « Defuncto aliquo canonico, etiamis honorarius aut simpliciter beneficiarius fuerit, quaecumque sit paroecia in qua decesserit, Capitulum collegialiter procedet ad eius domicilium, Archipresbyter levabit cadaver, quod ad ecclesiam cathedralem deferetur, ut ibi funera expleantur.

Animadversiones quae contra citatum articulum allatae sunt, ita summarie referri possunt:

1 - Clausula « quaecumque sit paroecia in qua decesserit » vi verborum paroeciam significat in qua canonicus diem supremum obiit, non autem paroeciam ratione domicilii propriam (cf. c. 1230, § 1) ut censet Capitulum. Proinde articulus non satis perspicuus videtur.

2 - In memorato articulo nihil praecavetur circa electionem alius ecclesiae funerantis ad normam canonis 1223, § 1: qua electione admissa, non in cathedrali sed in electa ecclesia iusta funebria canonici quoque residentialis persolvenda sunt.

3 - Praeterea fieri potest ut canonicus etiam residentialis, et a fortiori honorarius (cf. c. 406) in paroecia valde dissita ab ecclesia cathedrali, rusticationis v. g. vel curationis causa, decedat; tunc eius cadaver, si commode ad ecclesiam cathedralem asportari nequeat, ad normam

canonis 1218 in ecclesia paroeciae in qua mors accidit funerandum est. De quo eventu citatus articulus nullatenus providet.

4 - At, quod praecipuum est, articulus sustineri nequit quoad canonicos *honorarios* contra ius parochi proprii, si hic alius est quam parochus ipsius ecclesiae in qua Capitulum sedem habet. Namque, iuxta canones 462, 1216, parochus proprius intentionem habet in iure fundatam funerandi omnes suos paroecianos nisi ab ipso iure aliud expresse decernatur. Iamvero, secluso casu electionis alius ecclesiae funerantis a defuncto legitimae factae (cc. 1223 ss), Codex ipse *taxative* designat ecclesiam funeris quoad nonnullas certae conditionis personas, inter quas numerantur quidem beneficiarii (ideoque canonici) *residentiales, non autem canonici honorarii*. Horum igitur funera iure communi reguntur, sc. cadavera transferenda sunt funeris causa in ecclesiam propriae paroeciae vel loci longinqui in quo mors accidit (cc. 1216, 1218). Frustra contra hanc conclusionem appellatur c. 415, § 2, 3°, qui decernit: « Iusta funebria in ecclesia (cathedrali vel collegiali) ad normam iuris peragenda... persolvere, ad Capitulum pertinet tantum in casu quo de funere agatur alicuius dignitatis, vel canonici, *etiam honorarii tantum*, vel beneficiarii ». Nam etiam in citato canone omnia ad normam iuris fieri supponuntur, ideoque supponitur casus ubi defuncti cadaver legitime ad ecclesiam capitularem delatum est; et totus canon intendit tantummodo relationes iuridicas inter parochum et Capitulum eiusdem ecclesiae determinare, quin aliorum parochorum iuribus ullum praeiudicium afferat. Nec quidquam contra facit approbatio Episcopi. Nam imprimis Statuta capitularia, etsi ab Episcopo approbata (cf. c. 410) vim legis episcopalis seu dioecesanae non sortiuntur. Sed ne Episcopus quidem per legem dioecesanam iuri communi derogare potest. Perperam denique arguitur ex aequiparatione inter canonicos residentiales et honorarios (cf. cc. 407, § 2; 411, § 3). (*AAS* XXXII [5 mart. 1940] p. 75).

27 - S. C. Rituum

1 - *Chicagien. seu Lauden.* Decretum 21 iun. 1939, Super dubio: *an signanda sit Commissio Reassumptionis*

Causae in casu et ad effectum de quo agitur canonizationis B. Franciscae Xaveriae Cabrini Virg., fundatricis Instituti Missionariarum a S. Corde Iesu. (*AAS* xxxii [22 ian. 1940] p. 26 s.).

2 - *Bergomen.* Decretum 2 iul. 1939, Super dubio: *an constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate tum in Deum cum in proximum nec non de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia, Fortitudine eorumque adnexis in gradu heroico in casu et ad effectum de quo agitur* beatificationis et canonizationis Servae Dei Paulae Elisabeth, in saeculo Constantiae Cerioli, viduae Buzecchi-Tassis, fundatricis instituti a Sacra Familia. (*AAS* xxxii [20 febr. 1940] p. 54 ss.).

3 - *Romana seu Corduben.* Decretum 22 nov. 1939, Super dubio: *an signanda sit Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur* beatificationis et canonizationis Servae Dei Mariae a Sacro Corde Iesu, fundatricis Ancillarum Sacratissimi Cordis Iesu. (*AAS* xxxii [20 martii 1940] p. 122 ss.).

4 - *Romana seu Sancti Ludovici.* Decretum 28 ian. 1940, Super dubio: *an et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur* beatificationis et canonizationis venerabilis Servae Dei Philippinae Duchesne, e Societate Sororum a Sacro Corde Iesu. (*AAS* xxxii [5 mart. 1940] p. 79 ss.).

5 - *Vicen. seu Barcinonen.* Decretum 28 ian. 1940, Super dubio: *an et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur* beatificationis et canonizationis venerabilis Servae Dei Ioachimae de Vedruna, Vid. De Mas, fundatricis Instituti Carmelitarum a Caritate. (*AAS* xxxii [5 mart. 1940] p. 81 ss.).

6 - *Vicen. seu Barcinon.* Decretum 25 febr. 1940, Super dubio: *an, stante virtutum et duorum miraculorum approbatione* Tuto *procedi possit ad sollemnem Beatificationem Venerabilis Servae Dei* Ioachimae De Vedruna vid. De Mas, fundatricis Instituti Carmelitarum a Caritate. (*AAS* xxxii [20 martii 1940] p. 124 ss.).

7 - *Romana seu Sancti Ludovici.* Decretum 25 febr. 1940., Super dubio: *an, stante virtutum et duorum miraculorum approbatione,* tuto *procedi possit ad sollemnem Beatificationem Venerabilis Servae Dei* Philippinae Du-

CHESNE, e societate sororum a Sacro Corde Iesu. (*AAS* XXXII [20 martii 1940] p. 127 ss.).

8 - *Brixien.* Decretum 25 febr. 1940, Super dubio: *an et de quibus miraculis constet in casu et effectum de quo agitur* beatificationis et canonizationis Venerabilis Servae Dei MARIAE CRUCIFIXAE DI ROSA, fundatricis congregationis Ancillarum a caritate. (*AAS* XXXII [20 mart. 1940] p. 129 ss.).

9 - *Ruthenen.* Decretum 17 martii 1940, Super dubio: *an et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur* beatificationis et canonizationis Venerabilis Servae Dei MARIAE GULIELMAE DE RODAT, fundatricis Sororum a Sacra Familia. (*AAS* XXXII [19 apr. 1940] p. 157).

10 - *Brixien.* Decretum 17 martii 1940. Super dubio: *an, stante approbatione virtutum et duorum miraculorum,* TUTO *procedi possit ad sollemnem beatificationem* Venerabilis Servae Dei MARIAE CRUCIFIXAE DI ROSA, fundatricis Congregationis Ancillarum a Caritate. (*AAS* XXXII [19 apr. 1940] p. 160).

28 - S. Paenitentiaria Apostolica

Decreto 15 ian. 1940, oratio ad D. N. Iesum Christum crucifixum indulgentia partiali ditatur, sc. indulgentia quingentorum dierum lucranda a Christifidelibus qui Feria VI in Parasceve, hora decima quinta, infra relatam orationem pia mente ac saltem corde contrito recitaverint. Orationis formula:

PREGHIERA A GESÙ CROCIFISSO

O Gesù, che, per il tuo ardentissimo amore verso di noi, hai voluto essere crocifisso e versare il tuo preziosissimo Sangue a redenzione e salvezza delle anime nostre, riguarda a noi qui raccolti nel ricordo della tua dolorosissima passione e morte, fiduciosi nella tua misericordia; purificaci, con la tua grazia, dal peccato, santifica il nostro lavoro, dona a noi e ai nostri cari il pane quotidiano, addolcisci le nostre pene, benedici le nostre famiglie e concedi ai popoli, afflitti da dure prove, la tua pace che solo è la vera, affinchè, obbedendo ai tuoi precetti, perveniamo alla gloria celeste. Così sia. (*AAS* XXXII [20 feb. 1940] p. 60).

29 - S. Romana Rota
Tabulae Synopticae Causarum S. R. Rotae

Anno 1939

I

Causae iudicatae

A - De matrimonio

	IMPEDIMENTUM	Allegatum	Admissum	Negatum
NULLITATIS	Amentia mulieris	1	0	1
	Clandestinitas	1	1	0
	» et defectus consensus	1	0	1
	Condicio apposita et exclusio prolis	1	0	1
	» » et non impleta	3	0	3
	» » et non impleta; vis et metus	1	1	0
	» » et simulatus consensus	1	0	1
	Defectus consensus	2	0	2
	» formae	1	0	1
	» » ; vis et metus; defectus consensus	1	0	1
	Exclusio boni fidei	1	0	1
	» » prolis	1	0	1
	» » » et condicio apposita non impleta	1	0	1
	Exclusio boni fidei, prolis et defectus consensus	1	1	0
	» indissolubilitatis	4	1	3

	IMPEDIMENTUM	Allegatum	Admissum	Negatum
NULLITATIS	Exclusio indissolubilitatis atque prolis . . .	1	1	0
	» unitatis	1	0	1
	Impedimentum consanguinitatis	1	0	0
	» criminis	1	0	1
	» ligaminis	1	1	0
	Impotentia mulieris	1	1	0
	» » et dispensatio super rato .	1	0	1
	» viri	2	1	1
	» » et dispensatio super rato . .	3	0	3
	Simulatus consensus et vis et metus . . .	1	0	1
	Vis et metus	15	4	11
	» » » et defectus aetatis	1	1	0
	» » » et exclusio boni prolis	1	0	1
	» » » et exclusio indissolubilitatis . .	1	0	1
	» » » et ignorantia circa essentiam matrimonii	2	1	1
	Vis et metus et simulatio consensus	1	0	1
	» » » ; exclusio indissolubilitatis; error personae	1	0	1
		56	14	41

B - De variis argumentis

Ceterae causae fuere: semel de credito et damnis, de solutione deque separatione.

II

Causae quae eodem anno 1939 transactae fuerunt vel peremptae, vel quae absque definitiva sententia, ex peculiaribus circumstantiis, finem habuerunt:

A - De matrimonio

	IMPEDIMENTUM	Allegatum
NULLITATIS	Amentia, intentio contra indissolubilitatem atque prolem	1
	Amentia mulieris, condicio apposita et error	1
	Amentia viri	1
	Condicio apposita	3
	Defectus consensus et exclusio unitatis atque indissolubilitatis	1
	Defectus consensus; exclusio boni prolis	1
	» » ; vis et metus	1
	Exclusio boni prolis	3
	Exclusio indissolubilitatis	1
	» unitatis	1
	Impotentia mulieris	4
	Reiectio libelli	5
	Vis et metus	7
		30

B - De variis argumentis

Ceterae causae fuere: ter de credito, bis de iuribus, semel de administratione, possessione recuperanda et damnis, semel de iuribus super reiectione libelli, semel de diffamatione; de diffamatione et damnis; de pensione.

N.B. *Ex* 59 *causis, sub I allegatis,* 26 *causae peractae sunt cum gratuito patrocinio.*

30 - Provisiones ecclesiarum

A - *SS. D. praeficere dignatus est, in Consistorio secreto die 7 mensis martii a. 1940 habito*:

Exc. P. D. Victorium Sanabria, hactenus episcopum Alajuelensem, metropolitanae ecclesiae S. Iosephi in Costarica.

B - *SS. D. praeficere dignatus est*:

E.mum D. Cardinalem Emmanuelem Celestinum Suhard, hactenus Metropolitam Rhemensem, metropolitanae ecclesiae Parisiensi.

Exc.mum D. Aemilium Roques, hactenus archiepiscopum Aquae Sextiae, archiepiscopali ecclesiae Rhedonensi.

Exc.mum D. Florentium du Boïs de la Villerabel, hactenus episcopum Anneciensem, archiepiscopali ecclesiae Aquae Sextiae.

Exc.mum D. Iosephum Moussaron, hactenus episcopum Anneciensem, archiepiscopali ecclesiae Aquae Sextiae.

Exc.mum D. Iosephum Moussaron, hactenus episcopum Cadurcensem, archiepiscopali ecclesiae Albiensi.

(L'*Osservatore Romano,* 12 Maggio 1940).

C - *Decretis S. S. Consistorialis nominati sunt*:

27 dec. 1939, Exc. P. D. Samuel Stritch, metropolitanae ecclesiae Chicagiensi.

27 dec. 1939, Exc. P. D. Christianus Winkelmann, cathedrali ecclesiae Wichitensi.

1 ian. 1940, Exc. P. D. Moysen Kiley, metropolitanae ecclesiae Milwaukiensi.

8 ian. 1940, Exc. P. D. Ioannes Subercaseaux, metropolitanae ecclesiae Serenensi.

8 ian. 1940, R. D. Secundus Bologna, cathedrali ecclesiae Boianensi-Campobassensi.

16 ian. 1940, Exc. P. D. Iosephus Walh, metropolitanae ecclesiae Tuamensi.

16 ian. 1940, Exc. P. D. Ioannes Evangelista de Lima Vidal, cathedrali ecclesiae Aveirensi, nuper restitutae.

24 ian. 1940, R. D. Aloysius Delmotte, cathedrali ecclesiae Tornacensi.

30 ian. 1940, R. D. Aurelianus de Mattos, cathedrali ecclesiae Limoeirensi.

2 febr. 1940, R. P. Christophorus Dominicus Carullo, cathedrali ecclesiae Laquedoniensi.

2 febr. 1940, R. P. Iosephus a Virgine (in saeculo Iosephus Di Donna) O. S. T., cathedrali ecclesiae Andriensi.

3 febr. 1940, Exc. P. D. Daniel Rivero, metropolitanae ecclesiae Aristianae.

6 febr. 1940, R. D. Iosephus Franciscus Martin, cathedrali ecclesiae Aniciensi.

6 febr. 1940, R. D. Amabilis Chassaigne, cathedrali ecclesiae Tutelensi.

19 martii 1940, R. D. Vincentius I. Ryan, cathedrali ecclesiae Bismarkiensi.

25 martii, 1940, R. P. Marcus Ioannes Della Pietra, Ordinis Fratrum Minorum, archiepiscopali ecclesiae Anconitanae cum adnexo titulo Numanensi.

25 martii 1940, R. D. Albertus Carinci, cathedralibus ecclesiis Aeserniensi et Venafranae aeque principaliter unitis.

28 martii 1940, Exc. P. D. Caesar Boccoleri, metropolitanae ecclesiae Mutinensi et Abbatiae *nullius* Nonantulanae, invicem perpetuo unitis.

28 martii 1940, R. D. Hernandus Frias Hurtado, cathedrali ecclesiae S. Caroli Ancudiae.

D - *Decretis S. C. de Prop. Fide nominati sunt*:

12 ian. 1940, R. P. Edmundus Peiris, O. M. I., cathedrali ecclesiae Chilawensi.

13 febr. 1940, Exc. D. Mauritius Bernardus Despatures, cathedrali ecclesiae Bangalorensi, nuper erectae.

31 - Nominationes

Decretis S. C. de Prop. Fide renunciati sunt:

9 febr. 1940, R. P. Ioannes Bautisti Rosenthal, e Pia Societate Missionum, Praefectus Apostolicus de Queenstown.

9 febr. 1940, R. P. Ludovicus Wach, e Societate pro Missionibus ad Afros, Praefectus Apostolicus de Korhogo.

32 - Designationes pro appellatione:

Iuxta can. 1594 § 2 Codicis Iuris Canonici pro appellatione Ordinarius Praefecturae Apostolicae de Shunsen designavit Tribunal Vicariatus Apostolici de Wonsan (Gensan).

Quam designationem SS.mus D. N. Pius div. Pp. XII in audientia diei 13 mensis decembris a. 1939 approbavit. (*AAS* XXXII [20 martii 1940] p. 121).

Item Ordinarii Libyae, quibus ex pontificia concessione facultas facta est instituendi Tripoli unicum tribunal primae instantiae pro causis matrimonialibus, designaverunt pro appellatione Tribunal metropolitanae ecclesiae Panormitanae.

Quam designationem SS.mus approbavit in audientia diei 23 mensis ianuarii a. 1940. (*AAS* XXXII [20 martii 1940] p. 121).

Quoad appellationem Ordinarius pro Ruthenis Galitianis in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis designavit Tribunal Ordinariatus pro Ruthenis Podocarpaticis in eadem natione commorantibus. Quam designationem SS. D. N. Pius Div. Prov. Pp. XII, in audientia diei 27 mensis ianuarii a. 1940 approbavit (*AAS* XXXII [5 mart. 1940] p. 74).

33 - Necrologium

3 ian. 1940, R. D. Iosephus Emmanuel Damasus Ruiz y Rodriguez, archiepiscopus S. Christophori de Habana.

4 ian. 1940, R. D. Emmanuel Conzalez y Garcia, episcopus Palentinus.

9 ian. 1940, R. D. Ferdinandus Taddei, episcopus de Jacarézinho.

29 ian. 1940, R. D. Carolus Lamarche, episcopus Chicoutimiensis.

30 ian. 1940 R. D. Petrus Caelestinus Cézérac, archiepiscopus Albiensis.

30 ian. 1940, R. D. Gustavus Lazarus Garnier, episcopus Lucionensis.

31 ian. 1940, R. D. Iustinus Guitart Vilardebò, episcopus Urgellensis.

9 febr. 1940, R. D. Iosephus Rumeau, episcopus Andegavensis.

9 febr. 1940, R. D. Eduardus Iosephus Byrne, archiepiscopus Dublinensis.

13 febr. 1940, R. D. Ioannes Iacinthus Chassagnon, episcopus Augustodunensis.

14 febr. 1940, R. D. Abraham Elias, archiepiscopus Sehnaensis Chaldaeorum.

8 mart. 1940, R. D. Michäel Kelly, archiepiscopus Sydneyensis.

2 apr. 1940, D. Renatus Pontes, episcopus Valenciae in Brasilia.

9 apr. 1940, E.mus D. Cardinalis Ioannes Verdier, archiepiscopus Parisiensis.

14 apr. 1940, D. Dionisius Njaradi, episcopus Crisiensis.

14 apr. 1940, D. Nicolaus Cola, episcopus Nucerinus et Tadinensis.

NOTAE BIBLIOGRAPHICAE

I - Ex Libris

Dom Gaston Démaret, *Indulgences à l'usage de tous les fidèles, suivies d'un manuel de piété.* Paris (Téqui) 1940, 16×11.5 cm., pretium: Fr. 15.

Comte J. du Plessis, *Les derniers temps d'après l'histoire et la prophétie.* Paris (Téqui), 18.5×12 cm., 446 p.

H. Schauf-A. Eröss, *M. J. Scheeben: Briefe nach Rom.* Mainz (Grünewald) 1939, 13.5×21 cm., 143 p.

II - Thesaurus ex periodicis congestus

a) moralis

Bellum: *La question de la guerre juste et la pensée de Las Casas et de Vitoria. Cité Chrétienne* 14 (1939-1940), p. 137 (J. M. de Semprun y Gurrea).

Benedictio Papalis: A benedictione in articulo mortis (c. 468) et ab ea quae ab Ordinario (c. 914) vel a Regularibus privilegiatis (c. 915) impertitur, distinguitur Benedictio Papalis in fine contionum, quae Apostolicum indultum requirit. Quomodo hoc obtineri potest. *Papal Blessing. Clergy Review* 18 (April 1940), p. 343 (E. J. M.).

Choreae modernae: An proximam peccandi occasionem necessario constituunt? *Dancing. Clergy Review* 18 (April 1940), p. 350 (E. J. M.).

Confessarius: An, quousque, quomodo (in actu confessionis vel potius extra confessionem) confessarius adiuvare possit personas quae « nevrosis » laborant. *Con-*

fessor and or Psychotherapist. Clergy Review 18 (April 1940), p. 290-303 (Cammack).

Cultus paganus: Commentaria in decretum S. C. Prop. Fid. de ritibus Sinensibus: *Il Monitore Ecclesiastico* 65 (1940), p. 26-30; *Revue des communautés religieuses* 1940, p. 27 ss. (Creusen).

Indulgentiae: Commutatio visitationis ecclesiae. Cf. partem canonicam huius thesauri, sub c. 935.

Oratio ad D. N. Iesum Christum crucifixum. S. Paen. 21 dec. 1939; AAS 32, p. 60.

Portiunculae: praecepta imposita rectoribus ecclesiarum et conditiones requisitae ex parte fidelium. *Il Monitore Ecclesiastico* 65 (1940), p. 42.

Summarium indulgentiarum concessarum Archiconfraternitati doctrinae christianae. S. Paen. 21 dec. 1939; AAS 32, p. 58.

Missa: De gravitate omissionis in audienda Missa, consultatio. *Irish Ecclesiastical Record* 55 (March 1940), p. 285 (Mc Carthy).

Oboedientiae obiectum. *Collationes Namurcenses* 34 (1940), p. 13-22.

Occasionarii et recidivi: Disceptatio de doctrina et praxi. *Ecclesiastical Review* 102 (Feb. 1940), p. 108-123 (Allen).

Occasionarii, recidivi, consuetudinarii: *Perfice munus* 14 (1939), p. 734 (Rossi).

Praeceptum octavum: Prudentiae officium. *Collationes Namurcenses* 34 (1940), p. 38-42.

Sterilizatio: Directa sterilizatio prohibetur lege naturae. S. Off., 22 feb. 1940; AAS 32, p. 73; *Periodica* 29, p. 149 b.

Iudicium morale de lege sterilizationis in Germania. *The Catholic Medical Guardian,* July 1938 (Fairfield); versio Gallica, *S. Luc. Medical* 17 (1939), p. 370.

Sinfulness of Voluntary Sterilization: *Sterilization of Criminals. The Australasian Catholic Record.* 17 (Jan. 1940), p. 59 (Nevin).

Tentatio: De obligatione resistendi tentationibus, consultatio: *Resistance to Temptation. Irish Eccl. Record.* 55 (March 1940), p. 282 (Mc Carthy).

Theoria legis mere poenalis, non generatim admittenda in

legibus civilibus hodiernis. *Periodica* 29 (1940), p. 23 ss. (Lopez).

Vitae periculum, non sine proportionata ratione incurrendum. *Stimmen der Zeit* 137 (1939-1940), p. 9; *Einsatz und Wagnis im Kampfsport* (Zeiger).

b) CANONICUS

Canon 20: De lacunis legum supplendis ad normam Codicis. *Ius Pontificium* 19 (1938), p. 70-89 (Cernica).

Canon 39: De ablativo absoluto in clausulis rescriptorum. *Apollinaris* 12 (1939), p. 175-186 (Felici).

Canon 87: Apostatae a fide in causis matrimonialibus agere prohibentur. **S. Off., 11 ian. 1940; AAS 32, p. 52;** *Periodica* 29 (1940), p. 149.

Canon 98: De muliere quae « in matrimonio ineundo » transit ad ritum viri. Auctor censet eam non pro matrimonio celebrando, verum tantummodo matrimonio inito, ad viri ritum pertinere. *Periodica* 29 (1940), p. 5 ss. (Herman).

Canon 99: De distinctione theoretica-practica inter paroeciam, ecclesiam, beneficium. *Perfice munus* 14 (1939), p. 597-606; *Parrocchia, chiesa e beneficio* (Stocchiero).

Canon 111: Annotationes responsi Commissionis Interpr. Cod. 24 iul. 1939 de incardinatione ordinati in servitium alius dioecesis. *Periodica* 29 (1940), p. 141.

Canon 145: Ad officium sacrum an requiritur potestas ordinaria? *Ius Pontificium* 19 (1939), p. 96 (Sipos).

Canon 209: Error communis et iurisdictionis suppletio ab Ecclesia. *Boletino eclesiastico* 17 (1939), p. 238-253, 371-383 (Salvador).

Canon 399: De conditionibus in conferendo canonicatu theologali requisitis. **Dataria Apostolica, 8 apr. 1940; AAS 32, p. 163.**

Canon 420: Excusatio a choro non extenditur ad servitium paroeciae non capitularis. **Commissio Interpr. Cod. 19 ian. 1940; AAS 32, p. 62.**

Canon 451: Index facultatum quae cappellanis maioribus militum conceduntur. **S. C. Consist. 8 dec. 1939; AAS 31, p. 710 ss.** Commentaria super iisdem facultatibus: *Clergy Review* 18 (April. 1940), p. 304-312 (Mahoney); *Nouvelle Revue Théologique* 1940, p. 296-318 (Bergh).

Canon 551: De restitutione dotis religiosae professae discedenti. Exponitur historica evolutio disciplinae ecclesiasticae hac in re; canonis redactio et interpretatio explicantur. *Commentarium pro Religiosis et Missionariis* 20, p. 79; 21, p. 8, 145 (Larräona).

Canon 600: De clausura monialium. *Revue des communautés religieuses* 15 (1939), pp. 11-20, 38-45, 81-84: *Clôture, évolution, adaption* (Creusen).

Canon 638: Annotationes responsi Commissionis Interpr. Cod. 24 iul. 1939 de religiosorum saecularizatione. *Periodica* 29 (1940), p. 145.

De indulto exclaustrationis. *Revue des communautés religieuses* 15 (1939), pp. 51-58 (Bergh).

Canon 694: Scapularia: de obligatione inscribendi nomina et de conditionibus ad indulgentias lucrandas. *Irish Eccl. Record* 55 (Jan. 1940), p. 73.

Canon 714: Annotationes responsi Commissionis Interpr. Cod. 24 iul. 1939 de mutatione habitus confraternitatis. *Periodica* 29 (1940), p. 146.

Canon 730, 824: De stipendiis Missarum ex doctrina P. de la Taille. *Ecclesiastical Review* 102 (April 1940), p. 296 (Leahy).

Canon 777: De vi inscriptionis in libro baptizatorum, praesertim quoad filios illegitimos. *Ius Pontificium* 19 (1939), p. 3 ss. (Toso).

Canon 789: Prima manuum impositio ad essentiam Sacramenti Confirmationis non pertinet. *Clergy Review* 18 (April 1940), p. 349; *Validily of Confirmation* (E. J. M.).

Canon 806: Binatio. Brevis et fecunda disceptatio de conditionibus requisitis ut sacerdos bis eodem die litare possit. *Clergy Review* 18 (Feb. 1940), p. 153 (Mahoney).

Canon 818: De rubricis observandis ubi secunda Missa immediate post primam, in eodem altari, celebranda est; quaestio proponitur de decreto S. Rit. C. 11 mart. 1858, *decr. auth.* n. 3068. *Clergy Review* 18 (Jan. 1940), p. 71 (E. J. M.).

Canon 822: De Missae celebratione in oratorio privato. *Ius Pontificium* 19 (1939), pp. 31-47 (Berutti).

Canon 829, 840: Eleemosynae Missarum manualium iam perceptae, sine culpa illius qui onere celebrandi gravatur, perierunt. Licetne Missas ad alium sacerdotem celebrandas transmittere, deminuto stipendio? Affirmativa solutio proponitur ex rationibus et auctori-

tate Wouters, *Theol. mor.* II, n. 224. *Irish Eccl. Record* 55 (April 1940), p. 421; *Transfer of Mass Stipends* (Fallon).

Canon 858: Textus indulti quo Episcopo Monasteriensi conceditur facultas permittendi operariis nocturnis ut semel in mense aliquid per modum potus sumere possint ante Communionem. *Theologisch-praktische Quartalschrift* 1939, p. 139. Cf. *Clergy Review* 18 (April 1940), p. 352.

Canon 910: De feminarum confessionibus. Occasione consultationis de allegata consuetudine in Hibernia contra citatum canonem, auctor plures utiles de sedis confessionalis historia affert annotationes. *Irish Eccl. Record* 55 (March 1940), p. 294; *Place for Hearing Women's Confessions* (Fallon).

Canon 935: Confessarii commutare possunt visitationem ecclesiae determinatae etiam ad lucrandas indulgentias *toties quoties* et *Portiunculae* nuncupatas. **Commissio Interpr. Cod. 19 ian. 1940; AAS 32, p. 62.**

Canon 955: Annotationes responsi Commissionis Interpr. Cod. 24 iul. 1939 de episcopo proprio ordinationis. *Periodica* 29 (1940), p. 141.

Canon 1044, 1045: De potestate dispensandi super impedimentis matrimonialibus urgente mortis periculo. *Collationes Gandavenses* 27 (1940), pp. 10-16.

Canon 1060: Matrimonia mixta: summarium historicum de evolutione legis Ecclesiae. *Homiletic and Pastoral Review* 40 (Jan. 1940), p. 409-419 (Woywod).

Canon 1070: Quaestiones de validitate matrimonii inter baptizatos in Ecclesia Catholica et Iudaeos, Mahometanos et non baptizatos, cl. auctor modo practico et ad circumstantias Americae Septentrionalis accommodato pertractat et solvit. *Homiletic and Pastoral Review* 40 (April 1940), p. 117 (Woywod).

Canon 1094: Possuntne Latini coram parocho Orientali matrimonium contrahere? Auctor affirmative respondet. *Ius Pontificium* 19 (1939), p. 97 (Sipos).

Canon 1097: Conc. Plen. Australiae (n. 476) *suadet* ut proprio parocho remittatur dimidia pars praestationis datae parocho non proprio, qui in sua paroecia matrimonio assistit cum licentia proprii parochi alterutrius partis. Conquerit parochus quidam rusticus; cu-

ius satisfit obiectionibus. *Australasian Catholic Record* 17 (Jan. 1940), p. 66 (Nevin).

Canon 1134: Matrimonium inter haereticum et infidelem ante Codicem invalide celebratum (ob impedimentum disparitatis cultus) post Codicem mera cohabitatione maritali non validatur. *Irish Eccl. Record* 55 (April 1940), p. 427 (Fallon).

Canon 1205: Sepultura. De valore rationum quae adduci solent contra morem sepeliendi cadavera. Ostenditur eas omni vero fundamento destitui. *Theologisch-praktische Quartalschrift* 1940, p. 58 (Hoffmann).

Canon 1220: De iure funerandi canonicos honorarios. **S. C. Conc., Resolutio, Dioecesis C., 9 dec. 1939; AAS 32, p. 75 ss.**

Canon 1249: De impletione praecepti de audienda Missa, si celebratio fiat in altare portatili vi privilegii personali. *Clergy Review* 18 (Feb. 1940), p. 155 (E. J. M.).

Canon 1252: De indulto S. C. Conc. 6 ian. 1938 concesso Archiepiscopo S. Ludovici (Missouri, U. S. A.) vi cuius feria IV maioris hebdomadae iam non censetur dies abstinentiae. *Ecclesiastical Review* 102 (Jan. 1940), p. 64.

Canon 1358: De seminario in aliena dioecesi rusticanti. *Apollinaris* 12 (1939), p. 261-265 (Felici).

Canon 1366: Commentarium Allocutionis Pii XII 24 iun. 1939. *Irish Eccl. Record* 55 (Jan. 1940), pp. 29-38 (Dominic Curran, O. P.).

Canon 1372: *The Native Schools of Ireland in the Penal Era*: studium historicum de scholis quae in Hibernia saec. XVIII a populo Catholico contra iniquas leges civiles retentae et sustentae sunt. *Irish Eccl. Record* 55 (Jan. 1940), pp. 16-28 (Cahill).

Canon 1399: Consultatio de libris « acatholicorum, qui ex professo de religione tractant » (c. 1399, 4°). Unde constare debet « nihil in eis contra fidem Catholicam contineri »? *Irish Ecl. Record* 55 (March 1940), p. 292 (Fallon).

Canon 1427: De paroeciarum divisione. *Il Monitore Ecclesiastico* 51 (1939), pp. 273-281, 299-305, 323-332 (Cozza).

Canon 1473: Utrum beneficiarius recte dicatur usufructuarius. *Perfice munus* 14 (1939), p. 677-684.

Canon 1514: De piis fidelium voluntatibus. *Collationes Burgenses* 39 (1939), p. 381 (Brys).

Canon 2020: Commentarium super decreto S. Rit. C. 4 ian. 1939 de normis servandis in processibus ab Ordinario instruendis in causis historicis. *Periodica* 29 (1940), p. 138 (De Guibert).

Canon 2218: Utrum Episcopus ob omissionem brevis homiliae dominicalis infligere possit poenam suspensionis a Missae celebratione pro die immediate sequenti, ipso facto incurrendam. Respondetur negative. *Il Monitore Ecclesiastico* 65 (1940), p. 31-35.

Canon 2244: Multiplicatio censurarum. *Revue ecclésiastique de Liège* 31 (1939-1940), p. 183 (Simenon).

Canon 2334, 2341: Recursus ad tribunale laicum a sententia competentis tribunalis dioecesanae non est appellatio a decreto Episcopi neque plectitur poena excommunicationis de qua in c. 2341; potest autem esse contra c. 2334, 2°. *Irish Eccl. Record* 55 (April 1940), p. 429; *Appeal to Civil Court from Diocesan Tribunal* (Fallon).

c) LITURGICUS

Altare: Breve summarium praecipuorum legum liturgicarum cum citatione fontium. *Ecclesiastical Review* 102 (March 1940), p. 253; *What Is a Liturgical Altar?* (Dreisoerner).

Benedictio mulieris post partum. An impertiri possit mulieri innuptae, quae illegitime pepererit? *Clergy Review* 18 (April 1940), p. 347; *Churching an Unmarried Mother* (E. J. M.).

Casula in forma Gothica: Consultatio et annotationes. *Irish Eccl. Record* 55 (March 1940), p. 298 (Long).

Dominica Palmarum: De ratione sufficienti omittendi quasdam caeremonias, consultatio. *Irish Eccl. Record* 55 (March 1940), p. 290 (McCarthy).

Oratio SS.mi Sacramenti: Quando in Missa dicenda est: decretorum recapitulatio. *Irish Eccl. Record* 55 (April 1940), p. 432 (Long).

Sacrarium: Quaesitis variis de necessitate et usu sacrarii satisfit, citatis S. R. C. decretis et Rubricarum praescriptis. *Clergy Review* 18 (April 1940), p. 345 (E. J. M.).

Sequentia: *Two Great Sequences*: « *Laudes Crucis attollamus* » *and* « *Salve Mater Salvatoris* ». *Irish Eccl. Record* 55 (Jan. 1940) pp. 39-49 (Dean Mulcahy).

Vestes sacrae: Annotationes practicae de usu *casulae* et de *coloribus liturgicis*. *Irish Eccl. Record* 55 (Jan. 1940), pp. 74-79 (Long).

Dalmatica et *tunica*: eorum origo, forma, color, ornatus, usus concinne exponuntur. *Irish Eccl. Record* 55 (April 1940), p. 434 (Long).

Pluviale. *Irish Eccl. Record* 55 (March 1940), p. 302 (Long).

DISSERTATIONES
ET QUAESITA VARIA

Circa ignorantiam naturae matrimonii

Difficultatibus potest fortasse occasionem praebere formula, qua Codex usus est ad explicandum quae ignorantia naturae matrimonii nullum reddat consensum matrimonialem. « Ut matrimonialis consensus haberi possit, necesse est ut contrahentes saltem non ignorent matrimonium esse societatem permanentem inter virum et mulierem ad filios procreandos ». Can. 1082 § 1.

Haec lex non novum quoddam ius instruere intendit, quia, ut optime E.mus Massimi dicebat (*Decisiones S. R. R.*, 2 augusti 1929, vol. 21, dec. 43, n. 2) hac in re « dari nequit legis variatio », sed expressius indicavit, quod iam passim ab auctoribus et iurisprudentia tenebatur, sequiturque ex ipsa rei natura, seu ab ipso iure naturali.

Videlicet, apud omnes in comperto est et fuit consensum matrimonialem ferri debere in obiectum essentiale contractus matrimonialis. Nam nihil differt contractus matrimonialis ab aliis contractibus, in ratione contractus, qua voluntates partium in idem placitum concurrunt. Obiectum contractus et obiectum consensus quatenus eandem substantiam respiciunt pro uno eodemque sumi debent, nam id facit consensus quod substantia contractus determinat. Ideoque sicuti emptio-venditio est contractus qui perficitur consensu duorum in proprium et specifi-

cum obiectum emptionis venditionis, seu commutationis mercis cum pretio, sic etiam matrimonium facit partium consensus (can. 1081 § 1) in obiectum proprium seu essentiam matrimonii. Itaque Codex I. C., cum definit consensum matrimonialem, id tradit quod est essentia contractus matrimonialis, ad quam tendere debet actus voluntatis consentientis cum altera parte pariter consentiente. Est autem consensus matrimonialis « actus voluntatis quo utraque pars tradit et acceptat ius in corpus. perpetuum et exclusivum, in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem » (can. 1081 § 2). Essentia ergo matrimonii definitur per reciprocam coniugum traditionem et acceptationem iuris in corpus, perpetui et exclusivi, in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem.

Haec notio nihil differt ab eo quod in Ecclesia semper traditum est , nec differre potest cum ex ipso iure naturae descendat.

1. - *Obiectum contractus matrimonialis.*

Consensus essentialis matrimonii, consistens in mutua traditione iuris in corpus, oriri vinculum facit quo formaliter coniuges sunt uniti. Per ius autem in corpus debet intelligi, ius quo alteruter utitur corpore alterius in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem. Quare personae coniugum sunt obiectum materiale contractus; formale vero, seu ratio sub qua consideratur et attingitur obiectum materiale, est ius cum relativa obligatione utendi corpore alterius in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem. Unte dicitur obiectum formale essentiale contractus matrimonialis (Gasparri, De matrim. I, 7; Wernz-Vidal, De matrimon. n. 34).

Quidam auctores maiorem adhuc specificationem requirere visi sunt in ratione obiecti formalis essentialis c. m. Determinatio, dicunt, specifica obiecti formalis contractus matrimonialis fit per ius coeundi, i. e. per ius in

corpus per copulam exercendum, cum actus per se apti ad prolis generationem non alii sint nisi ipsa copula. Sic CAPPELLO, De matrim. n. 582. « Si puella sciat quidem matrimonium esse societatem institutam ad filios procreandos, sed ignoret omnino id fieri per coniunctionem carnalem seu copulam, matrimonium non valet, quia deest necessaria cognitio et ideo ipse consensus in obiectum essentiale, *quod est ius in corpus per copulam exercendum* ». E contra, maior pars theologorum antiquorum recentiorumque diverso tenent obiectum essentiale contractus matrimonialis esse quidem formaliter ius in corpus in ordine ad actus per se aptos ad p. g.; materialiter tantum seu identice esse ius coeundi. Seu quod idem est, ius in corpus in ordine ad actus per se aptos ad p. g. continere ius ad copulam, quam implicite tradit qui concedit ius in corpus.

Differentia inter utramque sententiam stat in eo quod iuxta primos notio expressa copulae in obiecto essentiali contractus matrimonii comprehenditur; iuxta alios, autem, implicite tantum seu in virtute. Ait SANCHEZ, lib. II, disp. 28: « Dicendum est, consensum matrimonium constituentem non esse explicite in copulam carnalem, sed in ius et potestatem ad talem copulam; implicite autem et virtute ad copulam. Probo, quia carnalis copula non est de matrimonii essentia, sed eius effectus et operatio: perfectio, autem, essentialis consistit in mutua corporum traditione ad copulam; ergo consensus efficiens matrimonium non fertur explicite ad copulam, sed *in potestatem*, et implicite in copulam. Probo consequens, quia consensus in matrimonium solum fertur in id quod est de essentia, quia vero consensus in aliquam rem, fertur saltem implicite in effectum, ad quam illa res intrinsece ordinatur, inde est ut consentiens in mutuam corporum traditionem, consentiat etiam virtute in copulam. Sic S. Th. IV, disp. 28, q. un. art. 4; Covarr. IV, decr. 2, p. c. 3 init. n. I; Suarez, p. 3, q. 29, art. 2, sect. I in fin. etc. ».

« Pro huius magis intelligentia, pergit Sanchez, observandum est, dupliciter intelligi posse ut consensus implicitus in copulam, desideretur ad verum matrimonium. Primo modo, loquendo de consensu implicito, quantum est ex parte contractus, et hoc modo verissimum est eum desiderari: cum enim contractus matrimonii intrinsece ordinetur ad copulam. qui explicite consentit in illum, consequenter in hanc implicite consentit, ex vi talis contractus. Secundo modo potest intelligi ex parte contrahentis, et hoc pacto non est necessarius consensus implicitus in copulam, imo licet contrahens habeat intentionem non consentiendi in copulam est verum matrimonium. Quod clare videtur significare D. Th. IV, d. 30, q. 2, a. I his verbis: Virgo (Maria) implicite consensit in copulam, at copula numquam fuit in proposito, erat enim a Deo certificata numquam subsequi debere. Ecce qualiter ex parte contractus ponit consensum implicitum in copulam, non vero ex parte contrahentis, sed oppositum animum ». Inde Sanchez concludit: « non esse necessarium consensum implicitum in copulam, ex parte contrahentis, secus ex vi contractus ».

Itaque, etsi aliqui moderni cum Cappello l. c. requirant ad specificandum obiectum essentiale matrimonii notionem copulae in iure coeundi expressam, at maior pars antiquis insistendo vestigiis, implicitam aiunt sufficere, quatenus ius in corpus in ordine ad actus per se aptos ad p. g. operationem supponit per medium quoddam corporeum exercendam. Sic Gasparri l. c., Wernz-Vidal, l. c. Payen, De matrimonio inter infideles, II, pag. 6, 33 etc.

2. - *De scientia obiecti contractus matrimonialis*

Age iam, qui consentit in contractum matrimonialem actum elicit voluntatis quo efficitur seu ponitur obiectum proprium et essentiale contractus. Ergo consentiens volensque obiectum illud cognoscere debet, quia nihil voli-

tum quin praecognitum. Unde sufficienter pars consentiens naturam matrimonii cognoscere debet, eius obiectum essentiale formale, et proprietates essentiales, seu unitatem et indissolubilitatem, et quidem ea discretione animi, quae par sit tanto oneri per matrimonium suscipiendo.

Circa discretionem animi requisitam in comperto est consensum contrahentis proferri oportere vere deliberatum, id est, scienter praestitum cum cognitione ad contractum matrimonialem accomodata. Qua de re maturius iudicium, quod non semel in sententiis rotalibus postulatum vidimus, nihil aliud est nisi illa advertentia mentis et voluntatis adhaesio ad obiectum essentiale contractus matrimonialis, quae plenam deliberationem supponunt circa obligationes essentiales ex tali contractu inscindibili et perpetuo derivantes. Aliqui contra Sanchez arguunt, eo quod hac de re magnam confusionem creaverit in iure canonico et magna damna actoribus in causis matrimonialibus causaverit.

Sanchez, dicitur, hanc normam statuerat: « Sufficit ea deliberatio, quae in materia gravi sufficeret ad peccandum mortaliter » (Sanchez, l. 1, disp. 8, n. 5). Haec recte dicta non videntur. Sanchez ad quaestionem: « Quando sponsalia nulla sunt ex defectu deliberationis, quia impraemeditato et subito passionis iracundiae motu contracta sunt », ita respondet: « dicendum est eam deliberationem sufficere et exigi, quae in materia lethalis culpae sufficeret ut consensus esset culpa gravis; unde si quis ira vel alio passionis aestu subito percitus sponsalia contrahat, si tanta sit passio, ut rationis iudicium obtenebrarit, et deliberationem ad peccatum mortale requisitam impedierit, ut si illo subito motu hominem interimeret non esset mortale: tunc sponsalia non erunt valida ex defectu deliberationis; si autem non ita impedit deliberationem, quin homicidium illud tunc admissum esset culpa lethalis, sponsalia erunt valida ». Quis potest dubitare Sanchez agere de advertentia mentis necessaria ut deliberatio habeatur non defec-

tuosa, et non agere de scientia requisita ad lethaliter peccandum vel ad sponsalia contrahenda? Et quis potest doctrinam a Sanchezio pronuntiatam improbare? Alio in loco (l. VII, d. 104, nn. 21, 22, 27) docuit ad matrimonium valide ineundum requiri maturius iudicium quam pro ceteris contractibus ob gravissimum vinculum et perpetuum matrimonii. Disputans de matrimonio in iure antiquo valido, si malitia supplebat aetatem dicit: « in tenera aetate invenitur aliquando robur ad copulam, cum tamen non soleat in ea tanta discretio adesse quanta ad vinculum gravissimum et perpetuum matrimonii desideratur.....; nomine malitiae supplentis aetatem ad matrimonium petitam comprehendi (dicendum est) potentiam ad copulam et prudentiam ac discretionem ad intelligendam consensus coniugalis vim. Quae cum sit res gravissima et perpetua exigit maiorem discretionem ea, quae in tenera aetate reperitur; quare non sufficit ad matrimonium impuberis valorem sola generandi potentia aetatem praeveniens, nisi ea quoque prudentia adsit ». Cfr. de hac genuina Sanchezii mente in *Decisiones S. R. R.* coram Wynen, 1 martii 1930, vol. 22, pag. 128.

Hoc maturius iudicium quod advertit ad naturam matrimonii et ad eius proprietates essentiales non tale esse debet quod omnes partes distincte in se et in omnibus consequentiis admittat expresse; et proinde nec requiritur ut explicite attingat ius tradendum et acceptandum sub eius omnibus rationibus, ac proinde qua exclusivum et qua perpetuum. Quin imo error circa unitatem vel indissolubilitatem, etiam antecedens seu dans causam contractui, non vitiat consensum matrimonialem (can. 1084). Sed cum ex parte contractus ius tradendum et acceptandum perpetuum et exclusivum sit oporteat, necessarium quoque est ut illas proprietates essentiales positive saltem non excludantur (can. 1086 § 2). Pariter cum obiectum essentiale matrimonii sit ius in corpus traditum et acceptatum in ordine ad actus per se aptos ad p. g., nec necesse

est ut voluntas intendat expresse illos actus qui sunt per se apti ad p. g., scilicet copulam perfectam. Qui ignoret vel erret circa modum peragendi in ordine ad prolis generationem, adhuc valide contrahere potest, si ius traditum in corpus intelligat ordinatum ad prolis generationem.

3. - *Specificatio scientiae requisitae ad matrimonium contrahendum.*

Quare, invalidum dat consensum pars quae, *etsi plene sui compos*, prorsus ignorat, seu ne confuse quidem noscit finem primarium matrimonii, qui est procreatio prolis et inde eiusdem educatio (can. 1013) et idcirco ignorat obiectum essentiale in quod fertur actus ille voluntatis, qui nomine consensus matrimonialis ad normam can. 1081 § 2, venit. Et idem dicendum est de eo qui circa illud obiectum errat. Invalide contrahit qui putat matrimonium esse societatem amicalem, aut operae locationem in rem familiarem, vel matrimonium sumit uti meram communionem domesticam, uxore agente curam rei domesticae, marito adimplente officia sui muneris, vel opinatur matrimonium esse transeuntem atque precariam unionem sexualem. In his casibus impossibile est ut voluntas consentientis sese referat ad finem primarium coniugii qui est procreatio prolis, nec tradere et acceptare potest ius in corpus suum in ordine ad generationem prolis. Quare in praedictis casibus deficeret obiectum contractus matrimonialis nec consensus ab ea parte praestitus esset consensus matrimonialis. Sequitur, idcirco, quod consentiens in matrimonium, huius obiectum formale essentiale cognoscere debeat. Codex I. C., quando habeatur ex parte contrahentis cognitio sufficiens obiecti formalis essentialis definit in can. 1082 § 1: « Ut matrimonialis consensus haberi possit, necesse est ut contrahentes saltem non ignorent matrimonium esse societatem permanentem inter virum et mulierem ad filios procreandos ». Conferendo can. 1082 § 1 cum

praecedenti can. 1081 § 2 haec clare apparent: in can. 1081 § 2 agitur de stabiliendo obiecto consensus matrimonialis quantum ex parte contractus est, seu ex vi contractus. Et ideo bene dicitur Codicem *scientifice* et *obiective* proposuisse quid sub nomine consensus matrimonialis veniat. In can. 1082 § 1 agitur de indicando quid ex parte contrahentis requiratur ut talem consensum matrimonialem consentiens praestet. Alia et alia est ergo ratio utriusque praescripti, sicut ex tenore utriusque legis patet. In prima etenim plenitudo conceptus respicitur, in altera autem minimum quoddam decernitur sine quo consensus matrimonialis exstare non posset. Quare notanda sunt verba in can. 1082 § 1 adhibita: *saltem non ignorent;* quae nisi minimum quoddam exprimerent inutiliter omnino adhibita dicenda forent.

Gradus enim, possibiles sunt scientiae obiecti essentialis matrimonii seu censensus matrimonialis, prout in can. 1081 § 2 definitus est. Alius enim cognoscit plene ius in corpus tradendum ad filios procreandos cuius exercitium est copula carnalis physiologice exacta i. e. penetratio membri virilis in corpus uxoris et seminatio in eius vagina. Alius cognoscit ius in corpus tradendum ad filios procreandos per concursum proprii corporis necessarium ad finem matrimonii assequendum, quod est positum in unione organorum sexualium, quamvis de completa ratione peragendi copulae non sit edoctus. Alius sistit in eo quod cooperatio corporalis sit necessaria in exercitio iuris traditi ideoque confuse et generice concursum proprii corporis necessarium scit ad habendos filios ex unione cum altera parte. Alius ex errore putabit concursum corporum prorsus inadaequatum, fallens semetipsum circa modum et exercitium iuris in corpus traditi. Alius denique societatem esse matrimonium scit cum viro qui ex uxore filios procreat, sed ignorat prorsus modum et exercitium quo filii procreentur. Alius tandem intendit nubere, ignorans cetera, prout alii nubunt.

Analecta Gregoriana

Cura Pontificiae Universitatis Gregorianae Edita

CATALOGUS

VOLUMINUM QUAE IN LUCEM PRODIERUNT

AD FINEM MENSIS MAII 1939

Iis, qui integram aliquam seriem per subscriptionem acquisituri sunt, vel qui simul decem vel amplius exemplaria ement, reductio 10 % solvendi pretii conceditur.

Ordinationes inscribantur accurate:
Deposito libri, - Pontificia Università Gregoriana
Piazza della Pilotta, 4
Roma

ANALECTA GREGORIANA

Dividuntur secundum Facultates Universitatis. In unaquaque Facultate duae distinguuntur sectiones: *Sectio A*, in qua investigationes Professorum eduntur. *Sectio B*, quae selectis thesibus ad gradum conscriptis constituitur.

Facultas Theologica

SECTIO A

Num. 1-2. (Anal. Greg. vol. IX et X) **Miscellanea Vermeersch** - Scritti pubblicati in onore del R. P. Arturo Vermeersch, S. J. - 2 vol. 1935, in 8° - I vol. p. XXIX-454 ; II vol. p. 406. Pretium : Lit. 68

SECTIO B

Num. 1. (Anal. Greg. vol. I) Schwamm H., Mag. aggr. Fac. Theol. Pont. Univ. Gregorianae : **Magistri Ioannis de Ripa, O. F. M., doctrina de praescientia divina.** - 1930, in 8°, pag. XII-288. Pretium : Lit. 15

Num. 2. (Anal. Greg. vol. III) Druwé Eugenius S. J., Mag. aggr. Fac. Theol. Pont. Univer. Gregorianae : **Prima forma inedita operis S. Anselmi " Cur Deus homo „** - Textus, cum Introductione et notis criticis. - 1933, in 8°, pag. XII-150. Pretium : Lit. 15

Num. 3. (Anal. Greg. vol. V) Madoz José, S. J., Maes. agreg. a la Fac. de Teol. de la Pont. Univ. Gregoriana : **El Concepto de la Tradicion en S. Vicente de Lerins.** - 1933, in 8°, pag. 214. Pretium : Lit. 15

Num. 4. (Anal. Greg. vol. VII) J. A. De Aldama S. J., Maes. agreg. a la Fac. de Teol. de la Pont. Univ. Gregoriana : **El Simbolo Toledano.** - 1934, in 8°, pag. 167. Pretium : Lit. 15

Num. 5. (Anal. Greg. vol. XI) M. Bévenot S. J. Mag. aggr. Fac. Theol. Pont. Univ. Greg. : **St. Cyprian's de Unitate Chap. IV.** - 1938 in 8° pag. LXXXV-79 et 6 Tab. Pretium : Lit. 15

Num. 6. (Anal. Greg. vol. XII) L. Gómez Hellín S. J., Magist. aggreg. Pont. Univ. Greg.: **Praedestinatio apud Ioannem Cardinalem de Lugo.** - 1938, in 8°. pag. XII-191. Pretium: Lit. 15

Num. 7. (Anal. Greg. vol. XVI) Theodor Schnitzler, Dr. Theol., **Im Kampfe um Chalcedon.** Geschichte und inhalt des Codex Encyclius von 458. - 1938, in 8°, pag. 132. Pretium: Lit. 15

Num. 8. (Anal. Greg. vol. XVIII) Ephrem Boularand S. J., Doct. en Théol., **La venue de l'homme à la foi d'après Saint Jean Chrysostome** Lit. 20

Num. 9. (Anal. Greg. vol. XIX) Prudentius De Letter S. J., **De ratione meriti secundum Sanctum Thomam** Lit. 20

Facultas Iuris Canonici

SECTIO A

Num. 1. (Anal. Greg. vol. IV) Ramon Bidagor, S. J., Prof. de Derecho en la Pont. Universidad Gregoriana: **La "Iglesia Propia„ en España.** Estudio historico-canonico. - 1933, in 8°, pag. XII-176. Pretium: Lit. 15

Num. 2. (Anal. Greg. vol. VIII) **Miscellanea iuridica** Iustiniani et Gregorii IX legibus commemorandis, cura Pont. Univ. Gregor. edita. - 1935, in 8°, p. 185. Pretium: Lit. 15

Facultas Philosophica

SECTIO A

Num. 1. (Anal. Greg. vol. VI) Leo W. Keeler S. J., Prof. of History of Philosophy in the Gregorian University: **The Problem of Error from Plato to Kant.** - 1934, in 8°. pag. 284. Pretium: Lit. 15

SECTIO B

Num. 1. (Anal. Greg. vol. II) Stanislaus Adamczyk, Mag. aggr. Pont. Univ. Gregorianae: **De obiecto formali intellectus nostri secundum doctrinam S. Thomae Aquinatis.** - 1933, in 8°, pag. XVI-152. Pretium: Lit. 15

Num. 2. (Anal. Greg. vol. XVII) J. A. Sheridan, S. Theol. ac Phil. Dr., Mag. aggr.: **Expositio plenior Hylemorphysmi Fr. Rogeri Baconis O. F. M. doctoris mirabilis.** - 1938, in 8°, pag. XXVIII - 176. Pretium: Lit. 15

Facultas Historiae Ecclesiasticae

SECTIO B

Num. 1. (Anal. Greg. vol. XIII) Daniele Ireneo, Dr. Hist. Eccl. **I documenti Costantiniani della "Vita Constantini„ di Eusebio di Cesarea.** - 1938 in 8° pag. 219. Pretium: Lit. 15

Num. 2. (Anal. Greg. vol. XIV) Ricardo G. Villoslada S. J., Dr. Hist. Eccl.: **La Universidad de París durante los estudios de Francisco de Vitoria O. P. (1507-1522)** - 1938 in 8°, pag. XXVIII-468. Pretium: Lit. 35

Num. 3. (Anal. Greg. vol. XV). Johann Villiger, Dr. Hist. Eccl., Prof. in Fac. Theol. ad Lucernam. **Das Bistum Basel** zur Zeit Iohanns XXII. Benedikts XII. und Klemens VI. (1316-1352). 1939 in 8° pag. XXVIII-370. Pretium: Lit. 35

Sub prelo: Severino González, S. J. **La formula** Μία οὐσία τρεῖς ὑποστάσεις **en San Gregorio de Nisa**

Sub prelo: Haacke Gualterus, **Die Glaubensformel des Papstes Hormisdas im Acacianischen Schisma.**

At undenam istae scientiae consentientium variae? Quia cum natura ipsa vage et indefinite doceat de generatione sexuali, experientia sive propria, duce instinctu sexuali, sive aliena, naturalia illa complere satagit. Hinc deducitur quod ad matrimonium celebrandum iure naturae non aliud requirendum sit, quam quod ipsa natura docet et instinctus suadet per pubertatem acquisitam, quodque experientia minima quaedam omnibus ostendit. Ea, autem, expressa sunt per illam Codicis locutionem: « matrimonium esse societatem permanentem inter virum et mulierem ad filios procreandos ». In qua formula per verba « societatem inter virum et mulierem » sexualis cooperatio explimitur, seu concursus corporum ad opus proprium coniugii; per verbum » societas permanens » ratio stabilis matrimonii indicatur, sine qua prolis educatio non esset finis coniugii; per verba « ad filios procreandos » finis essentialis primarius matrimonii manifestatur, seu susceptio prolis ex coniugio. Si autem haec noscuntur et intenduntur in matrimonio, in id consentiens alteri parti dat ius in proprium corpus et acceptat ius in corpus compartis, siquidem mutua cooperatio per concursum corporum ex consensu reciproco habenda, nec intelligitur quidem sine iure praedicto. Hinc iure meritoque Codex definit, per hanc cognitionem consensum matrimonialem verum et proprium « *haberi posse* ».

« Duo autem sedulo advertenda sunt: Primum, necesse non esse quod coniuges explicite iura omnia et omnes obligationes assumere intendant, quae ex matrimonii natura derivant, sed sufficit quod matrimonium ipsi in genere contrahere velint eo modo quo a ceteris omnibus contrahitur aut secundum quod institutum fuit a Deo. (Gasparri, De matrim. II, edit. 1892, n. 774). Alterum necesse pariter non esse quod coniuges modum sciant quo filii procreantur, dummodo cognoscant hosce mutua eorum opera generari. Hinc E.mus idem Auctor op. cit., l. c. n. 791, dum invalidum declarat eorum coniugum matrimo-

nium qui illum inierunt veluti societatem mere amicalem, prorsus ignorantes matrimonium esse ad filios procreandos, validum contra matrimonium esse edicit illius puellae quae in illud consentit, nesciens quidem filios haberi per copulam carnalem, imo hanc copulam carnalem prorsus ignorans; at sciens matrimonium esse societatem permanentem cum viro qui ex uxore filios procreat ». (coram Grazioli, 20 ianuari 1926, *S. R. R. Decisiones*, vol. XVIII, dec. 2 n. 6).

4. - *In quo consistat controversia*

Quidam recentiores canonistae his logicis consequentiis resistunt omnino. Duplici autem de causa: *a*) quia notio ipsa copulae, non autem modus physiologicae exactus eam peragendi, pertinet ad obiectum essentiale matrimonii, ideoque medium copulativum corporum aliquo modo cognosci a contrahentibus debet; *b*) quia ipse Codex id etiam requirit per verbum adhibitum: ad filios *procreandos;* procreatio, autem, nihil aliud est nisi generatio per copulam.

Inde statuunt propositionem, seu axioma, ut vocant, iuridicum: « Pars contrahens *debet scire* se alteri parti tradere ius in corpus. Quae pars tradens de natura iuris in corpus ad minimum tali luce gaudere debet, ut capiat agi de unione corporali essentiali nuptiis in genere, in specie de unione organorum sexualium. Exacta physiologica cognitio de processu copulae carnalis non requiritur ». Cfr. Oesterle, in *Ephemerides theologicae lovanienses*, 1938, p. 645. Ut clare perspiciatur obiectum controversiae, haec prius animadvertenda censeo: *a*) Radix huius controversiae videtur esse alia, iam superius proposita, de obiecto essentiali contractus matrimonialis. Haec bene vidit R. P. Payen, qui ait: « Si dicas cum Cappello (3, n. 582) obiectum essentiale contractus matrimonialis esse *formaliter*, seu specifice, *ius coeundi*, id est ius in

corpus per copulam exercendum, consentaneum est ut exigas, ad validitatem matrimonii *expressam* copulae notitiam, et permittas tantummodo ignorantiam *modi* quo carnalis copula perficiatur. Contra, si existimes obiectum essentiale contractus esse *formaliter ius in corpus* « in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem » (can. 1081 & 2), et *materialiter*, seu indentice, ius coeundi, pariter consentaneum est ut requiras solummodo ad matrimonii valorem *implicitam* copulae cognitionem ». PAYEN, De matrimonio in missionibus, vol. II pag. 33, nota 1.

b) Cum omnes requirant genericam copulae cognitionem ad validum praestandum consensum matrimonialem, discrimen inter utramque sententiam, ne lis fiat de nomine patebit ex sequentibus. Iuxta recensitos auctores necessaria notitia copulae id importat: unionem corporum per unionem organorum sexualium, etsi non unio illa cognoscatur scientia physiologice exacta. Haec scientia physiologice exacta pertinet ad modum copulae peragendae.

Iuxta communem sententiam, necessaria copulae cognitio habetur, ubi conceptus genericus cooperationis utriusque coniugis noscitur, cum cetera pertineant ad modum et formam talis cooperationis. In priori sententia, generica copulae notitia in unione sexuali corporum posita absolute requirenda, quia consesus matrimonialis postulat ius ad talem unionem, seu ius coeundi, non autem scientia modi seu exercitii talis unionis. Pro ceteris et ipse conceptus unionis corporalis sexualis latere potest, dum tamen cognoscatur agi de cooperatione physica corporum seu de concursu mutuo corporali per quem filii generantur.

5. - *De argumentis quibus probatur altera sententia*

1) Copula sexualis in matrimonio rationem tenet *medii* quo filii procreantur. Qui autem vult ut filii procreentur vult etiam medium quo talis procreatio evenit, etiamsi

non plane sciat quale illud sit medium. Ergo ut consensus matrimonialis consistat, sufficit scientia de filiorum procreatione, quae *implicite* copulam tamquam medium necessarium comprehendat. Talis est scientia de mutuo concursu ad opus quoddam coniugale.

2) Ipsa formula a Codice I. C. adhibita id manifestat: « necesse est ut contrahentes saltem non ignorent matrimonium esse societatem permanentem inter virum et mulieram ad filios procreandos ».

Ut bene animadverterat E.mus Massimi, nequit esse societas nisi uterque coniux aliquid conferat ad filios procreandos; proinde necesse est ut contrahens uterque sciat filios procreari mutua opera coniugum, id est, utriusque concursu. (S. R. R. Decisiones, vol. XXI, dec. 43, n. 2). Concursus autem de se non importat, nisi « illam vagam notitiam quod aliqua ratione concursus proprii corporis sit necessarius ad habendos filios ex unione cum alia parte, et idcirco quod in associatione quae fit per matrimonium, alteri parti tradatur ius in proprium corpus *in ordine* ad talem cooperationem. Qui talem cooperationem scit, *implicite* tradit et accipit ius in corpus, implicite seu virtualiter vult *modum* a natura constitutum, quem expresse non dispicit, imo quem forte respueret si eum aperte dignosceret » Wernz-Vidal, l. c., 457, Chelodi, De matrim. n. 110; Gasparri, l. c. n. 780; Vermeersch-Creusen, Epitome, II, 369; Payen, l. c. n. 1624, etc.

3) Argumenta contraria non evincunt propositum:

a) Dicitur: « Ius in corpus in ordine ad actus etc.; iuxta can. 1081 § 2, est *obiectum contractus*. Ergo absolute erit postulandum, ut contrahens sufficienter cognoscat obiectum contractus, ut sciat id, quod tradit ». Quid sufficienter cognoscere debeat contrahens ut consensus matrimonialis habeatur, id est, ut sciat quid obiective tradit, definitur in can. 1082 § 1. Argumentum supponit in can. 1082 § 1 contineri debere id quod enuntiatur in can. 1081 & 2. Si ita esset, vel canon esset superfluus, cum de

ipsissima re in praecedenti dicta ageret, vel male concinnatus dici deberet. Nam vaga et generica notio societatis permanentis ad filios procreandos ad quam intentio contrahentis dirigi debet in consensu sufficienti praestando; nullatenus explicite unionem organorum sexualium requirit cognoscere, quae tamen, cum sit actus per se aptus ad p. g. et nullus alius sit per se actus ad talem finem ordinatus, directe intendi oporteret. Patronis sententiae benignioris non arridet formula a Codice adhibita: *saltem non ignorent,* quae minimam quandam scientiam sonat et practicam; sc. illam, quae ab ipsa natura docetur, experientia iuvatur et comprobatur, idque ita communiter ut, obtenta pubertate, eius ignorantia non praesumatur (can. 1082 § 2). Numquid iure praesumeretur quod obtenta pubertate omnes cognoscerent in matrimonio agi de unione organorum sexualium seu de copula? At praesumptiones omnes, maxime iuris, fundantur in factis universalibus.

Praeterea, ut ipsi Patroni admittunt, id supponeret instructionem in scientia sexuali. Ait R. P. Oesterle (l. c.): « *ille, qui non est instructus in scientia sexuali, est incapax ad consensum matrimonialem praestandum* ». Quaero ab eo: a quo deberet instrui?, an a natura?, an a matre?, an a pedagogo?, an a corruptis hominibus?. Nam natura tam claram et distinctam notitiam hominibus conferre noluit. Et tunc qua ratione post pubertatem ius praesumeret talem scientiam? Natura hominibus dedit instinctum sexualem, qui concursum corporum ad finem procreationis filiorum manifestat et docet per illam quotidianam et simplicem experientiam quae omnibus in societate humana viventibus apparet. Quodsi aliquis ita frigidus sit quod stimulus sexus non advertat, et in solitudine ponatur quae nullam experientiam de unione viri et mulieris ad filios procreandos suppeditet, patet in casu praesumptionem cedere veritati debere. At id rarissime contingit, et non nisi in abnormi statu mentis, vel solitudinis absolutae simul cum tali frigiditati, quae « valde difficulter et

quasi per exceptionem admitti potest ». (S. R. R. Decisiones, vol. XVIII, n. 7).

b) Urgetur: « Eandem veritatem probat sequens argumentum. *Officium principale*, quod resultat ex contractu matrimoniali pro utroque contrahente, est debitum coniugale adimplendum. Quod officium inter reliquas coniugum obligationes taliter eminet, ut simpliciter per eminentiam dicatur debitum coniugale. Si una contrahentium pars non perspexerit hoc officium principale resultans ex contractu matrimoniali, non possumus agnoscere uti vadum consensum matrimonialem ab hac parte praestitum ».

Argumentum facilem et necessariam habet solutionem. Oportet distinguere officium principale, prout heic dicitur, ab officio essentiali. Officium essentiale in coniugio respicit obiectum ipsum contractus matrimonialis seu ius dandum in corpus alterius, perpetuum et exclusivum. Hoc, ergo, contrahens perspicere debet, nec in eo errare potest. Minime vero, officium essentiale ex matrimonio resultans est debitum coniugale *adimplendum*. Nam potest contrahens dare ius in corpus, et simul excludere, salvo ipso iure, exercitium iuris matrimonialis. Qua de re notissima est controversia an conditio de servanda castitate in perpetuum matrimonium invalidet. Itaque etiamsi modum et formam copulae carnalis, seu adimpletionem debiti coniugalis ignoret contrahens, valide potest contrahere matrimonium, dum non ignoret ius in corpus alteri dandum. Sufficit, ergo, ut dispiciat obiectum essentiale contractus prout supra explicatum est.

Quod autem dicitur de officio principali, relationem dicit ad alia officia quae matrimonium consequuntur. Sine dubio debitum coniugale est officium praecipuum matrimonii, cum de exercitio seu usu illius iuris agitur. Sed usus coniugii nequaquam est officium essentiale, ideoque matrimonium bene stat cum proposito utriusque coniugis non utendi coniugio.

c) Dicitur: « Vi can. 1082 § 1 nupturiens quis *absolute* scire debet matrimonium esse societatem inter virum et mulierem *in ordine ad generandam prolem*. Ergo legislator vult nupturientem gaudere idea philosophica et iuridica circa matrimonium et bene perspicere *finem* huius instituti *principalem*, scilicet procreationem prolis. Unde interrogavit quis: curnam *hic* matrimonii finis solummodo resideat oportet in conceptu contrahentis? Curnam Codex non postulat, ut etiam *fines secundarii* nuptiarum a contrahente perspecti esse debeant? Dico fines secundarios, qui de facto quandoque haud exigui momenti sunt, immo, qui in vita matrimoniali quandoque unice obtinentur. Ratio, qua motus Codex in Can. 1082 non commemorat fines secundarios, haec est: ille, qui ignorat fines secundarios matrimonii, non sufficienter perspicit essentiam matrimonii; qui autem non perspicit sufficienter essentiam coniugii, non poterit elicere verum consensum matrimonialem ».

Huius argumenti ineptitudo ex hoc iam patebit, quod iuxta contradictorem scientia de finibus secundariis matrimonii est absolute necessaria ad existentiam consensus matrimonialis. Fines matrimonii definiuntur in can. 1013; primarius, scilicet, procreatio et educatio prolis, secundarii, autem, mutuum adiutorium et remedium concupiscentiae. Cum finis sit id propter quod aliquid est, vel fit, recte distinguitur finis operis et finis operantis. Iam vero, finis primarius matrimonii non tantum est finis operis, sed et finis operantis esse debet, cum obiectum essentiale ipsius matrimonialis contractus constituat, quod est tradere et accipere ius in corpus in ordine ad actus per se aptos *ad prolis generationem*. Sed fines secundarii, etsi fines operis sint, possunt non esse fines operantis. Et quidem « ignorantia sive antecedens sive concomitans quae non versetur circa essentiam matrimonii, et quae consequenter non excludat consensum in contractum matrimo-

nialem, coniugium irritum non facit. Nam, ut supra innuimus, qui consentit in matrimonium implicite vult etiam ea omnia quae illud comitantur ». (CAPPELLO, l. c. p. 628). Dicere autem illum, qui ignorat fines matrimonii secundarios, non sufficienter perspicere essentiam matrimonii, est quid omnino erratum. Aliud est essentia matrimonii, aliud fines essentiales. « Essentia matrimonii in fieri consistit in mutuo consensu rite comparti manifestato in vitae consuetudinem, nominatim ius in corpus in ordine ad actus per se aptos ad p. g... Essentia, autem, matrimonii in facto esse consistit in vitae consuetudine, quae ex matrimonii in fieri resultat praesertim in ligamine ». (GASPARRI, l. c. n. 8). Fines operis essentiales exstant omnes, posita essentia matrimonii; nec error vel ignorantia circa eos matrimonium irritum facit, si excipias ignorantiam vel errorem circa finem primarium essentialem, qui, ut diximus, constituit ipsum obiectum essentiale matrimonii, seu ius in corpus ad procreationem prolis. Fines, vero, operantis, quicumque sint, si diversi a fine operis, accidentales sunt et multiplices. Iam vero, servata essentia, matrimonium quocumque fine initum, validum est. Quaerendum esset quot sint nupturientes, qui sciant finem secundarium matrimonii esse remedium concupiscentiae.

Itaque legislator non potuit in can. 1082 § 1 memorare fines secundarios explicite, cum bene sciret in scientia societatis permanentis inter virum et mulierem ad filios procreandos contineri et explicitam scientiam finis primarii essentialis, sc. procreationis prolis, et implicitam mutui adiutorii per societatem inter virum et uxorem obtinendi, necnon remedii concupiscentiae, quod per mutuam corporis cooperationem expletur.

d) At demum urgetur: « Can. 1082 & 1 graviter praedicat: contrahens scire debet matrimonium esse societatem permanentem inter virum et mulierem ad filios procreandos. Unde nupturiens clarus sibi sit oportet filios procreari *per* unionem inter virum et mulierem exer-

citam. Quam unionem sibi repraesentare tantummodo potest tamquam unionem *corporalem*. Si de hoc puncto nupturiens quis studium instituerit, plus minusque sibi naturam seu ideam de prolis procreatione iustam acquiret. Si autem ipsi quacumque de causa mysterium coniunctionis inter coniuges exercendae totaliter absconditum remanserit, tunc dicendum : talis nupturiens *non* cognovit veram naturam matrimonii tamquam unionis sexualis, tamquam societatem hominum fundatam super sexualitatem. Unde talis *invalide* contrahit. Uno verbo: *ille, qui non est instructus in scientia sexuali, est incapax ad consensum matrimonialem praestandum* ». Ni fallor, vis argumenti stat in hoc: scientia societatis permanentis inter virum et mulierem ad filios procreandos non habetur ubi nescitur quid sit filios procreari. Procreatio, dicitur, non est nisi generatio per copulam; i. e. *per* unionem sexualem inter virum et mulierem exercitam. Ergo, necesse est nupturiens sibi repraesentet illam unionem corporalem seu copulam. Cfr. TRIEBS, Handbuch des kanonischen Eherechts, III Teil, pag. 447.

Argumentum ludit cum significatione verborum: *procreatio prolis*. Procreatio in sensu pleno verbi indicat totum processum quo filii gignuntur et nascuntur, per actionem physiologicam quae incipit a penetratione membri virilis in vaginam mulieris et seminationem intra vas, et pergit actione naturae in utero materno, donec infans educitur de ventre matris.

Iam vero, evidens est, haec omnia exacte, seu expresse, seu explicite mulierem sibi repraesentare non debere, ut intelligat filios *procreari*. Nullus auctor id concedet. Itaque scientiam procreationis minus expressam sive minus exactam sufficere in comperto est. Et primo quidem necessaria scientia procreationis notitiam requirere videtur, quod filii educuntur e ventre matris; proinde puella quae sibi repraesentat filiorum susceptionem, tamquam receptionem a ciconia adductorum puerorum in mater-

nis ulnis, evidenter nescit quid sit procreatio prolis. Sed « puella nubens, quae sciat matrimonium esse *societatem cum viro,* qui *ex* uxore filios procreat, et in hanc societatem consentiat », valide matrimonium contrahit. R. P. Oesterle, in *Ephemerides Theologicae Lovanienses,* 1938, pp. 647 et s. verba mox allata hoc commentario instruxit: « Bene notandum: puella debet scire maritum *ex* uxore-attendas illud '*ex*'-filios procreare ». Et in hoc ei consentiunt omnes, etiam E.mus Gasparri, cuius adducta verba sunt, et quem, inadvertens R. P. exscripsit. Cum communi sententia, enim, arguebat Gasparri: « Quod si puella nubens, ex. gr. scit matrimonium esse societatem cum viro qui ex uxore filios procreat, et in hanc consentit, sed nescit filios haberi per copulam carnalem, imo, hanc copulam carnalem prorsus ignorat, est casus ignorantiae quae non excludit matrimonialem consensum et coniugii valorem, cum puella revera satis concesserit ius in corpus in ordine ad prolem » (De matrim. II, n. 791). Seu, quod idem est, procreare filios idem sonat atque *ex* uxore filios haberi opera mutua mariti et uxoris. Quod opus mutuum clare et distincte necesse non est ut perspiciatur, seu in sua ratione physiologica, sed sufficit vaga et generica notitia concursus corporum.

Et ne in istis quaestio inutilis fiat, videtur res definienda modo quo R. P. Payen l. c. distincte quaestionem proposuit: « Omnes requirunt *saltem genericam et implicitam* copulae cognitionem. Etenim scientia, quam exigit can. 1082 § 1, importat saltem illam vagam notitiam quod aliqua ratione concursus proprii corporis sit necessarius ad habendos filios *ex unione* cum altera parte, et idcirco quod in associatione, quae fit per matrimonium alteri parti tradatur *ius in corpus proprium* in ordine *ad talem cooperationem,* licet ea quae propius ad generationis modum et formam spectant ignorentur. Ut matrimonialis consensus haberi possit necessaria non videtur *expressa* copulae cognitio... Sufficit *implicita* cognitio, quae

supra est exposita. Nempe sufficit ut utraque pars sciat necessarium esse *concursum proprii corporis*, adeoque requiri, ad procreandos filios, *aliquam corporum coniunctionem*, seu mutuam operam, eamque *physicam*, coniugum. Eo enim ipso implicite scit tradi et accipi ius ad copulam. Similiter eo ipso *implicite* seu virtualiter, *vult modum*, a natura constitutum, quem expresse non dispicit, imo quem forte respueret, si eum aperte dignosceret ».

Conclusio itaque ad quam R. P. Oesterle, cum Schoensteiner, Triebs aliisque pervenit erronea putanda est: Si nupturientes, aiunt, quacumque ex causa mysterium coniunctionis inter coniuges exercendae totaliter absconditum remanserit, tunc dicendum: talis nupturiens *non* cognovit veram naturam matrimonii tamquam unionis sexualis, tamquam societatem hominum fundatam in sexualitate. Unde talis *invalide* contrahit. Uno verbo: *ille qui non est instructus in scientia sexuali, est incapax ad consensum matrimonialem praestandum* ».

Dixi hanc conclusionem erroneam: quia iuxta mentem auctorum supponit necessario cognosci debere modum peragendi copulam. Quid enim aliud instructio in scientia sexuali intendere potest? Quodsi dubitetur hanc esse mentem auctorum, legatur quo modo ipsi interpretentur verba can. 1082 & 1: « *Haec ignorantia*, de qua in can. 1082 & 1, est ignorantia de matrimonio tamquam societate permanente inter virum et mulierem ad filios procreandos ET *ignorantia de essentia matrimonii*, seu IGNORANTIA DE COPULA SEXUALI ».

Nisi haec ignorantia de copula carnali intelligatur in sensu proprio i. e. ignorantia quod membrum virile penetrare debeat corpus uxoris et in eo seminare, omnis lis esset de nomine. Nam, uti diximus, scientia societatis permanentis inter virum et mulierem ad filios procreandos supponit notitiam alicuius cooperationis corporalis et quidem physicae, quae implicite at non expresse copulam sexualem subintelligit. Requirere autem notitiam expressam

copulae sexualis indicat aliqua ratione cognoscere modum eam peragendi. Contra hoc, autem, praedicat canon 1082 § 1, qui non edixit: societatem permanentem inter virum et mulierem in ordine ad actus per se aptos ad p. g., sed societatem permanentem inter virum et mulierem ad filios procreandos.

6. - *De errore circa actus per se aptos ad p. g.*

In doctrina communi tradebatur nupturientem qui scit matrimonium esse societatem permanentem inter virum et mulierem ad filios procreandos, errare utique posse circa opus a coniugibus ponendum ad finem obtinendum. Errare, dicitur, circa illud, non vero opus ignorare. Nam societas ad filios procreandos, seu societas ex qua filii procreantur sine opere aliquo a coniugibus ponendo in communi ne intelligitur quidem. Quaestiones idcirco agitatas circa ignorantiam finis primarii matrimonii seu obiecti essentialis eo tendere debere sequitur, ut investigetur an nupturientes habuerint illam scientiam prout explicatam necne, minime vero, prospici debere an illi recte conceperint illam necessariam mutuam corporum cooperationem, seu erraverint necne. Necessaria, utique, cooperatio est commixtio corporum seu copula. Sed qui corporis commixtionem, qua talem, ignoraverit, vel circa modum eam rite faciendi erraverit, puta quia ignoravit organa per quae accidat copulatio, tantum versaretur in ignorantia vel errore modi copulae perficiendae. Hic autem non iudicatur invalide contraxisse.

Quare, horror post coniugium manifestatus, quo puella contendat umquam actum adeo turpem ullo modo voluisse, ac proinde renuat consummare matrimonium, non necessario manifestat puellam nescivisse quae necessaria scitu esse dicuntur ad matrimonium contrahendum. Praeter enim quam quod repugnantia potest accidere etiam puellae quae instructa esset generico modo de corporum

commixtione, ea ad copulam aversio est factum quod experientia ipsius modi peragendae copulae provocat; non autem arguit positivam ante matrimonium habitam voluntatem opus excludendi coniugii. Unde duae puellae, aeque ignarae copulae, quarum una nihilominus *vellet*, sed altera *nollet* inire matrimonium si sciret copulam esse ad filios procreandos necessariam, utraque contraheret matrimonium valide.

RAYMUNDUS BIDAGOR S. I.

Ecclesia et Status in Lusitania secundum recens Concordatum.

S. Pontifex Benedictus XV in memoranda Allocutione habita ad S. Collegium Cardinalium die 21 Novembris a. 1921 simul ac declaravit vim amisisse omnem pacta cum Civitatibus inita, quae ex permagna subsecuta conversione rerum non possent iam haberi ut eadem personae morales, quibuscum suprema auctoritas ecclesiastica olim convenerat, disertis etiam verbis asseruit Sedem A. promptam esse ad novas conventiones, mutatis rerum condicionibus congruentes, denuo paciscendas. Quod in votis fuit S. Pontifici Benedicto XV potuit eius successor Pius XI frequenter ad felicem exitum perducere. Sufficiat revocasse in memoriam decem Concordata vel sollemnes Conventiones, Modum vivendi unum et pacta peculiaria quinque, quae regnante Pio XI fuerunt inter Ecclesiam et diversos Status inita [1]. His omnibus licet nunc Concordatum adiungere, quod regnante Pio XII inter S. Sedem et R. Lusitanam fuit d. 7 Maii h. a. in Civitate Vaticana subsignatum.

Qui gravissimorum vulnerum meminerit, quae inde ab a. 1910 fuerunt iuribus Ecclesiae per leges civiles in Lu-

[1] Cfr. RESTREPO, *Concordata regnante S. D. Pio XI inita.*

sitania inflicta, summa non poterit non affici laetitia in hoc perlegendo Concordato; agitur enim de felici instauratione illius amicalis et fructuosae concordiae, quam nobilissima natio Lusitana iam inde a sua origine constanter habuit cum Ecclesia. Ad hanc concordiam et sustinendam et fovendam non parum contulerunt pacta diversa, quae secundum exigentias temporum fuerunt identidem decursu temporis inter Sedem A. et Lusitaniam inita [2]. Haec igitur gloriosa traditio, infeliciter a. 1910 abrupta, opportunissime reviviscit in ipso limine commemorationis independentiae nationalis, octies centenariae, per hoc novum Concordatum, quod haud sine ratione diceres pulchrum monumentum mutuae benevolentiae. Praeiverant sane aliquae pactiones minoris momenti, quae unice quaestiones particulares quarundam regionum Indiarum respiciebant [3]; deerat tamen adhuc substantialis reordinatio rationum, quae inter utramque societatem et ecclesiasticam et civilem, intra ipsam R. Lusitanam intercedere debebant.

Cui verae et permagnae necessitati est nunc sufficienter per novum Concordatum provisum. Illud perlegenti ilico apparet inter Ecclesiam et Statum institui nunc concordiam aliis prorsus condicionibus ac antea, quae procul dubio mutatis temporibus aptius congruunt et dignitati libertatique Ecclesiae efficacius consulunt. His qualitatibus instructas volebat profecto Benedictus XV, ut ex citata Allocutione elucet, novas pactiones inter Ecclesiam et societates civiles deinceps ineundas [4]. Haud inutile fore iudico summatim perstringere quae in hoc Concordato continentur.

---

[2] Cfr. Mercati, *Raccolta di Concordati*, pp. 509, 844, 1029.
[3] Cfr. *AAS.* XX, 129; XXI, 337.
[4] Cfr. *AAS.* XIII, 521.

Personalitas iuridica.

R. Lusitana sollemni declaratione agnoscit iuridicam Ecclesiae personalitatem. Ipsum verbum in hac declaratione adhibitum clare iam innuit, non agi de re, quae ullo modo ab Statu procedat vel pendeat, sed de iure quod antecedenter ad quemlibet actum Status plene et integre in se subsistit; est enim ius quo ipsa voluntate Christi gaudet Ecclesia[5]. Implicita iuridicae personalitatis agnitio habetur iam, tum in eo quod ineatur pactum sollemne cum societate, quae plenam libertatem in agendo sibi vindicat, tum etiam in nominatione Legati, qui vices Status gerat coram suprema auctoritate ecclesiastica; non ideo tamen superflua dicenda est haec expressa agnitio, cum ea ad dignitatem Ecclesiae haud parum conferre possit.

Regimen ecclesiasticum.

Ecclesia, cum sit societas visibilis, quae suam actionem his in terris exercere debet, propria indiget organizatione externa ad vitam suam et fovendam et communicandam; hinc est quod associationibus et institutis, quae sponte intra eam enascuntur, concedat non raro personalitatem iuridicam. Haec omnia entia moralia, a competenti auctoritate ecclesiastica condita, agnoscit reverenter Status lusitanus, ita ut ea, post opportunum transmissum monitum, etiam coram auctoritate civili iuridica personalitate gaudeant. Rursus fundamentalis constitutio Ecclesiae, quae est hierarchica-monarchica, postulat omnino ut tam inter simplices fideles et magistratus ecclesiasticos inferiores quam inter supremum Caput Ecclesiae et reliquos omnes subditos libera communicatio exsistat. Quae-

[5] Can. 100, § 1.

vis hac in re sive coarctatio sive etiam indebita intromissio civilis potestatis ordinem sapienter a Deo institutum everteret, imo, nervum, ut ita dicam, centralem totius regiminis ecclesiastici perfringeret. Mirum ergo non est quod tanti momenti ius expresse et clare in hoc Concordato agnoscatur. Liberum exercitium potestatis ecclesiasticae in rebus propriae competentiae non solum permittitur, sed etiam munitur protectione Status, quin tamen ullae approbationi vel inspectioni praeviae subiciantur instructiones et praescripta, sive Sedis Apostolicae, sive magistratuum inferiorum. Iurium, quae hucusque perpendimus, expressa agnitio necessario fert secum implicitam acceptationem Ecclesiae, ut societatis vere supremae et absolute independentis in suo ordine, cuius erit plena libertate disponere de rebus, quae ad finem a Christo ei praestitutum necessario referuntur; huiusmodi vero societas non poterit non agnosci ut genere et iure perfecta. Demum ut exercitium religionis in praxi nullis subiaceat difficultatibus extrinsecis, muniuntur etiam protectione Status actus cultus, tam privati quam publici, et consequenter eodem iure gaudebunt omnia ministeria apostolica, quibus ecclesiastici vi muneris sui incumbere debeant.

Personae ecclesiasticae.

Ecce nunc rem aggredimur, cuius ordinatio in Concordatis postbellicis plane differt ab illa, quae in nonnullis Conventionibus saeculi transacti invenitur[6]; loquor de nominationibus Episcoporum. Ius praesentandi candidatos ad Sedes episcopales vacantes non amplius conceditur potestati civili; imo, in Concordato italico expressa renuntiatio iuris praesentandi, antea exerciti, habetur[7]. Generatim ius nominandi Episcopos reservatur iam exclu-

[6] Cfr. Conc. Napol. art. 5; Conc. Austr. art. 19; Conc. Aequat. art. 12, apud Mercati, o. c. pp. 563, 825 et 988.

[7] Cfr. artic. 25.

sive Sedi A., quae tamen permittit interdum aliquem interventum, sive Episcopis respectivae nationis [8], sive etiam Capitulis cathedralibus, quorum interest. Spiritus vero conciliationis, quo imbuitur Ecclesia, iam exinde fit manifestus quod promittat solos cives nationis de qua agitur ad dignitatem episcopalem promotum iri; imo, conceditur saepe ipsis guberniis civilibus facultas proponendi S. Sedi quaslibet obiectiones ordinis politici, quas forte contra personas eligendas habeant [9]. Tam communicatio nominum novorum candidatorum quam expositio obiectionum sub stricto secreto fieri debent. In Lusitania ante adventum Reipublicae praesentatio regia praecedebat confirmationem apostolicam; deinde vero, superveniente separatione inter utramque societatem, nominatio Episcoporum dependebat exclusive a S. Sede. Nunc in Concordato servatur substantialiter hoc ius Sedis Apostolicae, quae tamen annuit ut non nisi cives lusitani Episcopi, sive residentiales, sive Coadiutores cum iure successionis, sive Auxiliares nominentur; conceditur praeterea gubernio ius proponendi S. Sedi intra triginta dies, qui subsequantur communicationem nominis novi candidati, obiectiones quas fortasse in ordine politico contra eum habeat. His praescriptis et cautionibus, quibus benigne solet nunc annuere Ecclesia, aptum remedium adhibetur pro quolibet periculo arcendo, quod fortasse timeri possit ex actione personae ecclesiasticae non nationalis, vel factionibus politicis determinatis plus minusve addictae; nihil aliud potest rationabiliter postulari nomine tranquillitatis, sive Status, sive ipsius gubernii. Quodsi olim maiora privilegia possidebant quoad nominationem Episcoporum supremi rectores Civitatum, non est oblivioni tradendum ea unice ex benigna concessione S. Sedis vim iuridicam habuisse; iudicare autem utrum renovatio illorum privilegiorum

[8] Cfr. Conc. Bav. art. 14, § 1.

[9] Cfr. Conc. Austr. art. 4, § 2; Conc. Pol. art. 11; Conc. Ital. art. 19; Conc. Bav. art. 19; Conc. Bav. art. 14, § 1.

etiam hodiernae condicioni rerum conveniat necne, unius Sedis Apostolicae est. Concordata autem postbellica omnia nos docent, ut diximus antea, S. Sedem interventum directum et immediatum potestatis civilis in nominatione Episcoporum nunc penitus excludere. Atque consideranti attentius mutatam condicionem temporum facile patebit cur S. Sedes in re tanti momenti totum ius directum iam soli potestati ecclesiasticae reservet.

Articulus nonus huius Concordati praescribit insuper ut cives lusitani sint omnes parochi, rectores Seminariorum et in genere omnes qui praeficiantur associationibus personalitate iuridica praeditis, semper ac eorum iurisdictio sese extendat saltem ad unam provinciam civilem integram. Similia praescripta invenies etiam in aliis Concordatis recentioribus [10]; sed fatendum est Concordatum lusitanum plura hac in re exigere, quin allegari possit, sicut fit in aliis Concordatis, ratio subsidii oeconomici praestandi ab Statu. Huiusmodi condiciones non sunt valde onerosae, cum Ecclesia est iam sufficienter evoluta intra limites alicuius Status; possunt tamen aliquas molestias creare Institutis religiosis, quae non habeant multos socios, iure civitatis respectivae nationis praeditos.

Immunitates ecclesiasticae.

Personae ecclesiasticae, utpote servitio divino mancipatae, debent esse liberae a quibuslibet officiis civilibus suscipiendis, quae a statu clericali sint aliena. Hoc praescriptum canonis 121 plane admittitur in articulo XIII huius Concordati. Onus vero servitii militaris sapienter transformatur pro sacerdotibus et clericis in officium assistentiae religiosae, cui adiungetur tempore belli cooperatio in servitiis sanitariis praestanda, ea tamen condicione, ut in hoc casu providere teneatur gubernium ne exin-

[10] Cfr. Conc. Ital. art. 22; Conc. Austr. art. 11, § 2.

de gravius aliquod detrimentum cura ordinaria animarum patiatur. Hoc modo obtinetur ut clerici non nisi muneri sacro, aut in specialibus adiunctis belli operibus beneficentiae incumbant, et ex alia parte assistentia religiosa militum pro tempore pacis securior atque efficacior reddi poterit. Tempore belli hanc curam suscipient cappellani militares, qui constituent peculiare corpus sub iurisdictione Ordinarii Castrensis, nominati a S. Sede cum consensu gubernii. Etiam conceditur plena libertas ut, si desit in hospitalibus, carceribus aliisque institutis publicis ab Statu dependentibus servitium religiosum proprium, provideatur assistentiae religiosae eorum, qui in his locis commorantur, per parochum loci aut alium delegatum competentis auctoritatis ecclesiasticae. Ex alia parte iis, qui muneribus ab Statu dependentibus vacant, vel membra sint associationum officialium, dabitur opportunitas ut possint rite adimplere in diebus dominicis vel festis officia sua religiosa. Cui praescripto satis, ut patet, non fiet, si sola stricta possibilitas concedatur; ampla quaedam facilitas necessaria est, ea videlicet qua quis sine gravamine peculiari suis obligationibus religiosis satisfacere possit. Declaratur demum expresse quod iam necessario ex praecedentibus dispositionibus fluebat, incapacitas scilicet magistratuum civilium ad interrogandum ministros sacros circa ea, quae ii noverint in exercitio sui muneris et considerantur ut delicta, etiam in foro civili poenis proportionatis punienda, quilibet abusus in exercitio iurisdictionis ecclesiasticae vel in portando habitu clericali commissi. Nulla fit privilegii fori mentio ideoque praescriptum canonis 120 suam vim retinere dicendum est; christi-fideles igitur, qui aliquem privilegio fori gaudentem apud tribunal laicum convenire velint, impetrare debent praevie veniam vel Sedis Apostolicae vel Ordinarii loci, prout casus ferat.

Qui in memoriam revocet recentiora alia Concordata cum nonnullis Statibus catholicis inita, facile animadver-

tet nihil hic dici de quibusdam cautionibus, quae in processibus criminalibus contra clericos servandae in illis praescribuntur; item videbit immunitatem a servitio militari perfectiorem gradum attigisse, v. g. in Concordato italico, in quo et nullum servitium suppletorium pro tempore pacis statuitur distinctiusque nominantur qui ratione curae animarum nec tempore conscriptionis universalis sint vocandi, et immunitate donantur praeter clericos novitii et professi Institutorum religiosorum [11], Nihilominus, si res complexive sumatur, asseri adhuc potest praescriptis in hoc Concordato contentis sufficienter provideri necessitatibus Ecclesiae, tum quoad liberam dispositionem suorum ministrorum, tum etiam quoad securitatem in sacris ministeriis exercendis.

Bona ecclesiastica.

Notum est fuisse Ecclesiam in Lusitania post illam rerum eversionem, quam supra commemoravimus, plurimis bonis exspoliatam; qua de re quaestio de reparatione damnorum illatorum erat ante omnia componenda. Agnoscitur itaque expresse ius proprietatis Ecclesiae circa illa omnia bona, olim ecclesiastica, quorum dominium directum retineat adhuc Status. Excipiuntur ab hac regula generali bona, quae iam servitiis publicis addicta fuerint. Si igitur prae oculis habeatur reliquorum bonorum usum quoad magnam partem obtinuisse iam Ecclesiam ante hoc tempus, apparebit profecto agi hoc loco de mera transformatione iuris utendi in ius proprietatis. Quoad illa autem bona, quae iam monumenta nationalia vel utilitatis publicae declarata sint, vel intra spatium quinque annorum subsequentium declarentur, statuitur ut usus sit penes Ecclesiam, ius vero proprietatis retineatur etiam in posterum ab Statu, cuius erit consequenter curare quidquid spectet

[11] Cfr. Conc. Ital. art. 3.

ad conservationem et reparationem eorundem. Praevidetur etiam cessio temporaria obiectorum sacrorum, quae nunc in museis publicis exstant, pro peculiaribus caerimoniis cultus religiosi; condiciones vero appositae rem in praxi satis restringere possunt. Demum quoad illa bona ecclesiastica, quae iam non sint penes Statum, exemptio conceditur a quibuslibet taxis, si ius proprietatis transferatur in Ecclesiam intra spatium sex subsequentium mensium. Hoc simplici modo solvitur problema haud facile reparationis damnorum. Ecclesia, quam maxime sollicita de non augendis difficultatibus Statui in praesenti rerum condicione, renuntiat liberali animo iuri recuperandi plurima bona inique ei ab aliquibus guberniis praecedentibus praerepta.

Quod ad futurum tempus spectat, agnoscitur in primis ius, quod Ecclesia ceteraeque personae morales subordinatae habent acquirendi et administrandi bona; declaratur deinde inviolabilitas templorum vel obiectorum, quae cultui religioso addicta fuerint. Ex quo sequitur haec bona non posse nec destrui nec ad usus profanos destinari sine praevio consensu auctoritatis ecclesiasticae. Pro his omnibus bonis, pro Seminariis aliisque institutis, educationi clericorum destinatis, et pro quolibet exercitio potestatis ecclesiasticae habebitur exemptio a taxis ordinariis. Enumeratio bonorum hoc privilegio gaudentium videtur esse taxativa ideoque reliqua bona ecclesiastica regimini communi subicientur. Administratio bonorum ecclesiasticorum subducitur in genere, ut par est, vigilantiae auctoritatis civilis; excipiuntur solum bona operibus beneficentiae applicatis; in iis enim administrandis ratio haberi debebit regiminis communis. Haec tamen exceptio multum in praxi temperatur, nam executio ordinationum civilium Ordinario competenti committitur.

Sic igitur potest quidquid ad bona ecclesiastica spectat breviter colligi: nulla exigitur reparatio pro damnis antea illatis, si bona ablata in concreto non exstent adhuc in dominio Status; nullum petitur subsidium, sive titulo par-

tialis reparationis, sive ratione servitii spiritualis maiori civium parti praestandi; non urgetur immunitas a tributis communibus solvendis nisi pro bonis, quae vel cultui religioso vel educationi clericorum directe inserviunt. Vere Ecclesia lusitana, quae paupertate laborat, quaesivit primum, ut aiebat Emm. Cardinalis Patriarcha, regnum Dei et iustitiam eius, sc. ut agnoscerentur ab Statu iura fundamentalia, firma spe freta fore ut reliqua omnia, i. e. bona temporalia necessaria, ab ipso providentissimo Deo adiciantur.

Institutio iuventutis.

Constitutio Reipublicae lusitanae, a. 1933 condita, agnoscit ibi plerosque cives catholicam religionem profiteri. Consonat prorsus huic condicioni civium ut decernatur totam institutionem iuventutis debere in scholis publicis religionis christianae principiis informari. Statuitur insuper in concreto ut in scholis, sive elementariis, sive mediis ab Statu dependentibus, instructio religiosa data opera impertiatur; in qua re tam quoad designationem magistrorum quam quoad selectionem librorum consensus auctoritatis ecclesiasticae necessarius erit. Nihil dicitur de scholis superioribus; in iis vero vim suam potissimum exserere poterit norma illa generalis antea indicata, cuius fidelis applicatio impediet saltem quominus in scholis publicis doceatur quod doctrinae christianae aperte adversetur. Eximuntur ab obligatione dandi operam instructioni religiosae ii quorum parentes vel tutores expresse id significaverint. Per hanc exceptionem ratio paternae auctoritatis habetur, quae utique omnino iniuste id exigeret pro pueris sacro baptismate ablutis. Nam semel ac parentes suos filios per administrationem sacramenti baptismatis sponte Ecclesiae adscripserint, gravem obligationem contrahunt, etiam coram ipsa Ecclesia, curandi christianam educationem eorum. Hinc recte praecipitur ut in or-

phanotrophiis aliisque institutis, pueris vel iuvenibus sub tutela Status et alendis et educandis destinatis, doctrina et praxis religionis christianae exponatur; his enim in adiunctis vices paternae auctoritatis Status assumit, qui debet officia erga pueros baptizatos rite adimplere.

Agnoscitur etiam plena libertas, qua gaudet Ecclesia, ad erigenda tum Seminaria, aliaque instituta pro perfectiore instructione religiosa fidelibus impertienda, tum etiam scholas ad scientias profanas laicis explicandas. Postremi generis instituta in iis quae non spectant ad institutionem religiosam inspectioni Status subiecta manebunt, qui vicissim poterit eis non modo auxilium oeconomicum praestare, sed etiam aequiparationem iuridicam cum scholis officialibus impertire. « Ecclesia, mater ut est prudentissima, dicitur in Encyclicis Litteris « Divini illius Magistri » minime obsistit quominus scholae et instituta laicis educandis sua, in unaquaque natione se ad legitima gubernatorum praescripta conforment et praeterea parata semper est cum ipsis gubernatoribus concordiam inire, et si quae forte difficultates oriantur, eas communi consilio dirimere ». Hoc spiritu conciliationis plene imbuti apparent articuli, qui in hoc Concordato quaestionem scholarem ordinant, atque Ecclesia eo usque in hac via procedit ut promittat expresse communicare Statui elenchum librorum, qui in ipsis Seminariis pro disciplinis ad philosophiam vel theologiam non spectantibus adhibeantur. Curabit praeterea Ecclesia ut in historia exponenda ratio habeatur spiritus nationalis. Per hanc explicitam promissionem fit sollicitudini satis, quae in hoc ordine gubernatores nostrae aetatis non raro afficit.

Sacramentum matrimonii.

Periucundum sane est legere articulos huius Concordati, in quibus matrimonio, valide coram Ecclesia contracto, omnes effectus civiles adscribuntur, semel ac verifi-

cetur condicio inscriptionis faciendae in regesto civili intra spatium septem dierum. Parochus vel magistratus civilis, qui officium suum hac in re neglexerit, puniri poterit; ex hac dispositione videtur expresse subici parochus quoad hoc delictum poenali iurisdictioni civili. Periculum vero, quod indissolubilitati matrimonialis vinculi imminere poterat ex divortio civili admisso in Lusitania, efficaciter removetur; ipsa enim celebratio matrimonii validi coram Ecclesia fert secum necessario impossibilitatem obtinendi applicationem legis civilis de divortio perfecto. Nec vero hoc praescripto civibus christianis ulla iniuria infertur, cum ii ipso facto celebrationis matrimonii christiani vinculum coniugale indissolubile admiserint. Demum omnino logice statuitur ut causae, quae spectant ad nullitatem sacramenti matrimonii, tractentur unice et definiantur apud tribunalia ecclesiastica; quod enim sub iurisdictione auctoritatis ecclesiasticae est peractum, debet etiam in casibus controversiae ab ea perpendi et definiri. De dispensatione super rato et non consummato solam posse auctoritatem ecclesiasticam cognoscere luce clarius omnibus patet. Sententiae ab auctoritate ecclesiastica in his duabus rebus definitive prolatae transmittentur per Supremum Tribunal Signaturae Apostolicae ad Supremum Tribunal Status pro effectibus civilibus agnoscendis [12].

Liquet consultum esse per haec praescripta dignitati sacramenti quoad substantialia; non enim cogentur amplius catholici ad duos distinctos actus coram duplici auctoritate ponendos ut effectus matrimonii in utroque foro agnoscantur, nec indissolubilitas erit iam inconstantiae vel malitiae coniugum obnoxia. Sed ex alia parte negari non potest neque in hoc Concordato — et id potest asseri etiam de plerisque Concordatis recentioribus — fuisse integram disciplinam matrimonialem receptam; secundum eam enim cuiuslibet catholici contractus matrimonialis,

[12] Cfr. *AAS.*, XXXII, 381 et s.

qui simul non sit matrimonium canonicum, invalidus omnino habetur; praeterea etiam causae de separatione personali catholicorum apud auctoritatem ecclesiasticam debent agitari. De his causis nihil dicitur in hoc Concordato, prout fit v. g. in art. 34 Concordati Italici. Ex hoc silentio erui posse videtur etiam has causas debere a coniugibus catholicis ad tribunal ecclesiasticum deferri; malitia vero alterutrius partis haud difficile necessarium facere poterit recursum ad tribunal civile.

Conclusio.

Absolvitur hoc Concordatum tribus egregiis articulis in quibus spiritus actionis missionalis, qua olim floruit natio lusitana, mirifice denuo splendet; in his enim articulis continentur normae generales ad totam rem missionalem in coloniis lusitanis ordinandam. Sed harum normarum expositio melius fortasse coniungetur cum commentario, alia vice faciendo, circa pactum missionale separatim initum. Liceat nobis nunc huic brevi expositioni verbis Em.mi Cardinalis Patriarchae finem imponere; si consideretur, ait ipse, pars principalis quam Ecclesia habuit tam in efformanda quam in evolvenda nostra vita nationali, si perpendantur privilegia quibus ea donatur in Statibus nostro populo affinibus, fortasse haud paucis videri possit Concordatum plene iura essentialia agnoscere, parce vero admodum privilegia concedere. Nec paucioribus verbis nec rectius poterat describi character, quem prae se fert novum Concordatum lusitanum. Quodsi eiusdem praescripta possint ad praxim reduci eodem utriusque partis spiritu benevolo et concilianti, quo illius et praeparatio et promulgatio informatae fuerunt, fieri non poterit quin exinde permagni sequantur fructus non modo pro Ecclesia, sed etiam pro Statu. Nec enim oblivioni tradendum est quod sapienter docet Leo XIII in Encyclicis Litteris « Immortale Dei » scilicet, Ecclesiam in ipso etiam

rerum mortalium genere tot ac tantas ultro parere utilitates ut plures maioresve non posset, si in primis et maxime esset ad tuendam huius vitae, quae in terris agitur, prosperitatem institutam.

PHILIPPUS AGUIRRE S. I.

De inquisitione circa pietatem ordinandorum et de animi libertate in usu Communionis frequentis.

Post evulgatam *Instructionem reservatam* diei 8 decembris 1938 a S. C. de D. Sacramentorum, « de communione quotidiana habituali et pene generali in Seminariis, collegiis, communitatibus etiam religiosis et de abusibus in eadem praecavendis »[1] dubium prudens movetur ab aliquibus moderatoribus Seminariorum circa concordantiam inter praescripta Instr. praedictae et ea quae Instr. eiusdem S. C. « Quam ingens » diei 27 dec. 1930[2] decernit.

1. In hac enim Instructione S. C. normas tradit respicientes methodum scrutationum ad hoc ut mores ordinandorum cognosci et explorati esse possint, antequam ad ordines admittantur. Iam, inter quaestiones quibus parochi, et etiam moderatores Seminarii, respondere debent adest sequens: « Num ad sacram Confessionem et ad sacram Synaxim crebro ac devote accedat ». Mod. II, 2. (Enchir. Cler. n. 1300) Quam quaestionem sic aptat pro rectore Seminarii Em. Card. Dominicus Iorio in praeclaro opere, dum esset Secretarius S. C. de D. Sacram. scripto, *Sacerdos alter Christus*[3]: « 4. An assiduus sit... ad frequentem aut etiam quotidianam communionem ».

---

[1] Vide illam in Periodica, Vol. XXVIII (1939) pg. 317-324.
[2] *A.A.S.* vol. XXIII (1931) pg. 120. Perd. vol. XX (1931) pg. 245.
[3] *Dominicus Iorio*, Sacerdos Alter Christus, De Instructione pro scrutinio ad Ordines peragendo commentarius, — Romae, 1933, pg. 117.

Iam vero in nova Instruc. reservata, sic statuitur: « *a*) Superior apertissimis verbis dicat subditis, se laetari quidem in genere de frequenti eorunden accessu ad sacram Mensam, sed in singulis non accedentibus se nihil reprobatione dignum animadvertere, imo in iisdem colligere signum libertatis ac timoratae delicataeque conscientiae. Idem vero dicta factis non neget, neque ullum prodat iudicium quo videatur ipse adnotare eos qui frequenter ad Communionem accedant eosdemque extollere, reprobare vero coeteros.

In Seminariis vero aliisque id genus institutis, ubi statis temporibus iudicium profertur a superioribus de unoquoque alumno quoad *pietatem, studium* et *disciplinam* attinet, iidem superiores, in promenda sententia de iuvenis in pietate profectu, de maiori vel minori assiduitate ipsius in Ss. Eucharistia sumenda rationem ne habeant » [4].

Unde prudenter quaeritur: Utrum, post Instr. reservatam, sustineatur adhuc quaesitum circa Communionis frequentiam in « Quam ingens » contentum?

Nostram opinionem modeste proponere conabimur, eam, non solum iudicio S. Congregationis, ut par est, subiciendo, sed etiam lectorum nostrorum benevolentiae commendando.

2. Et primo quidem, ad vim quod attinet, utraque Instructio ab eadem S. C. prodivit, et eodem modo a Romano Pontifice est approbata, ac unica differentia, quod in posteriore mandat ut « omnibus locorum Ordinariis necnon Superioribus Maioribus Ordinum ac religionum clericalium RESERVATE notificetur », dum prima, forma ordinaria, per editionem in A.A.S. erat publicanda.

Tamen minime putandum est ex hac diferentia, minoris valoris esse Instr. reser. aut sub secreto eam esse tegendam. Ut scite notat Ex.mus Secretarius S. C. D. Fran-

[4] Perd. l. c. pg. 322.

ciscus Bracci [5], « il Santo Padre Pio XI d'immortale memoria, ha solo voluto che della medesima fosse fatto dai Vescovi e Superiori un uso prudente, riservato e discreto ».

3. Secundo, notandum est, utramque Instr. ex natura rei ad ea quae in Codice I. C. continentur illustranda, datam esse; ex quo sequitur sic esse interpretandas ut Codicis praescripta vere urgeant et explicent.

In Codice autem, proposito fundamentali principio, in can. 973 § 3, ex quo Episcopo ordinanti constare debet « ex positivis argumentis » canonica idoneitas candidati, magis determinantur criteria ad idoneitatem iudicandam. Ad haec pertinent: « Mores ordini recipiendo congruentes » (can. 974 § 1, 2°).

Ut iis moribus indui possit, commorari debet in Seminario in quo animam aptis mediis excolere valeant ad virtutes sacerdotales acquirendas. Ad quod, teste Em.mo Card. Iorio, « quam maxime interest erga Ss.mam Eucharistiam devotio: ipsa enim est *frumentum electorum et vinum germinans virgines* (Zach. IX, 17). Hinc quotidiana visitatio et communio media necessaria habentur pro his qui, utpote a Deo vocati, ad sacerdotalem perfectionem assequendam sunt destinati » [6].

4. Ex quo sequitur, haud illicite illos moderatores Seminarii agere qui, prudenter et sobrie, ita alumnos sibi creditos observare curant ut perspectam habere possint illorum pietatem erga Ss.mum Sacramentum. Non aliter bonus pater invigilat circa filiorum mores et rationem agendi.

Pietas eucharistica, praeterea, et ad essentiam pietatis sacerdotalis pertinet et medium efficacissimum ad sanctum et pium sacerdotem efficiendum constituit [7] et, con-

---

[5] La comunione nei Seminari, Collegi e Comunità secondo una recente Istruzione della S. C. de Sacramenti. *Monitore Ecclesiastico*, 1939 pg. 245-252.

[6] O. c. pg. 56.

sequenter, ut signum positivum vocationis sacerdotalis merito habetur.

5. Ideo, iure meritoque, S. C. de D. Sacramentorum in Instr. « Quam ingens » investigationem instituere decernit circa frequentiam qua candidatus ad ordines ad Communionem accedit. Et quidem hanc quaestionem proponit, directe in Mod. II, pro inquisitione a parocho instituenda, praesertim relate ad tempus feriarum, in quo magis sui iuris sunt, et, consequenter, frequentia communionis optimum argumentum pietatis praestat , sicut diuturna negligentia timorem ingerit deficientis pietatis et vocationis.

Quod si eadem investigatio suadetur pro ipsa in Seminario commoratione, valde notandum est in utroque casu de habituali frequentia agi, quae, non ab alio quam a Patre Spirituali moderanda erit, quaeque optime componitur cum abstinentia uno alterove die, vel etiam, per aliquod temporis spatium.

6. Unde non nisi ex errata interpretatione litterae et mentis S. C.nis procederet qui, inde ansam sumeret nominatim et quotidie annotandi, vel quod peius est interrogandi singulos cur ea die ad sacram Mensam non accesserint.

Perperam quoque quis, praescripta S. C.nis quae *candidatos ad ordines* respiciunt, extenderet ad quoslibet collegiorum vel Seminarii alumnos. Frequens ad sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae accessus aliam et aliam habet vim et significationem pro aetate, conditione et studiis accedentis. « Oblivisci non debemus, ait Em.mus Card. D. Iorio [8] scrutinium ad ordines incipiendum esse initio primi anni cursus sacrae Theologiae, id est quando alumnus viginti circiter annorum aetatem agit, in qua videli-

---

[7] Pius XI, « La Eucaristia sarà il mezzo più efficace nella formazione del santo e pio prete, del prete dell'Eucaristia » Ench. Cler. n. 1441.

[8] O. c. p. 119.

cet non facile culpa et defectus levitati tribui possunt ».

Hos ergo, et hos tantum respicit S. C. in « Quam ingens » et de eorum pietate erga Sanctissimum Sacramentum rationem habere decernit ad sententiam proferendam circa ipsorum ad ordines idoneitatem.

7. Ideo dubium exortum post editionem Instr. reservatae. Merito dubitatur utrum in posterum, etiam relate ad candidatos ad ordines omittenda sit omnis investigatio circa frequentationem Sacrae Communionis.

Si verba Instr. reservatae supra relata attente considerentur, apparet: 1° Respicere *Superiores* omnes *communitatum* in genere. 2° Agere « de singulis non accedentibus » in quo nihil dignum reprobatione animadvertitur, imo in iismet « colligere signum libertatis ac timoratae delicataeque conscientiae ». 3° Praecipere ne annotentur ad illos extollendos qui frequenter, vituperandos qui rarius. 4° Demum praecipere ut ratio non habeatur frequentis communionis in iudicio ferendo circa *pietatem*, *studium* et *disciplinam*, quod de omnibus periodice (aliquando singulis hebdomadibus, aliquando singulis mensibus) proferri solet.

Si praeterea ad finem Instr. attendatur, clare apparet agi de removendo periculo abusus communionis frequentis ad fines mere humanos, id est sine recta intentione, vel quod peius est communionis sacrilegae.

Iam vero, ut nobis videtur, haec, quae universalia sunt, omnes respiciunt qui in communitate vivunt; ergo et candidatos ad ordines pro tempore quo in Seminario commorantur.

Non ergo comprehenduntur ipsi candidati, pro tempore quo feriarum causa domi, vel alibi extra communitatem degunt. Unde pro parochis, nisi aliter decernere dignetur S. C., quaesitum citatum in Mod. II n. 2, etiam post Instr. reserv., sustineri debet.

Etiam, pro tempore commorationis in Seminario, relate ad candidatos ad ordines, manente prohibitione agen-

di illo modo inquisitorio et minuto qui reprehenditur in Instr. reserv., nihil per se derogatur Instructioni « Quam ingens ». Subiectum, enim, obiectum et finis, ut legenti patet, per se differunt in utraque Instructione.

8. Aliqua, utique, in praxi derogatio habebitur, quatenus ex observantia accurata Instr. reservatae, evenire potest ut Superioribus nullo modo constet de frequentia qua singuli ad Sacram Communionem accedunt. Tunc, ut per se patet, ab hac consideratione erit praescindendum.

9. Quae cum ita sint, ad dubium propositum responderi posse videtur: Non datur oppositio, per se, inter has duas Instructiones, sed bene inter se concordari possunt, ita ut utriusque, secundum proprium spiritum, observantia impleri possit.

Ulpianus Lopez S. I.

MONUMENTA

34 - SS. D. N. Pius Pp. XII

Inter Sanctam Sedem et Rempublicam Lusitanam sollemnes conventiones

(*AAS* XXXII [1 iun. 1940] p. 217 ss.)

CONCORDATO TRA LA SANTA SEDE E LA REPUBLICA PORTOGHESE [1]

In nome della Santissima Trinità.

Sua Santità il Sommo Pontefice Pio XII, e Sua Eccellenza il Presidente della Repubblica Portoghese, disposti a regolare di mutuo accordo e in modo stabile la situazione giuridica della Chiesa Cattolica in Portogallo, per la pace ed il maggior bene della Chiesa e dello Stato,

hanno stabilito di conchiudere fra loro una solenne Convenzione che riconosca e garantisca la libertà della Chiesa e tuteli i legittimi interessi della Nazione Portoghese, anche per quanto riguarda le Missioni Cattoliche ed il Patronato in Oriente.

A questo effetto, Sua Santità ha nominato Suo Plenipotenziario Sua Eminenza Reverendissima il Signor Cardinale LUIGI MAGLIONE, Suo Segretario di Stato.

ed il Signor Presidente della Repubblica Portoghese ha nominato Suoi Plenipotenziarî: Sua Eccellenza il Sig. Generale EDUARDO AUGUSTO MARQUES, antico Ministro del-

---

[1] Textus officialis datur in lingua tum italica, tum lusitana; hic vero solum exhibetur textus italicus.

le Colonie, Presidente della Camera Corporativa, Gran Croce degli Ordini militari del Cristo, di S. Benedetto d'Aviz e dell'Ordine dell'Impero Coloniale;

Sua Eccellenza il Sig. Dottor MARIO DE FIGUEIREDO, antico Ministro della Giustizia e dei Culti, Professore e Direttore della Facoltà di Diritto della Università di Coimbra, Deputato e Gran Croce dell'Ordine militare di S. Giacomo della Spada;

Sua Eccellenza il Sig. Dottor VASCO FRANCISCO CAETANO DE QUEVEDO, Inviato Straordinario e Ministro Plenipotenziario presso la Santa Sede, Gran Croce dell'Ordine militare del Cristo e Cavaliere di Gran Croce dell'Ordine di S. Gregorio Magno;

i quali, scambiati i loro rispettivi pieni poteri e trovatili in buona e dovuta forma, hanno convenuto negli articoli seguenti:

Art. I - La Repubblica Portoghese riconosce la personalità giuridica della Chiesa Cattolica.

Le relazioni amichevoli con la Santa Sede saranno assicurate nella forma tradizionale, con cui storicamente si esprimevano, mediante un Nunzio Apostolico presso la Repubblica Portoghese e un Ambasciatore della Repubblica presso la Santa Sede.

Art. II - E' garantito alla Chiesa Cattolica il libero esercizio della sua autorità: nella sfera della sua competenza, essa ha facoltà di esercitare gli atti del suo potere di ordine e di giurisdizione, senza alcun impedimento.

Pertanto la Santa Sede può liberamente pubblicare qualsiasi disposizione relativa al governo della Chiesa e, in tutto quanto si riferisce al suo ministero pastorale, comunicare e corrispondere con i Prelati, il clero e tutti i cattolici del Portogallo, come questi lo possono con la Santa Sede, senza necessità di previa approvazione dello Stato perchè le bolle e qualsiasi istruzione o disposizione della Santa Sede possano essere pubblicate e circolare nel Paese.

Di analoga facoltà godono gli Ordinari e le altre Autorità ecclesiastiche relativamente al loro clero e ai loro fedeli.

Art. III - La Chiesa Cattolica in Portogallo può organizzarsi liberamente in armonia con le norme del Diritto Canonico, e costituire in tal modo associazioni o organizzazioni, alle quali lo Stato riconosce la personalità giuridica.

Il riconoscimento statale della personalità giuridica delle associazioni, corporazioni, o istituti religiosi, canonicamente eretti, risulta dalla semplice partecipazione scritta all'Autorità competente fatta dal Vescovo della diocesi, dove detti enti abbiano la loro sede, o dal suo legittimo rappresentante.

In caso di modifica o di estinzione degli stessi enti, si procederà nello stesso modo, e con gli stessi effetti.

Art. IV - Le associazioni o organizzazioni, alle quali si riferisce l'articolo precedente, possono acquistare beni e disporre di essi nella stessa maniera in cui lo possono fare, secondo la legislazione vigente, le altre persone morali perpetue, e si amministrano liberamente sotto la vigilanza ed il controllo della competente Autorità ecclesiastica. Se, però, oltre ai fini religiosi, si propongano anche fini di assistenza e di beneficenza in adempimento di doveri statutari o di oneri gravanti su eredità, legati o donazioni, rimangono, nella parte rispettiva, soggette al regime stabilito dal diritto portoghese per tali associazioni o corporazioni, che si effettuerà per il tramite dell'Ordinario competente, e che non potrà mai essere più gravoso del regime stabilito per le persone giuridiche della stessa natura.

Art. V - La Chiesa può liberamente ricevere ed esigere dai fedeli collette e qualsiasi somma destinata all'attuazione dei suoi fini, segnatamente nell'interno e alla porta dei templi, nonchè degli edifici e luoghi ad essa appartenenti.

Art. VI - E' riconosciuta alla Chiesa Cattolica in Portogallo la proprietà dei beni che anteriormente le appartenevano e sono ancora in possesso dello Stato, come chiese, palazzi vescovili, case parrocchiali e loro adiacenze, seminari e loro annessi, case di istituti religiosi, paramenti, arredi sacri ed altri oggetti adibiti al culto e alla religione cattolica, salvo quanto sia attualmente adibito a servizi pubblici o sia classificato come « monumento nazionale » o come « immobile di interesse pubblico ».

I beni, di cui al capoverso precedente, che attualmente non sono in possesso dello Stato, possono essere trasferiti alla Chiesa dai loro possessori senza alcun gravame di carattere fiscale, se l'atto di passaggio avrà luogo entro sei mesi a partire dallo scambio delle ratifiche del presente Concordato.

Gli immobili classificati come « monumenti nazionali » e come « di interesse pubblico », o che vengano ad esserlo entro cinque anni a contare dallo scambio delle ratifiche, rimarranno in proprietà allo Stato con destinazione permanente al servizio della Chiesa. Allo Stato spettano la conservazione, le riparazioni ed i restauri dei detti immobili in conformità di quanto sarà stabilito d'accordo con l'Autorità ecclesiastica, per evitare disturbi nel servizio religioso; alla Chiesa spettano la loro custodia e il loro regime interno, segnatamente in ciò che riguarda l'orario delle visite, a regolare le quali potrà intervenire un funzionario nominato dallo Stato.

Gli oggetti destinati al culto che facciano parte di qualche museo dello Stato o delle autarchie locali o istituzionali saranno sempre ceduti per le cerimonie religiose, che abbiano luogo nella chiesa cui gli oggetti stessi appartenevano, se la chiesa si trova nella stessa località in cui detti oggetti sono custoditi. Tale cessione si farà a richiesta della competente Autorità ecclesiastica, la quale avrà cura della custodia degli oggetti ceduti, sotto la responsabilità di fedele depositario.

Art. VII - Nessuna chiesa, edificio, dipendenza od oggetto del culto cattolico può essere demolito o destinato dallo Stato ad altro fine, se non previo accordo con l'Autorità ecclesiastica competente, o per motivo di urgente necessità pubblica, come guerra, incendio o inondazione.

Nel caso di espropriazione per utilità pubblica, sarà sempre sentita la rispettiva Autorità ecclesiastica, anche per quanto riguarda l'ammontare dell'indennità. In ogni caso, non sarà esercitato alcun atto di appropriazione senza che i beni espropriati siano privati del loro carattere sacro.

Art. VIII - Sono esenti da qualunque imposta o altra contribuzione, generale o locale, le chiese e gli oggetti in esse contenuti, i seminari o qualsiasi altro Istituto destinato alla formazione del clero, nonchè gli editti ed avvisi affissi alle porte delle chiese, relativi al sacro ministero. Inoltre agli ecclesiastici non sarà applicata alcuna imposta o altra contribuzione per l'esercizio del loro ufficio spirituale.

I beni ed enti ecclesiastici, non compresi nel capoverso precedente, non potranno essere gravati da imposte o contribuzioni speciali.

Art. IX - Gli Arcivescovi o Vescovi residenziali, i loro Coadiutori *cum iure successionis* ed i loro Ausiliari, i parroci, i rettori dei seminari, ed in genere i direttori e superiori di istituti o associazioni dotati di personalità giuridica con giurisdizione in una o più provincie del Paese, dovranno essere cittadini portoghesi.

Art. X - La Santa Sede, prima di procedere alla nomina di un Arcivescovo o Vescovo residenziale, o di un Coadiutore *cum iure successionis*, salvo quanto è disposto nei riguardi del Patronato e del Semi-Patronato, comunicherà il nome della persona scelta al Governo Portoghese, per sapere se contro di essa vi siano obbiezioni di carattere politico generale. Il silenzio del Governo, dopo trenta giorni dalla suddetta comunicazione, sarà interpreta-

to nel senso che non vi siano obbiezioni. Tutte le pratiche contemplate in questo articolo resteranno segrete.

Art. XI - Nell'esercizio del loro ministero, gli ecclesiastici godono della protezione dello Stato, nello stesso modo che le autorità pubbliche.

Art. XII - Gli ecclesiastici non possono essere interrogati dai magistrati o da altre autorità intorno a fatti e cose di cui abbiano avuto notizia per motivo del sacro ministero.

Art. XIII - Gli ecclesiastici sono esenti dall'obbligo di assumere le cariche di giurati, membri di tribunali o commissioni di imposte, ed altre della stessa natura, considerate dal Diritto Canonico come incompatibili con lo stato ecclesiastico.

Art. XIV - Il servizio militare sarà fatto dai sacerdoti e chierici sotto forma di assistenza religiosa alle forze armate e, in tempo di guerra, anche nelle formazioni sanitarie. Tuttavia il Governo provvederà a che anche in caso di guerra il detto servizio militare abbia luogo con il minor detrimento possibile per la cura di anime delle popolazioni nella Metropoli e nelle Colonie.

Art. XV - L'uso dell'abito ecclesiastico o religioso da parte di secolari, o di persone ecclesiastiche o religiose a cui esso sia stato interdetto con provvedimento delle competenti autorità ecclesiastiche, ufficialmente comunicato alle autorità statali, è punito con le stesse pene che l'uso abusivo dell'uniforme propria di un impiego pubblico. Parimenti è punito l'esercizio abusivo di giurisdizione e di funzioni ecclesiastiche.

Art. XVI - E' assicurato alla Chiesa Cattolica il libero esercizio di tutti gli atti del culto, privato e pubblico, senza pregiudizio delle esigenze di polizia e di transito.

Art. XVII - Per garantire l'assistenza spirituale negli ospedali, ricoveri, collegi, asili, prigioni ed altri simili stabilimenti dello Stato, delle autarchie locali e istituzionali, e delle Misericordie, che non abbiano cappella e

servizio proprio per tale scopo, è libero l'accesso al parroco del luogo e al sacerdote incaricato di tali servizi dalla competente Autorità ecclesiastica, senza pregiudizio dell'osservanza dei rispettivi regolamenti, salvo il caso di urgenza.

Art. XVIII - La Repubblica Portoghese garantisce l'assistenza religiosa, in tempo di guerra, alle forze di terra, mare ed aria e a tale effetto organizzerà un corpo di cappellani militari, che saranno considerati ufficiali graduati.

Il Vescovo che disimpegnerà le funzioni di Ordinario Castrense sarà nominato dalla Santa Sede d'accordo con il Governo.

Per le spedizioni coloniali potrà essere nominato Ordinario Castrense un Vescovo che abbia sede nella rispettiva Colonia.

L'Ordinario Castrense può nominare, d'accordo con il Governo, un Vicario Generale.

I cappellani militari saranno nominati, tra i sacerdoti riconosciuti idonei ai servizi ausiliari, dall'Ordinario Castrense d'accordo con il Governo.

I cappellani militari hanno giurisdizione parrocchiale su le loro truppe, e queste godono, quanto ai loro doveri religiosi, dei privilegi e delle esenzioni concesse dal Diritto Canonico.

Art. XIX - Lo Stato provvederà a che sia reso possibile a tutti i cattolici, che sono al suo servizio o che sono membri delle sue organizzazioni, l'adempimento regolare dei doveri religiosi nelle domeniche e nei giorni festivi.

Art. XX - Le associazioni e organizzazioni della Chiesa possono liberamente erigere e mantenere scuole private parallele a quelle dello Stato, che resteranno soggette, nei termini del diritto comune, al controllo statale, e potranno, negli stessi termini, essere sussidiate e pareggiate.

L'insegnamento religioso nelle scuole e nei corsi privati non dipende da autorizzazione dello Stato, e potrà

essere liberamente impartito dall'Autorità ecclesiastica o dai suoi incaricati.

E' libera la fondazione dei seminari o di qualsiasi altro istituto di formazione o di alta cultura ecclesiastica. Il loro regime interno non è soggetto al controllo dello Stato. A questo dovranno nondimeno essere comunicati i libri adottati per le materie non filosofiche o teologiche. Le autorità ecclesiastiche competenti cureranno che nell'insegnamento delle discipline speciali, come in quello della storia, si tenga conto del legittimo sentimento patriottico portoghese.

Art. XXI - L'insegnamento impartito dallo Stato nelle scuole pubbliche sarà orientato dai principi della dottrina e morale cristiana, tradizionali nel Paese. In conseguenza sarà impartito l'insegnamento della religione e morale cattolica nelle scuole pubbliche elementari, complementari e medie agli alunni i cui genitori, o chi ne fa le veci, non abbiano fatto domanda di esonero.

Negli asili, orfanotrofi, stabilimenti e istituti ufficiali di educazione di minorenni e di correzione o riforma, dipendenti dallo Stato, sarà impartito per conto dello Stato medesimo l'insegnamento della religione cattolica ed assicurata la pratica dei suoi precetti.

Per l'insegnamento della religione cattolica il testo dovrà essere approvato dall'Autorità ecclesiastica e gli insegnanti saranno nominati dallo Stato d'accordo con essa; in nessun caso il suddetto insegnamento potrà essere impartito da persone che l'Autorità ecclesiastica non abbia approvate come idonee.

Art. XXII - Lo Stato portoghese riconosce gli effetti civili ai matrimoni celebrati in conformità con le leggi canoniche, a condizione che l'atto di matrimonio sia trascritto nei competenti uffici dello stato civile.

Le pubblicazioni del matrimonio saranno fatte non soltanto nelle rispettive chiese parrocchiali, ma anche nei competenti uffici del registro civile.

I matrimoni *in articulo mortis*, in imminenza di parto, o la cui immediata celebrazione sia espressamente autorizzata dall'Ordinario proprio per un grave motivo di ordine morale, potranno essere contratti indipendentemente dal processo preliminare delle pubblicazioni.

Il parroco trasmetterà entro tre giorni copia integrale dell'atto di matrimonio al competente ufficio del registro civile affinchè vi venga trascritto; la trascrizione deve essere eseguita entro due giorni e comunicata dal funzionario rispettivo al parroco entro il giorno immediatamente seguente a quello in cui fu effettuata, con l'indicazione della data.

Il parroco che, senza gravi motivi, tralasciasse di inviare la copia dell'atto entro il tempo dovuto incorre nelle pene di disubbidienza qualificata, e il funzionario del registro civile che non facesse la trascrizione nel tempo dovuto incorrerà nelle pene comminate dalla legge organica del servizio.

Art. XXIII - Il matrimonio produce tutti gli effetti civili dalla data della celebrazione, se la trascrizione sarà fatta nello spazio di sette giorni. Se non lo sarà, produrrà effetti relativamente ai terzi solo a cominciare dalla data della trascrizione.

Non osta alla trascrizione la morte di uno o di ambedue i coniugi.

Art. XXIV - In armonia con le proprietà essenziali del matrimonio cattolico, si intende che per il fatto stesso della celebrazione del matrimonio canonico, i coniugi rinunzieranno alla facoltà civile di chiedere il divorzio, che perciò non potrà essere applicato dai tribunali civili ai matrimoni cattolici.

Art. XXV - La cognizione delle cause riguardanti la nullità del matrimonio cattolico e la dispensa del matrimonio rato e non consumato è riservata ai tribunali e dicasteri ecclesiastici competenti.

Le decisioni e le sentenze di questi dicasteri e tribunali, quando siano divenute definitive, saranno portate al Supremo Tribunale della Segnatura Apostolica per il relativo controllo, e saranno, poi, con i rispettivi decreti del Supremo Tribunale della Segnatura, trasmesse per via diplomatica al Tribunale d'Appello dello Stato, territorialmente competente, il quale le renderà esecutive e ordinerà che siano annotate nei registri dello stato civile, a margine dell'atto di matrimonio [2].

Art. XXVI - La divisione ecclesiastica delle colonie portoghesi sarà fatta in diocesi e circoscrizioni missionarie autonome. Entro le une e le altre possono dai rispettivi Prelati, d'accordo con il Governo, essere erette direzioni missionarie.

I limiti delle diocesi e circoscrizioni missionarie saranno fissate in maniera da corrispondere, per quanto sarà possibile, con la divisione amministrativa.

Art. XXVII - La vita religiosa e l'apostolato missionario nelle diocesi saranno assicurati dal rispettivo Vescovo residenziale, e nelle circoscrizioni missionarie da corporazioni missionarie.

Le corporazioni missionarie riconosciute stabiliranno nel Portogallo continentale o nelle isole adiacenti case di formazione e di riposo per il loro personale missionario. Le case di formazione di ciascuna corporazione costituiscono un unico istituto, sussidiato dal bilancio della Metropoli.

Alle diocesi e circoscrizioni missionarie, agli altri enti ecclesiastici ed agli istituti religiosi delle colonie, nonchè agli istituti missionari, maschili e femminili, che si stabiliscano nel Portogallo continentale o nelle isole adiacenti, è riconosciuta la personalità giuridica.

Le diocesi e le circoscrizioni missionarie godranno di sussidi da parte dello Stato.

---

[2] Cfr. *AAS.*, XXXII, p. 381.

Art. XXVIII - Gli Ordinari delle diocesi e circoscrizioni missionarie, quando non vi siano missionari portoghesi in numero sufficiente, possono, d'accordo con la Santa Sede e con il Governo, chiamare missionari esteri, che saranno ammessi nelle missioni dell'organizzazione missionaria portoghese, a condizione che dichiarino di sottomettersi alle leggi e ai tribunali portoghesi. Tale sottomissione sarà quale si conviene ad ecclesiastici.

Quando entro le singole diocesi o circoscrizioni missionarie vengano stabilite nuove direzioni missionarie, la nomina dei rispettivi direttori, ove non possa ricadere su di un cittadino portoghese, sarà fatta solo dopo sentito il Governo portoghese.

Tutti i missionari, del clero secolare o di corporazioni religiose, nazionali od esteri, saranno interamente soggetti alla giurisdizione ordinaria dei Prelati delle diocesi e circoscrizioni missionarie, in ciò che si riferisce al lavoro missionario.

Art. XXIX - Sono considerate in vigore le disposizioni del Concordato del 21 febbraio 1857, riaffermate nel Concordato del 23 giugno 1886, e quelle del Concordato del 23 giugno 1886, le une e le altre nella parte non toccata da Accordi posteriori, segnatamente da quelli del 15 aprile 1928 e dell'11 aprile 1929, e da questa Convenzione.

Art. XXX - Se venisse a sorgere qualche dubbio nell'interpretazione di questo Concordato, la Santa Sede e il Governo portoghese cercheranno di comune accordo una soluzione amichevole.

Art. XXXI - Il presente Concordato, i cui testi in lingua portoghese ed in lingua italiana faranno egualmente fede, sarà ratificato ed entrerà in vigore appena scambiati gli strumenti di ratifica [3], salvo nella parte la cui esecuzione

---

[3] Ratihabitionis Instrumenta permutata fuerunt Ulysipponis die 1 Iun. a. 1940.

dipende da una legislazione interna complementare della Repubblica Portoghese, nella quale parte andrà in vigore soltanto con la legislazione stessa. L'entrata in vigore di questa non potrà protrarsi oltre lo spazio di due mesi dalla ratifica.

Fatto in doppio esemplare.

Città del Vaticano, 7 Maggio 1940.

L. ✠ S. L. Card. MAGLIONE

L. ✠ S. EDUARDO AUGUSTO MARQUES

L. ✠ S. MARIO DE FIGUEIREDO

L. ✠ S. VASCO FRANCISCO CAETANO DE QUEVEDO

ACCORDO MISSIONARIO TRA LA SANTA SEDE E LA REPUBBLICA PORTOGHESE

Premesso:

Che in data odierna è stato firmato il Concordato tra la Santa Sede e la Republica Portoghese;

Che nel detto Concordato agli articoli XXVI-XXVIII sono enunciate le norme fondamentali relative all'attività missionaria;

Che durante le trattative per la conclusione del Concordato medesimo il Governo Portoghese ha proposto che dette norme fossero ulteriormente sviluppate in una particolare Convenzione;

La Santa Sede ed il Governo Portoghese hanno risoluto di stipulare un Accordo inteso a regolare più compiutamente i rapporti tra Chiesa e Stato per ciò che riguarda la vita religiosa nelle Colonie Portoghesi, fermo restando quanto è stato precedentemente convenuto per il Patronato dell'Oriente.

All'uopo hanno nominato Plenipotenziari rispettivamente: Sua Eminenza Reverendissima il Signor Cardinale LUIGI MAGLIONE, Segretario di Stato di Sua Santità; e Sua Eccellenza il Sig. Generale EDUARDO AUGUSTO MARQUES,

antico Ministro delle Colonie, Presidente della Camera Corporativa, Gran Croce degli Ordini militari del Cristo, di S. Benedetto d'Aviz e dell'Ordine dell'Impero Coloniale; Sua Eccellenza il Sig. Dottor Mario de Figueiredo, antico Ministro della Giustizia e dei Culti, Professore e Direttore della Facoltà di Diritto della Università di Coimbra, Deputato e Gran Croce dell'Ordine militare di S. Giacomo della Spada; Sua Eccellenza il Sig Dott. Vasco Francisco Caetano de Quevedo, Inviato Straordinario e Ministro Plenipotenziario presso la Santa Sede, Gran Croce dell'Ordine militare del Cristo e Cavaliere di Gran Croce dell'Ordine di S. Gregorio Magno; i quali, sotto riserva di ratifica hanno convenuto su quanto appresso:

Art. 1 - La divisione ecclesiastica delle Colonie Portoghesi sarà fatta in diocesi e circoscrizioni missionarie autonome.

Ai Vescovi delle diocesi spetta organizzare, per mezzo del clero secolare e regolare, la vita religiosa e l'apostolato della propria diocesi.

Nelle circoscrizioni missionarie la vita religiosa e l'apostolato saranno assicurati da corporazioni missionarie riconosciute dal Governo, senza pregiudicare a che, con l'autorizzazione di questo, si stabiliscono, in detti territori, missionari di altre corporazioni o del clero secolare.

Art. 2 - Gli Ordinari delle diocesi e circoscrizioni missionarie, quando non vi siano missionari portoghesi in numero sufficiente, possono, d'accordo con la Santa Sede e con il Governo, chiamare missionari esteri, che saranno ammessi nelle missioni dell'organizzazione missionaria portoghese, a condizione che dichiarino di sottomettersi alle leggi ed ai tribunali portoghesi. Tale sottomissione sarà quale si conviene ad ecclesiastici.

Art. 3 - Le diocesi saranno governate da Vescovi residenziali e le circoscrizioni missionarie da Vicari o Prefetti Apostolici, tutti di cittadinanza portoghese.

Tanto nelle prime quanto nelle seconde, i missionari cattolici del clero secolare o di corporazioni religiose, nazionali od esteri, saranno interamente soggetti alla giurisdizione ordinaria dei suddetti Prelati in ciò che si riferisce al lavoro missionario.

Art. 4 - Le diocesi e le circoscrizioni missionarie saranno rappresentate presso il Governo della Metropoli dal rispettivo Prelato o da un suo delegato, e le corporazioni missionarie dal rispettivo Superiore o da un suo delegato.

I Superiori ed i delegati, ora menzionati, avranno la cittadinanza portoghese.

Art. 5 - Le corporazioni missionarie riconosciute stabiliranno nel Portogallo continentale o nelle isole adiacenti, case di formazione e di riposo per il loro personale missionario.

Le case di formazione e di riposo di ciascuna corporazione costituiscono un unico istituto.

Art. 6 - Sono fin d'ora create tre diocesi in Angola, con sede in Loanda, Nuova Lisbona e Silva Porto; tre in Mozambico con sede in Lorenzo Marques, Beira e Nampula; una in Timor con sede in Dili. Inoltre nelle dette Colonie e nella Guinea potranno essere erette circoscrizioni missionarie.

La Santa Sede potrà, d'accordo con il Governo, modificare il numero delle diocesi e circoscrizioni missionarie. I limiti delle diocesi e circoscrizioni missionarie saranno fissati dalla Santa Sede in maniera da corrispondere, per quanto sarà possibile, alla divisione amministrativa, e sempre dentro i miliți del territorio portoghese.

Art. 7 - La Santa Sede prima di procedere alla nomina di un Arcivescovo o Vescovo residenziale o di un Coadiutore *cum iure successionis* comunicherà il nome della persona scelta al Governo Portoghese, per sapere se contro di essa vi siano obbiezioni di carattere politico generale. Il silenzio del Governo, dopo trenta giorni dalla suddetta comunicazione, sarà interpretato nel senso che non

vi siano obbiezioni. Tutte le pratiche contemplate in questo articolo resteranno segrete.

Quando entro le singole diocesi o circoscrizioni missionarie vengano stabilite nuove direzioni missionarie, la nomina dei rispettivi direttori, ove non possa ricadere su di un cittadino portoghese, sarà fatta solo dopo sentito il Governo Portoghese.

Eretta una circoscrizione ecclesiastica o divenuta vacante, la Santa Sede, prima della definitiva provvista, potrà immediatamente costituire un Amministratore Apostolico provvisorio, dando comunicazione al Governo della avvenuta nomina.

Art. 8 - Alle diocesi e circoscrizioni missionarie, agli altri enti ecclesiastici ed agli altri istituti religiosi delle colonie, nonchè agli istituti missionari, maschili e femminili, che si stabiliscano nel Portogallo continentale o nelle isole adiacenti, è riconosciuta la personalità giuridica.

Art. 9 - Le corporazioni missionarie riconosciute, maschili e femminili, saranno, indipendentemente dagli aiuti che ricevessero dalla Santa Sede, sussidiate secondo il bisogno dal Governo della Metropoli e dal Governo della rispettiva Colonia. Nella distribuzione dei detti sussidi si terrà conto non solamente del numero degli alunni delle case di formazione e di quello dei missionari nelle colonie, ma anche delle opere missionarie, ivi compresi i seminari e le altre opere per il clero indigeno. Nella distribuzione dei sussidi a carico delle colonie le diocesi saranno considerate a parità di condizioni con le circoscrizioni missionarie.

Art. 10 - Oltre ai sussidi, ai quali si riferisce l'articolo precedente, il Governo continuerà a concedere gratuitamente terreni disponibili alle missioni cattoliche, per il loro sviluppo e per le nuove fondazioni. Allo stesso fine gli enti considerati all'Art. 8 potranno ricevere sussidi particolari ed accettare eredità, legati e donazioni.

Art. 11 - Saranno esenti da qualsiasi imposta o contribuzione, tanto nel territorio metropolitano quanto nelle colonie:

a) tutti i beni che gli enti di cui all'Art. 8 posseggano in conformità dei loro fini;

b) tutti gli atti *inter vivos* di acquisto o di alienazione, compiuti dagli enti predetti per l'attuazione dei loro fini, e tutte le disposizioni *mortis causa*, aventi gli stessi fini, in favore dei medesimi enti.

Inoltre saranno esenti da tutti i diritti doganali le immagini sacre e gli altri oggetti di culto.

Art. 12 - Oltre ai sussidi previsti nell'Articolo 9, il Governo Portoghesegarantis ce ai Vescovi residenziali, come superiori delle missioni delle rispettive diocesi, ed ai Vicari e Prefetti Apostolici congrui onorari, e mantiene il diritto alla pensione. Per viaggi o traslochi non vi sarà però diritto a sussidio speciale.

Art. 13. - Il Governo Portoghese continuerà a corrispondere la pensione al personale missionario attualmente in ritiro e per l'avvenire la corrisponderà ai membri del clero secolare missionario, quando abbiano compiuto gli anni di servizio necessari a tale effetto.

Art. 14 - Tutto il personale missionario avrà diritto al pagamento delle spese di viaggio entro e fuori le colonie. Per godere di tale diritto basta che nella Metropoli l'Ordinario o un suo delegato presenti al Governo i nomi delle persone, corredati dell'attestato medico comprovante la robustezza fisica necessaria per vivere nei territori d'oltre mare, senza che siano necessarie altre formalità. Se il Governo, per fondati motivi, giudicasse insufficiente l'attestato medico potrà ordinare una nuova visita da compiersi nei debiti modi per mezzo di medici di fiducia, che saranno sempre donne per le persone di questo sesso.

I viaggi di ritorno alla Metropoli per causa di malattia o per usufruire della licenza graziosa, saranno, dietro proposta dei rispettivi Prelati, autorizzati secondo le norme vigenti per i funzionari pubblici.

Art. 15 - Le missioni cattoliche portoghesi possono espandersi liberamente, per esercitare le forme di attività loro proprie, e segnatamente fondare e dirigere scuole per indigeni ed europei, collegi maschili e femminili, istituti d'insegnamento elementare, secondario e professionale, seminari, catecumenati, ambulanze ed ospedali.

D'accordo con l'autorità ecclesiastica locale, potranno essere affidati ai missionari portoghesi i servizi di assistenza religiosa e scolastica ai sudditi portoghesi in territori esteri.

Art. 16 - Nelle scuole indigene missionarie è obbligatorio l'insegnamento della lingua portoghese, restando pienamente libero, in armonia con i principi della Chiesa, l'uso della lingua indigena nell'insegnamento della religione cattolica.

Art. 17 - Gli Ordinari, i missionari, il personale ausiliario e le suore missionarie, non essendo funzionari pubblici, non sono soggetti al regolamento disciplinare nè ad altre prescrizioni o formalità che possano essere imposte ai funzionari pubblici.

Art. 18 - I Prelati delle diocesi e circoscrizioni missionarie, ed i superiori delle corporazioni missionarie nella Metropoli daranno annualmente al Governo informazioni sopra il movimento missionario e l'attività esteriore delle missioni.

Art. 19 - La Santa Sede continuerà ad usare della sua autorità affinchè le corporazioni missionarie portoghesi intensifichino l'evangelizzazione degli indigeni e l'apostolato missionario.

Art. 20 - Rimane in vigore il regime parrocchiale della diocesi di Cabo Verde.

Art. 21 - I due testi del presente Accordo, in lingua portoghese ed in lingua italiana, faranno egualmente fede.

Fatto in doppio esemplare.

Città del Vaticano, 7 Maggio 1940.

L. ✠ S. L. Card. Maglione
L. ✠ S. Eduardo Augusto Marques
L. ✠ S. Mario de Figueiredo
L. ✠ S. Vasco Francisco Caetano de Quevedo.

35 - SS. D. N. Pius Pp. XII
Epistula ad Praepositum Generalem Societatis Iesu.

(*AAS* xxxii [6 aug. 1940] p. 289 ss.)

AD DILECTUM FILIUM WLODIMIRUM LEDÓCHOWSKI, PRAEPOSITUM GENERALEM SOCIETATIS IESU: QUARTO EXEUNTE SAECULO AB EADEM SOCIETATE CONDITA.

PIUS PP. XII

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. - Nosti profecto quantopere Nobis cordi sit quantaeque aestimationi Ignatiana familia, quam tu per quinque iam lustra sedulo prudenterque moderaris; haud miraberis igitur si, quadrigentis revolutis annis ex quo Decessor Noster im. rec. Paulus III per Apostolicas Litteras *Regimini militantis Ecclesiae* Societatem Iesu apostolica auctoritate probavit riteque constituit, saecularia sollemnia vestra vestramque laetitiam participare cupimus. Quae quidem laetitia, quamvis in praesens tot aerumnosis trepidisque rebus quasi tristitiae caligine obtendi videatur, aeque tamen gaudium est universae Ecclesiae, de qua religiosa sodalitas vestra per diuturnum hoc temporis spatium innumeris egregie factis optime meruit. Ac libet ho-

die haec eadem egregie gesta, non modo ad Nostrum vestrumque solacium, summatim breviterque memoria repetere, sed idcirco etiam ut vos omnes, grato ea reputantes animo, quae Providentissimus Deus per maiores vestros ac per vos, quattuor hisce volventibus saeculis, praeclara edidit facinora, et immortales eidem caelesti Numini referatis grates, et fidentes una simul inde sumatis auspicium ulterius usque indefatigatis viribus progrediendi ad maiorem Dei gloriam animarumque salutem.

Difficillima procul dubio fuere tempora, in quae legifer incidit Pater vester. Etenim ex una parte acerrimum ethnicorum sapientiae studium eorumque civilis cultus ita inflammabat excitabatque animos, ut saepenumero christiana praecepta vel utpote inferius quiddam fastidio haberentur, vel ad humanae mentis lumen redacta, prorsus corrumperentur; atque adeo multorum mores, eorum etiam interdum, quos ceteris oportebat exemplo esse, remissi ac debilitati iacebant, ac vel etiam, proh dolor, abnormes ac pessumdati profligabantur. Nihil igitur mirum si ingruens a septentrionibus Novatorum procella ipsos Ecclesiae cardines concutere ac diffringere visa est. Nihil mirum, si debita ecclesiasticae auctoritati ac vel ipsi Romano Pontifici obtemperatione abrupta, tam multae gentes nationesque, a catholica unitate abscissae, per devia itinera infeliciter aberrarunt.

Ex altera vero, dum gravissimae eiusmodi mentium rerumque perturbationes sollicitos et anxios bonorum omnium tenebant animos, ac sacrorum administrorum vires debilitare videbantur, novus iisdem atque arduus patuit apostolici laboris campus. Amplissimis enim in orientis et occidentis partibus repertis terris, innumeri, qui inibi incolebant, populi divina a Iesu Christi tradita indigebant veritate, divinaeque gratiae munus opperiebantur.

At in summo illo discrimine res apparuit prorsus miranda, qua Christus ipsemet visus est et castissimam Sponsam suam ab internis externisque periculis servare in-

columem, et spiritualem eidem impertire uberrimamque fecundidatem. Quasi enim vere novo in Ecclesiae viridario excitato, pulcherrimi sanctitudinis flores emergunt, dehiscunt, suavissimumque odorem redolent. Homines ac mulieres, christiana virtute praestantes, exundanti impietatis colluvioni invicta repagula opponunt, sollertem catholicae dilatandae fidei navant operam, atque aberrantes populos qua incensissimis concionibus habitis, qua scriptis sapientia refertis, qua suae denique sanctimoniae exemplo, e transversis falsitatis semitis abstrahunt, et ad rectum iter feliciter reducunt.

Iamvero omnibus compertum est hoc in sanctorum virorum numero, qui sicut « stella a stella » ita « differunt in claritate »,[1] Ignatium Loyoleum praeclarissimum obtinuisse locum, ab eodemque conditam Societatem in hisce exantlandis laboribus magnas sibi tribuisse partes. Idque iure meritoque. Etenim, ut proximi fel. rec. Decessoris Nostri verbis utamur, « testis historia est... orbem catholicum, peropportuno per Ignatium subsidio communitum, celeriter respirare coepisse, cum facile non sit commemorare, quae et quanta in omni genere Societas Iesu, Ignatio auctore et duce, pro Dei gloria gesserit. Cerneres impigros sodales contumaciam haereticorum victores retundere, emendationi corruptorum morum ubique studere; collabefactam clericorum disciplinam restituere: ad ipsum christianae perfectionis culmen complures perducere; praeterea multos esse in iuventute ad pietatem instituenda bonisque artibus erudienda, nimirum in spem christianae vere posteritatis; interim vero infidelibus ad fidem traducendis egregiam dare operam, ut imperium Iesu Christi novis accessionibus propagarent » [2].

Quamobrem non modo asseverari potest Deum ipsum, sicut alios aliis temporibus sanctos viros, ita novis illius

---

1 Cf. I Cor., XV, 41.
2 Epist. Apost. *Meditantibus Nobis*, *A.A.S.*, 1922, p. 630.

aetatis erroribus Ignatium et institutam ab eo Societatem obiecisse, sed per quattuor etiam horum saeculorum decursum innumeram legiferi Patris vestri subolem novis insurgentibus fallaciis invicto obstitisse animo, emergentibus Ecclesiae necessitatibus validum praestitisse auxilium, et saluberrimos omne genus edidisse fructus. Quos quidem uberes salutis fructus cupimus heic, vobis gratulantes, presse breviterque recolere.

Imprimisque summis libet exornare laudibus Ignatianae asceseos disciplinam, quae in moderandis conformandisque animis eo potissimum spectat, ut sit « omnia et in omnibus Christus » [3], atque adeo omnia ad maiorem Dei gloriam, veluti ad supremum finem, unice dirigat. Quae quidem asceseos disciplina tum sodalibus vestris, tum quibusvis hominibus, quorum cordi propria sit salus, per invectum opportune morem Spiritualium Exercitiorum potissimum proponitur, ad normam aurei illius libelli ab Ignatio conscripti, quem merito Decessor noster im. mem. Benedictus XIV in Apostolicis Litteris *Quantum secessus* prorsus *admirabilem* appellat. Enimvero quot homines, qui, vel mortalis huius vitae rebus rationibusque distenti, coelestia neglexerant, vel misere etiam voluptatum cupidinumque illecebris deleniti, in vitiorum se volutabrum ingurgitaverant, cum tandem aliquando in spiritualem recessum perrexissent, ibique, se paulisper saltem recolligentes, demersas in terram cogitationes ad superna traduxissent, tum et rectum conscientiae suae ordinem, et optatam suorum admissorum veniam, et gratiam serenamque pacem adepti sunt! Siquidem ubi ab externis negotiis liberi, in aula mentis possumus divinae vacare sapientiae, ubi omni strepitu terrenarum silente curarum, in meditationibus sanctis et in deliciis laetamur aeternis, facile illius sententiae veritatem experimur, nihil nempe prodesse homini « si mundum universum lucretur, animae

[3] Col., III. 11.

vero suae detrimentum patiatur »[4]; itemque luculentissime tum patet ea omnia, quae vel ab sempiterna nos avertant beatitate, vel ad eam assequendam non conferant « vanitatem esse et afflictionem spiritus »[5]. Merito igitur proximus Decessor Noster Pius XI in Encyclicis Litteris *Mens Nostra*[6] asseveravit « in spiritualibus exercitationibus singulare aeternae salutis praesidium positum esse atque constitutum »; et cum peculiaris via ac ratio, hac in re ab Ignatio Loyoleo proposita, tantopere excellat, eum ipsum per Apostolicas Litteras *Summorum Pontificum*[7], sacrorum Antistitum votis obsecundans, omnium Exercitiorum Spiritualium Patronum caelestem constituit ac declaravit.

Quamobrem Ignatianae familiae sodales institutum eiusmodi sibi habeant carissimum, impensa voluntate summaeque diligentia statis diebus amplectantur, ac veluti religiosi sui Ordinis incunabula respiciant; quandoquidem, ut pie traditur, cum legifer eorum Pater in Manresae specu, procul a coetu hominum rerumque tumultu, precando meditandoque umbratilem vitam ageret, eius menti, caelesti collustratae lumine, Societas Iesu quasi sacra militia primitus illuxit.

Ac non modo ipsimet sodales, ad suam ipsorum perfectionem assequendam, in hac spiritualis vitae palaestra sedulo studioseque se exerceant, sed etiam atque etiam accurent, quod ceteroquin non praetermittunt, ut quam plurimi tum ex cleri ordine, tum ex laicorum hominum cuiusvis classis agminibus, Exercitiorum domos, quae volentibus ubique pateant, pie religioseque celebrent.

At aliud etiam in causa est cur apud vos, hac opportunitate data, gratulemur admodum, vosque paterno adhortemur animo. Novimus siquidem Societatem vestram, inde

---

[4] Matth., XVI, 26.
[5] Cf. Eccle. II, 17.
[6] *A.A.S.*, 1929, p. 691.
[7] *A.A.S.*, 1922, p. 420.

ab originibus, totam fuisse cum in germana catholicae fidei integritate adversus quaslibet errorum fallacias viribus omnibus tutanda, tum in sanctissimis Ecclesiae Romanorumque Pontificum vindicandis iuribus, tum denique in christiana religione per apostolicos divini verbi satores usquequaque gentium propaganda. Quas ad singulas res, qui annales vestros vel celerrima manu pervolverit, tot is praeclara invenerit facinora, quae non modo in Ordinis vestri, sed in catholicae etiam Ecclesiae fastis, aureis inscribi litteris digna videantur.

Atque heic menti Nostrae illorum succurrunt sanctissimorum virorum nomina, qui, ut Petrus Canisius et Robertus Bellarminus, uterque Ecclesiae Doctor a proximo Decessore Nostro renuntiatus, catholicae doctrinae infitiatores eloquio scriptisque sapientissimis convicerunt, et eandem doctrinam, gravissima elucubrando volumina, summopere illustrarunt; qui etiam, ut Petrus Claver, ut Ioannes Franciscus Regis, ut Franciscus de Hieronymo incensissimo studio laboreque indefatigabili innumeros paene homines, sive christianis praeceptis excultos divinoque lavacro expiatos, ad Iesu Christi ovile traduxerunt, sive ad vitam catholicae fidei magis consentaneam revocarunt; qui denique, ut Franciscus Borgia et Iosephus Pignatelli, Religiosae Familiae vestrae gubernacula tractantes, impigros huiusmodi evangelicos operarios fortesque Christi milites studiose sapienterque instituere, conformare ac regere et divinae caritatis igne inflammare non destiterunt. Sed dissitas quoque gentes — quas quidem magnus Ignatii animus, prima novi Ordinis lineamenta ponens, apostolico studio amplexus erat — in ipsis Societatis vestrae primordiis, ex Pauli III Decessoris Nostri mandato, suavissimo Christi Regis imperio subiugandas suscepit clarissimus ille Ignatii filius Franciscus Xaverius, quem Summi Pontifices Decessores Nostri Indiarum apostolum eundemque Missionum omnium Patronum edixerunt, quemque non intermisso agmine tot ex eadem Societate vestra

secuti sunt et in praesens sequuntur evangelicae veritatis praecones, in sacris expeditionibus ubique sollerterque elaborantes. Nec martyrum cohortes bene multae defuere, qui religionis omni ope provehendae tutandaeque causa multis exantlatis laboribus, ob Iesu Christi fidem fere ubique gentium suum etiam generoso animo sanguinem profunderent.

Quodsi religiosam Societatem vestram divini Redemptoris Ecclesiaeque inimici peculiari odio simultateque insectati sunt, id non dedecori, sed summae potius laudi vobis est tribuendum; quicumque enim Christum Dominum fidelitate maxima actuosoque amore sequitur, eum in invidiam exsecrationemque pravorum hominum venire quodammodo necesse est. Hoc enim ipse Servator noster suis iam Apostolis praedixit: « ... Eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum » [8] « Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret; quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus » [9]. In insectationibus igitur omne genus, in insimulationibus et calumniis, ne concidatis animo; sed illius sententiae memores « Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum caelorum » [10], sanctissima incepta vestra alacri voluntate prosequamini, summopere Apostolorum more gaudentes « quoniam digni habiti estis pro nomine Iesu contumeliam pati » [11].

Heic praeterea eximia illa promerita silentio praeterire nolumus, quae Societas vestra per quattuor revoluta saecula sibi peperit in iuventute recte doctēque educanda. Nostis profecto quantae hoc gravitatis sit opus; nostis reipublicae sortem non modo, sed Ecclesiae etiam a scholarum fortunis ac disciplina pendere quam maxime,

---

[8] Matth., XXIV, 9.
[9] Ioan., XV, 19.
[10] Matth., V, 10.
[11] Cf. Act. V, 41.

quandoquidem non alii plerumque cives erunt, non alii christifideles, quam quos iuvenilis institutio conformaverit. Meritās igitur vobis tribuimus laudes quod, fere innumeris apertis litterarum studiorumque domiciliis, mollem flexibilemque adulescentiam ita doctrina excolitis virtuteque effingitis, ut eadem christianae vitae formam ad vivum exprimat, atque adeo iubeat optime de se sperare in posterum. Cui quidem adulescentiae, laudabili sane consilio, sanctissimorum iuvenum exempla ad intuendum imitandumque proponitis: qui, ut Aloysius Gonzaga, ut Ioannes Berchmans, ut Stanislaus Kostka, virgineum integritatis suae lilium, veluti poenitentiae spinis intersaeptum, candidum illibatumque servarunt.

Neque adolescentis dumtaxat aetatis educationi prospicitis, sed, ut legifer Pater vester, advenientis temporis necessitatum praesagus, in Constitutionibus commendaverat, altiorum etiam multis in locis conditis disciplinarum sedibus studiorumque Universitatibus, et clerum in spem Ecclesiae rite sancteque instituitis — quemadmodum in hac alma Urbe ob oculos fere Nostros in Pontificia Universitate Gregoriana in eique consociatis Institutis egregie praestatis — et cuiusvis ordinis cives ad futura capessenda privatae publicaeque vitae munia recte diligenterque comparatis. Cui quidem educationi validum praebent adiumentum illae pietatis et christiani apostolatus palaestrae, quae Sodalitates Marianae audiunt, et quas Christi Ecclesia quasi selectas auxiliares copias, in pacificam aciem sub Mariae Virginis vexillo ordinatas, semper praesto habet. Pergite igitur sanctissima haec incepta alacritate, qua soletis, urgere; nec providentiam putetis ullam fore tantam, quin sit adhibenda maior. Dum enim alicubi iuvenes ludos scholasque celebrant, in quibus error, fucatus veritatis specie, animos illaqueat, impietatisque afflatus misere corrumpit mores, omni ope enitendum est ut sanae institutionis optimorumque studiorum domicilia ullis locis ne desint, ubi non modo so-

lidae doctrinae sed christianae etiam virtutis magisteria audientium mentibus praeluceant.

Ac cetera quoque religionis, caritatis pietatisque opera persequi ac provehere ne desistatis. Decessores vestri omnibus in rebus omnibusque in disciplinis praeclarissima vobis reliquere exempla. Eorum igitur vestigiis volentes enitentesque insistite; atque eorum virtus vitaeque sanctitas ad maiora usque suscipienda vel promovenda vos excitent atque compellant.

Nova, quibus vivimus, tempora, nova utique postulant, in spiritualibus etiam rebus, incepta, opera atque praesidia, quibus immutatis ac succrescentibus aetatis huius nostrae necessitatibus opportune occurratur. Haec vos, pro vestro navitatis ardore, ne neglegatis; eoque enixe contendite, ut quae omnia adultum saeculum invexerit, ea ad Iesu Christi Regnum, domi firmandum forisque dilatandum, satius aptiusque conferant. Attamen Institutum vestrum, Nobis vobisque carissimum, idem perpetuo esto; idem regimen, quo solidatur; idem, quo alitur, spiritus; idem denique incensissimum obedientiae observantiaeque studium, quo mordicus tenaciterque Apostolicae huic Sedi devincimini. Hoc ceteroquin Nostra non indiget adhortatione, cum iam Decessor Noster im. me. Pius XI Societatem Iesu Apostolicis Litteris *Paterna caritas* [12] sartam tectam voluerit, iterumque auctoritate sua firmaverit, cumque peculiare sit religiosi Ordinis vestri insigne, ac veluti sacra hereditas a maioribus tradita, res vestras incolumes sibique constantes omni ope servare, et ad meliora usque promovere.

Haec omnia, quae laudis vestrae potius quam hortamenti causa tibi, dilecte fili, per has litteras scripsimus, ut feliciore cotidie modo effecta dentur, caelestia vobis auxilia enixe a Deo precamur. Vobis adsint e caelo, hac potissimum in rerum faustitate, cum legifer Pater vester, suae gratulatus suboli, tum innumeri illi sanctissimi viri, qui Igna-

[12] *A.A.S.*, 1933, p. 245-246.

tianam Societatem virtute ac sapientia tantopere illustrarunt; iidemque a Sacratissimo Corde Iesu, cuius vos religionem pietatemque in quovis civium ordine laudabili sedulitate — praesertim per *Apostolatum Orationis,* quem vocant — excitandam provehendamque curatis, uberrime divinam gratiam vobis concilient, uberrimosque sanctitatis et apostolatus fructus.

Quos quidem sanctitatis fructus ut Nos, de Ecclesiae thesauro aliquid dilargiendo, adaugeamus, concedimus perlibenter ut die XXVII proximi mensis Septembris — in quem diem saecularia incidunt sollemnia vestra — vel alio die, quo Religiosae Familiae vestrae moderatores maluerint eadem sollemnia celebrare, singuli Ordinis vestri sodales omnesque christifideles, qui rite confessi et Eucharistico pabulo enutriti, quamlibet ecclesiam Societatis Iesu, vel eius curae commissam, pie visitaverint et ad mentem oraverint Nostram, plenam admissorum suorum indulgentiam lucrari queant.

Interea vero caelestium munerum ausipcem paternaeque benevolentiae Nostrae testem, tibi, dilecte fili, universisque Societatis Iesu religiosis viris eorumdemque alumnis, Apostolicam Benedictionem effuso animo impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die VI mensis Iulii, Octava Festi Ss. Apostolorum Petri et Pauli, anno MDCCCCXXXX, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. XII

Annotationes

Die 27 Septembris 1540 post diuturnas discussiones Summus Pontifex Paulus III Bulla « Regimini militantis Ecclesiae » schema Instituti Societatis Iesu a Sancto Parente Ignatio Ipsi oblatum sollemniter adprobavit: a quo faustissimo die quatuor saeculis elapsis, successor Pauli III in

Romana Sede Pius XII Apostolicis Litteris « Nosti profecto » intimae Societatis laetitiae sese adiungit, quae modeste et humiliter pro praesentibus humanitatis et Ecclesiae maestissimis adiunctis, animo tamen gratissimo erga Servatorem Iesum Christum eiusque Sponsam, quadringentos vitae annos commemorat.

Pontificium documentum iteratam approbationem atque laudem Instituti simulque perbrevem rerum a Societate per saecula gestarum memoriam continet. Postquam enim Pontifex innuit difficillima Europae et Eclesiae tempora, quibus Societas ortum duxit, ut providentissimum Dei consilium hoc novo auxilio Eclesiam militantem roborantis demonstraret, in primis magnis laudibus rursus ascesim ignatianam extollit, qua et Societatis filii in toto vitae religiosae cursu imbuuntur et Christi fideles in Societatis operibus in vitae spiritualis semita ducuntur: quae quidem ascesis hic illic, hisce postremis temporibus, etiam a nonnullis catholicis non semper aequo atque benevolo animo habita est, utpote qui non sat profunde comprehenderint quam tuta, alta et ab Ecclesia commendata fuerit et quam apte animarum necessitatibus et adspirationibus in presenti tem- cohaereat.

Deinde Romanus Pontifex ingentem conatum a Societate exantlatum laudat ad integritatem fidei catholicae defendendam, ad Eclesiae et Romanae Sedis iura vindicanda, ad vitam cristianam in regionibus catholicis penitus restaurandam, atque ad fidem in longinquis missionum oris propagandam. Magnus revera labor, qui miram institutorum, associationum operumque universitatem praesefert, cui validissimas contulit vives inclitus Martirum Sanctorunque coetus, pro quo Societas omnimodas ubique terrarum insectationes est perpessa.

Pro peculiaribus hodiernis recte instituendae iuventutis necessitatibus, cum innumera propemodum pericula urgeant, Sanctus Pater inceptis omnibus plaudit in excolendis juvenibus, labentibus saeculis, a Societate impigre in-

stauratis, in Institutis atque Universitatibus studiorum superiorum, in collegiis, in scholis, in sodalitatibus Marianis quibus, iuxta germanam earum indolem, duplicem finem cum sanctificationis tum apostolatus adiudicat.

In futurum Pontifex animum protendens, filios Societatis hortatur ut novis novorum temporum necessitatibus adhaereant atque celerrimo eventuum cursui gradum commensurent: hortatur ut ea apostolatus incepta tentent atque audeant quae a progressu scientiarum atque perfectionis tecnicae exiguntur: quin immo ut hic idem progressus ad maiorem Dei gloriam et ad animas Cristo lucrandas inserviat, satagant: integris tamen atque inviolatis servatis Ordinis spiritu, regimine, constitutionibus.

Litteris suis Pius XII, apostolicam benedictionem et indulgentiam plenariam peramanter largiendo, finem imponit: quae quidem litterae benevolentissimam charitatem spirantes, novus exstant anulus aureae catenae, quae Sancti Petri Cathedrae Societatem devincit.

Paternum documentum Summi Pontificis Societatem organismum sanum, florentem atque magna activitate praeditum invenit. Ipsa haud immutata prostat in suis Constitutionibus, regimine, regulis; quare in Epitome Instituti ex mondato Congregationis Generalis XXVII confecta, quae sui iuris vivens codex est, venerandae Constitutiones S. Parentis et Legiferi Ignatii intactae sunt insertae. Et sicuti non immutata organica structura Ordinis est cum omnibus mediis, quae suis alumnis ad acquirendam sanctitatem et ad apostolatum exercendum suppeditat, ita eadem manet interior vocationis gratia, quam Spiritus Sanctus Filiis Societatis elargitur. Societas Iesu in praesenti 26.309 socios adnumerat in 1531 domibus atque in 50 provinciis vel vice-provinciis toto orbe diffusis distributos, in 8 autem Assistentiis coadunatos. E coelo adsunt patroni et advocati apud Deum 24 religiosi in Sanctorum albo adscripti, quos inter 12 Martires et duo Ecclesiae Doctores, 141 Beati atque 185 Venerabiles et Servi Dei. In horum numero, qui ad

altarium gloriam gradiuntur, 12 post annum 1900 mortui sunt: recenter quoque ad coelum ex Imperio Sinensi, ex Mexico, ex Hispania plures sodales evolarunt. Quae Sanctorum Martirumque seges testis est Societatem in presentiarum suorum maiorum exempla in vitae sanctimonia aemulari.

Sanctitati additur doctrina et fervor apostolatus. Re vera hisce postremis temporibus Societas Ecclesiae progenuit vivos eximios in Theologia dogmatica et morali, in Sacra Scriptura, in Historia Ecclesiastica, in Ascetica, in Sacra Eloquentia, in Philosophia, in Sociologia, in Scientiis naturalibus et humanis litteris, quorum nomina longum est enumerare. Melius quam aridus nominum elenchus testantur excellentiam apostolatus culturalis hodiernae Societatis publicationes et opera. Publicationes recenter editae haud spernendam bibliothecam efficerent, inter quas magni momenti opera, v. g. Cursus Sacrae Scripturae, continuata « Acta Sanctorum » Monumenta historica S. I. Index bibliographicus, qui libros, opuscula et articulos a Patribus Societatis anno 1938 conscripta enumerat, 2468 titulis constat: in Expositione Catholica, quae in Civitate Vaticana annis 1936-1937 habita est, 112 Commentaria a Societate directa numerabantur.

Adde institutiones culturales: 42 Instituta studiorum superiorum, Universitates, facultates atque Collegia Ecclesiastica. Eminet Pontificia Universitas Gregoriana in Urbe Roma, quae ante bellum 2400 alumnos ex omnibus fere nationibus numerabat, cui a Pio XI Institutum Biblicum et Orientale consociata sunt, quaeque Institutum Culturae Superioris religiosae pro laicis adnexum habet — 28 Observatoria, Speculae, Stationes sismologicae; Statio Radio-Vaticana: 211 Instituta educationis.

In ordine culturali maximum adiumentum Societas in proeliis contra grassantes errores contulit, contra liberalismum et modernismum, contra socialismum, communismum, statolatriam; identidem suam haud exiguam partem

in restauranda, duce Pontifice Leone XIII, philosophia scholastica ad mentem St. Thomae habuit.

In aliis apostolatus generibus difficile est syntesim, utut summariam, vis atque actionis Societatis exhibere: ut enim Commentarium « Studium »[1] affirmat: « nullus est campus multiformis activitatis Ecclesiae, in qua Societas non prodeat in aciem et, fere ubique, primo agmine, quatuor veluti notas sui laboris praeseferens: universitatem et soliditatem: munera in Ecclesia militante periculosiora atque difficiliora praeferre, quae sunt frontis exercitus: demum miram aptitudinem ut omnibus omnia fiat ut omnes Christo lucrifaciat ».

En Exercitia Spiritualia cum domibus ad hunc finem excitatis atque consociationibus perseverantiae: annus 1938 exhibet plus quam 100.000 Sacerdotum atque religiosorum, 200.000 monialium, 300.000 laicorum et circiter 150.000 mulierum, quibus Patres Societatis Exercitia Spiritualia tradiderunt.

Apostolatus orationis cum operibus adnexis, in suis 125.787 sedibus, exercitum 35.000.000 animarum orantium in unione SS. Cordis Jesu constituit.

Sodalitates Marianae, quae plura decies centena millia sodalium complectuntur, praesertim aliquibus in nationibus, selecta fidelium agmina adstruunt cum Actione Catholica collaborantia. Addantur praedicatio verbi Dei omnibus fidelium coetibus, munus christianae doctrinae pueros et adultos, rudes atque doctos docendae, administratio Sacramentorum, omnis generis incepta charitatis, pietatis et religionis.

Plurima Instituta religiosa utriusque sexus, a Deo hisce recentioribus temporibus in bonum Ecclesiae excitata, aut assistentia et auxilio a Societate Jesu Fundatoribus ultro oblatis usa sunt aut ab ipsa integre vel ex parte Constitu-

[1] Riv. « Studium » — Ag. Set. pag. 332.

tiones, regulas, exercitia pietatis derivarunt aut eius fontibus asceticis et culturalibus aluntur.

Tandem apostolatus missionum eminet ab hodierna Societate Jesu magno animo susceptus atque mirum in modum promotus. In dissitis infidelium terris adsunt fere 4000 Jesuitarum, qui in 54 Missionibus excolunt plusquam 3.000.000 catholicorum, 300.000 catechumenorum et quibus spiritualis cura 167.000.000 infidelium commissa est. Ipsi excitaverunt atque dirigunt prope innumeras institutiones, Universitates, Collegia, scholas, orphanotrophia, nosocomia pro infirmis omnibus, peculiariter autem pro lepra infectis: vere strenuum agmen in prima acie proelians, cum quo adlaborant in nationibus fidelibus auxiliares copiae instructae operibus et commentariis missionariis, iuvenum associationibus, laboratoriis pro Missionibus. Fideliter monitis atque legibus a Sede Apostolica traditis obsecundans circa constitutionem cleri indigeni, Societas in Missionibus erexit 15 maiora Seminaria pro alumnis indigenis, qui philosophiae et theologiae dant operam, 9 domos studiorum pro suis religiosis instituit; atque ab anno 1923 ad annum 1940 novem missiones dispertivit ab ea excultas ut potiorem partem clero indigeno committeret.

Interea insectationes, quae vitae Societatis sunt peculiaris nota, eam usque comitantur, dum ex adverso postremi Romani Pontifices, a Leone XIII ad Pium XII, peculiari benevolentia ipsam amplecti dignati sunt.

Si in recenti Societate (sicut in antiqua Societate, sicut in omni associatione quae ex hominibus constat) umbrae et defectus adsunt, isti exaggerandi non sunt, sed in vivida luceque circumfusa tabula aspiciendi vitae et actionis totius Societatis in omnibus ferme regionibus: hi defectus quandoque causas minuentes habent, quandoque a bona superiorum subditorumque voluntate non pendent: defectibus qui corrigi possunt Ordo non acquiescit, sed eos usque vigil omni modo minuere atque emendare nititur.

Liceat his annotationibus finem imponere, sententias aliquas proferendo ex iis, quae in Commentario Archidioceseos Florentinae nuper scripsit Eminentissimus Cardinalis Archiepiscopus Elias Dalla Costa, Litteras Apostolicas « Nosti profecto » referens: [2]

« Come il Sommo Pontefice con la Lettera Apostolica sopra riportata, ammiriamo anche noi la meravigliosa opera di bene compiuta in quattro secoli di fervida e feconda vita dai Figli di S. Ignazio: ma non dimentichiamo, a nostra edificazione, le due sorgenti da cui emanano le mirabili imprese spesso ardue, talora eroiche, e sempre benefiche e sante della Compagnia di Gesù.

Queste due sorgenti sono lo spirito di obbedienza e lo spirito di pietà... I membri della Compagnia di Gesù per il voto di obbedienza sono legati ai loro Superiori e allo stesso Romano Pontefice per mezzo di un vincolo che il Santo Fondatore ha consecrato con la parola e con l'esempio in forma insuperabile e che della Compagnia ha fatto un esercito pronto per tutte le battaglie dello spirito e per tutti i cimenti della vita della Chiesa... I figli di S. Ignazio si formano con gli esercizi spirituali, con la meditazione, con l'esame di coscienza e non sarà mai abbastanza encomiata la sapienza di S. Ignazio che, quando è giunto a mezzo del cammino della vita, obbliga il Gesuita ad un secondo Noviziato... Ammiriamo adunque pure quella nube di Santi della Compagnia di Gesù che come palme e come cedri giganteggiano nel giardino della Chiesa e il cui nome solo è un elogio: Francesco Saverio, Pietro Canisio, Pietro Claver, Roberto Bellarmino: ma non dimentichiamo gli umili mezzi di cui solle servirsi la Provvidenza divina per donare questi giusti alla terra, questi eroi all'umanità, questi atleti alla Chiesa: l'obbedienza e la pietà »....

AUGUSTINUS GARAGNANI S. I.

---

[2] Bollettino dell'Arcidiocesi di Firenze — Ag. 1940, pp. 221-222.

36 - SS. D. N. Pius Pp. XII
Motu proprio 27 oct. 1940

(*AAS* XXXII [30 oct. 1940] p. 385 s.)

EUCHARISTICA SACRIFICIA AC PUBLICAE SUPPLICATIONES INDICUNTUR, DIE XXIV MENSIS NOVEMBRIS A. MCMXL UBIQUE TERRARUM HABENDA, PRO PRAESENTIBUS SOCIETATIS HUMANAE NECESSITATIBUS.

PIUS PP. XII

Norunt profecto omnes Nos, ex quo Europa novo formidolosoque bello concussa est, quidquid vel conscientia officii iuberet Nobis divinitus commissi, vel paternus erga populos universos Nobis suaderet animus praetermisisse numquam, non modo ut diffracta tot gentium concordia aequiore ordine iustaque ratione quam primum redintegraretur, sed ut divina etiam solacia humanaque adiumenta iis omnibus pro facultate impertirentur, quibus eadem dimicatio iacturas doloresque peperisset.

At cum immane certamen, nedum remittat, acrius usque perduret, cumque vox Nostra, sequestra pacis, bellico clangore obrui videatur, ad « Patrem misericordiarum et Deum totius consolationis »[1] trepidum fidentemque animum convertimus, ab eo meliora humano generi tempora impetrantes, qui unus et hominum voluntates inflectit, et rerum cursum divino nutu moderatur.

Quoniam vero si preces Nostrae Nostrorum filiorum precibus inserantur et coagmententur, novimus eas validiores evadere; idcirco, quemadmodum adventante superiore mense maio ad aram Deiparae Virginis cunctos convocavimus christifideles, pueros praesertim, caelestem opem

---

[1] Cf. II Cor. I, 3.

impetraturos [2], ita nunc publicas supplicationes indicimus, una Nobiscum die XXIV proximi mensis novembris ubique terrarum habendas. Ac fore confidimus ut omnes Ecclesiae filii votis hisce Nostris ita libenti volentique animo respondeant, ut veluti innumerum efficiant supplicantium chorum, qui, arcana caeli spatia conscendens, divinam nobis gratiam divinamque miserationem conciliet. Ac futurum etiam speramus ut -- quod quidem gravioris momenti est -- piae huic precum contentioni paenitentiae opera comitentur, utque in melius omnium vita immutetur, satius christiana lege christianoque more conformata. Quod procul dubio et praesentes rerum angustiae, et futurorum eventuum discrimina postulant; postulat divina iustitia, divinaque, quam nobis conciliare debemus, misericordia.

Quandoquidem autem nihil magis valet ad Numinis maiestatem placandam propitiandamque, quam Eucharisticum Sacrificium, quo ipse humani generis Redemptor « in omni loco sacrificatur, et offertur ... oblatio munda » [3], cupimus ut eo ipso die, quo publicae eiusmodi supplicationes fient, sacri omnes administri una Nobiscum qui ad Beati Petri sepulchrum in Vaticana Basilica divina litabimus hostia hac de causa pie riteque sacrificent. Quapropter motu proprio et Apostolica Auctoritate Nostra statuimus ut die XXIV proximi mensis novembris quotquot ex officio Missam pro populo celebrare debent, eam celebrent ad mentem Nostram. Ac sciant ceteri quoque ex utroque clero sacerdotes rem se Nobis pergratam esse facturos, si, ea ipsa dominica die sacris operantes, mentem cuiusque suam menti Nostrae supplicando adiungant. Mens autem Nostra haec est, ut per tot Eucharistica Sacrificia quovis horae momento et in quavis terrarum orbis parte eo die Aeterno Patri offerenda, christifidelibus omnibus, belli causa vita functis, sempiterna impetretur requies; utque ii etiam, qui,

---

[2] Cf. Epist. ad Em.mum Card. A. Maglione (*AAS.*, 1940, p. 144).

[3] Mal. I, 11.

vel exsules ac patria profugi, vel ignoti per alienas terras errantes, vel in custodiam traditi, vel denique quovis modo ex bellicis calamitatibus maerore sunt doloreque affecti, caelestibus recreentur muneribus ac solaciis; itemque ut tandem aliquando, tranquillatis recto ordine rebus sedatisque ac compositis christiana caritate animis, pax veri nominis universam populorum famîliam, renovata serenitate prosperitateque fruentem, fraterna consensione coniungat.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XXVII mensis octobris, in festo D. N. Iesu Christi Regis, anno MDCCCCXXXX, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. XII

37 - Suprema Sacra Congregatio S. Officii Decretum 30 oct. 1940

(*AAS* XXXII [19 nov. 1940] p. 502)

DAMNATUR OPUS CUI TITULUS: « DER CHRIST ALS CHRISTUS » AUCTORE C. PELZ

Feria IV, die 30 Octobris 1940

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii Em.mi ac Rev.mi DD. Cardinales rebus fidei ac morum tutandis praepositi, audito RR. DD. Consultorum voto, damnarunt atque in Indicem librorum prohibitorum inserendum mandarunt librum typis impressum, « pro manuscripto » vulgatum, qui inscribitur:

CAROLUS PÈLZ, *Der Christ als Christus.*

Et sequenti Feria V, die 31 eiusdem mensis et anni, Ss.mus D. N. Pius divina Providentia Papa XII in solita audientia Exc.mo D. Adsessori Sancti Officii impertita rela-

tam sibi E.morum Patrum resolutionem adprobavit, confirmavit et publicari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii die 6 Novembris 1940.

ROMULUS PANTANETTI,
Supremae S. Congr. S. Officii Notarius.

38 - Suprema Sacra Congregatio S. Officii Decretum 20 nov. 1940

(*AAS* XXXII [16 dec. 1940] p. 553)

DAMNATUR OPUS CUI TITULUS: « LA SACRA SCRITTURA. PSICOLOGIA, COMMENTO, MEDITAZIONE », AUCTORE DAIN COHENEL.

Feria IV, die 13 Novembris 1940

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii E.mi ac Rev.mi DD. Cardinales rebus fidei ac morum tutandis praepositi, audito RR. DD. Consultorum voto, damnarunt atque in INDICEM librorum prohibitorum inserendum mandarunt, *donec corrigatur*, opus quod inscribitur:

DAIN COHENEL [*pseudonimus* Sa.. DOLINDI RUOTOLO], *La Sacra Scrittura. Psicologia, Commento, Meditazione.*

Et sequenti Feria V, die 14 eiusdem mensis et anni, Ss.mus D. N. Pius divina Providentia Papa XII in solita audientia Exc. D. Adsessori Sancti Officii impertita relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem adprobavit, confirmavit et publicari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Officii, die 20 Novembris 1940.

ROMULUS PANTANETTI,
Supremae S. Congr. S. Officii Notarius.

39 - Suprema Sacra Congregatio S. Officii Decretum 2 Dec. 1940

(*AAS* XXXII [16 dec. 1940] p. 553 s.)

DE DIRECTA INSONTIUM OCCISIONE
EX MANDATO AUCTORITATIS PUBLICAE PERAGENDA.

Quaesitum est ab hac Suprema Sacra Congregatione:

« Num licitum sit, ex mandato auctoritatis publicae, directe occidere eos qui, quamvis nullum crimen morte dignum commiserint, tamen ob defectus psychicos vel physicos nationi prodesse iam non valent, eamque potius gravant eiusque vigori ac robori obstare censentur ».

In generali consessu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii, habito feria IV, die 27 Novembris 1940, E.mi ac Revmi DD. Cardinales rebus fidei ac morum tutandis praepositi, audito RR. DD. Consultorum voto, respondendum mandarunt:

Negative, cum sit iuri naturali ac divino positivo contrarium.

Et sequenti die dominica, 1 Decembris eiusdem anni, SS.mus D. N. Pius Divina Providentia Papa XII, in solita audientia Ex.mo D. Adsessori S. Officii impertita, hanc relatam Sibi E.morum Patrum resolutionem adprobavit, confirmavit et publicari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Officii, die 2 Decembris 1940.

ROMULUS PANTANETTI,
Supremae S. Congr. S. Officii Notarius.

Annotationes

1. *Inscriptio* Decreti ex eius tenore intellegitur. — *Insontium* nomine hoc loco veniunt omnes, qui « nullum cri-

men morte dignum commiserunt ». Quae fuerit *ansa* Decreti: an theorema quoddam quod spargebatur, aut praxis quae exercebatur, aut utraque ratio simul, Decreto non effertur.

2. In tenore Dubii dicitur « *num licitum sit* ». Quaestio de « liceitate » immediate est quaestio de relatione actionis ponendae vel omittendae ad *voluntatem legislatoris,* utrum hic respectivam actionem permittat an prohibeat; mediate quaeritur etiam de intrinseca *honestate* actionis. — *Legislator* de cuius voluntate hic quaeritur, non est legislator civilis, sed Supremus Legislator *Deus.* — Quaeritur dein, num *sit* licitum, non autem, num *asseratur* aut *putetur* licitum; aliis verbis: agitur de liceitate *obiectiva,* non de *opinione subiectiva,* qua quis ex dictamine conscientiae, vincibiliter vel invincibiliter erroneae, iudicet, licitum esse quod obiective licitum non est.

3. Dicitur « *directe occidere* », ut significetur: agi tantummodo de actione quae mortem non solum *efficiat,* sed etiam in eam efficiendam (sive ex natura actus positi, sive ex intentione agentis) *tendat.* « Tendit » *ex natura actus,* quotiescumque mors est actionis positae unicus effectus immediatus per se, « tendit » *ex intentione agentis,* quando eius voluntas in mortem efficiendam (sive ut in medium sive ut in finem) dirigitur; (« voluntarium in se, sed non propter se » — « voluntarium in se et propter se »). — *Indirecta occisio* habetur, quando actio posita mortem *efficit* quidem (fortasse necessario et ex natura actus), sed non « *tendit* » in eam efficiendam, neque ex natura actus neque ex intentione agentis. De occisione tantummodo indirecta sermo esse non potest, si actio mortem unicum habet effectum immediatum per se. In tali enim casu actio (sicuti quilibet motus) per unicum hunc terminum proximum, in quem dirigitur in suo esse specifico statuitur; neque intentio agentis hanc intrinsecam actus specificationem, quae ex naturali eius structura fluit, arcere vel impedire valet.

Ex dictis patet: exsecutio sententiae capitalis, a legitima auctoritate ob crimen morte dignum in malefactorem latae, est occisio directa; occisio autem indirecta est impetus in aciem hostium faciendus propriis militibus impositus. Nam etsi hoc impetu plures vel pauciores e propriis militibus occisum iri a duce certo praevidetur, tamen haec occisio ab eo nullatenus intenditur, neque ut *medium* (nam hostium exercitus non vincitur per mortem aggressorum) neque ut *finis* (nam supponere, a duce impetum eum in finem imperari, ut proprii milites occidantur, nimis absonum est).

4. Dicitur « *ex mandato auctoritatis publicae.* Quaeritur ergo in DUBIO de occisione, quam quis exsequitur *iussus a magistratu publico,* (sicuti carnifex agit in exsequenda sententia capitis).

DUBIUM ergo immediate versatur circa *mandatarium;* mediate autem, et multo magis, respicit *mandantem,* idest auctoritatem publicam, quae occidere iubet. Nam in ordine causalitatis et culpabilitatis actus ex mandato vel iussione alterius positus, multo magis refertur ad mandantem, quam ad mandatarium. Hinc, si illicitum dicitur: mandatum exsecutioni mandare, implicite et multo magis illicitum declaratur: dare tale mandatum. Ideo DUBIUM practice in duo DUBIA dissolvitur, quorum alterum est de exsequendo, alterum de dando mandato occisionis. Et in hoc secundo DUBIO latet tertia quaestio, quae est de *potestate* magistratus, ex qua iussio occidendi procedat.

Unde fluit quod, si dicitur exsecutionem mandati esse intrinsecus malam, simul enuntietur: dationem quoque mandati illicitam esse, neque auctoritati publicae competere ullam ad tale mandatum potestatem, cum ad intrinsecus illicita in magistratu publico nulla potestas esse queat.

5. Dicitur « *directe occidere eos qui... nullum crimen morte dignum commiserunt* ». DUBIUM ergo non versatur circa *ius cruentae punitionis,* quod auctoritati publicae,

si gravia crimina, poena mortis digna, patrata sunt, competere: inter catholicos dubium esse nequit. Qui talia crimina non commiserunt, hoc loco veniunt nomine « insontium », quod in inscriptione Decreti habetur.

6. Dicitur « *qui ... ob defectus psychicos vel physicos nationi prodesse iam non valent* ». Ex magno numero insontium DUBIUM immediate tantummodo determinatam quandam classem respicit nempe personarum, quae certis defectibus laborant. Nihilominus RESPONSIO, ad DUBIUM data, omnes omnino insontes comprehendit, quia ratio, ex qua procedit, de omnibus insontibus, nullo excepto, valet.

In DUBIO ex personis mancis attenduntur eae tantum, quae *ob defectus suos nationis prodesse non iam valent;* quae ergo labore suo nihil iam ad bonum commune conferre queunt. Subest DUBIO sententia: singula membra societatis ultimatim unice adesse propter societatem, prout pars unice sit propter totum, et quodlibet organum unice propter organismum totum, in cuius utilitatem totum et totaliter ordinetur; et licet per totum singulis quoque partibus provideri debeat et provideatur, tamen hanc totius circa partes curam unice fieri propter totum, cui provisum non sit, nisi singula membra suis functionibus debite satisfacere queant. Unde fluere docent: membrum particulare, quod toti organismo prodesse non iam valet, carere fine et omni ratione, cur adhuc exsistat, ideoque iure meritoque ex organismo removeri. — Ponitur secundum hanc theoriam individuum, ut membrum morale organismi moralis-iuridici, (« civitatis »), omni ex parte in una linea cum membro physico organismi physici; neglecta intrinseca differentia quae inter hos organismos habetur, speciatim quod ad relationem partis ad totum attinet.

Defectus psychici, ex quibus effectus de quo agitur oriri potest, sunt inter alia quaedam formae schizophreniae, idiotiae, cretinismi, paralysis progressivae, epilepsiae, etc. — *Defectus physici* assignari possunt: phthisis pulmonum diffusa, marasmus senilis, arteriosklerosis multum

progressa, apoplexiae, excessiva debilitas cordis, pergravia traumata, quibus homo a quovis labore praestando impeditur, quaeque sanari non iam valent, aliaque huiusmodi.

De his personis asseritur non solum: eas nationi prodesse non iam posse; sed insuper *eam gravare atque eius vigori et robori obstare*. Urgent: necesse esse, ut pro iis alendis et curandis permagnae fiant expensae, ut haud paucae personae sanae et vigentes eorum curae destinentur. Has vero personas, expensas, domus etc. membris civitatis sanis atque bono communi subtrahi, et quodammodo in vanum consumi. Bonum commune vero, vigorem ac robur nationis praevalere prae bono individuali singulorum; ideoque aequum esse: nationem ab his membris inutilibus, imo nocivis, per legitimatam euthanasiam liberari.

Cum numerus eorum qui dicto modo ex defectibus psychicis vel physicis laborent, in grandi natione non sit parvus (computantur eorum pluries dena milia et amplius), ut hi omnes « ex mandato auctoritatis publicae » e medio tollantur, revera massalis caedes ac trucidatio institui debet.

NB! Considerationes modo allatae, quae DUBIO proposito subsunt, si non applicantur ad homines, sed ad *viventia irrationalia*: reprobandae non sunt, et ab omnibus sine ulla haesitatione exsecutioni mandantur. Ita saltuarius arborem mancam caedit, ne frustra locum occupet, arbori bonae destinatum; et qui feturae et educationi pecorum praeficitur, animal mancum et insanabile tradit lanioni mactandum, ne stabulum gravet neve vigori generis educandi obstet. At *homo* nec est arbor nec brutum animal; essentialiter ab iis differt, eaque per ipsam *naturam humanam*, quam habet, superat, quantumvis per defectus psychicos vel physicos in *actione humana* impediatur. - Essentialem hanc differentiam negare vel neglegere, magna est sani iudicii aberratio.

7. *Responsio* exhibet duo: ipsam DUBII *solutionem* et *rationem*, cur ea dari debeat.

Solutio continetur uno verbo « NEGATIVE », id est: ex-

secutio talis mandati licita non est. Spectata gravitate rei de qua agitur, fortasse non nemo miratur, quod Suprema Auctoritas Ecclesiastica ad DUBIUM propositum non respondeat, nisi unum, jejunum ac aridum verbum « negative ». At, quod S. Congregatio efferre omisit, naturae humanae sana ratio unicuique facile supplet et dictat.

Responsum negativum, eodem modo atque ipsum DUBIUM, immediate est de *exsecutione* mandati, mediate vero et a fortiori de mandati *datione* necnon de *potestate*, quam tale mandatum in magistratu publico supponeret. Mediate ergo pronuntiatur: auctoritatem publicam huiusmodi potestatem non habere (cf. supra n. 4).

8. *Rationem* responsionis quod spectat, dicitur « *cum sit iuri naturali ac divino positivo contrarium* ».

Nominatur duplex ius; utrumque divinum, quia immediatum auctorem habet DEUM; at vario modo est communicatum cum homine, alterum per communicationem naturae humanae, lumine rationis ornatae (ius divinum-naturale), alterum per revelationem divinam proprie dictam, id est per locutionem DEI *attestantis*. Quoad « *id quod* » ius divinum positivum *coincidere* potest cum iure naturali; potest vero illud etiam *excedere;* at, alterum alteri contradicere numquam valet, cum repugnet DEUM sibi ipsi esse contrarium.

Quoad *directam insontium occisionem* ius naturale cum iure divino positivo coincidit. Utrumque effert: solum Deum habere dominium directum super vitam hominis; ipsi eique soli competere plenam potestatem subiciendi morti et sontem et insontem; auctoritati supremae civili a Deo concessam esse quandam potestatem super vitam *malefactorum* quos propter gravissima crimina commissa poena mortis plectere valet; haec enim potestas necessaria probatur ad rectum ordinem efficaciter tutandum, quo exsistentia et salus civitatis innititur. — Quod autem attinet ad *insontes*, utrumque ius, et naturale et divinum-positivum, statuit: nemini, neque personae privatae neque

personae publicae, neque ob bonum publicum neque ob bonum privatum ullam competere auctoritatem (sive propriam sive delegatam) directe occidendi ullum insontem. — Non desunt quidem, qui tale ius auctoritati publicae vindicare velint, ex eius necessaria boni communis cura necnon ex subordinatione individui, tamquam partis, sub societate civili tamquam toto (cf. supra n. 6 et infra n. 11). At, hi suae argumentationi subiciunt conceptum *boni communis*, non prout auctor naturae illud posuit et circumscripsit atque recta ratio detegere valet, sed quod ipsi arbitrarie secundum theoremata suae doctrinae et factionis definierunt.

Neque ad stabiliendam talem doctrinam iuvat provocare ad « *ius altius* » auctoritatis publicae, vi cuius ipsi multa competunt, quae non competunt personae privatae. Licet hoc in aliis rebus verissime dicatur, quod ad occisionem insontium attinet, auctoritas publica nihil amplius valet, quam quilibet homo privatus, excepto, quod magistratus publici, quotiescumque vitam insontis directe destruunt, gravius peccent homine privato, cum ipsis multo gravior incumbat obligatio tuendi atque defendendi insontes.

Sana ratio dein iam ex se ipsa id cognoscit, et a directa insontis occisione arcetur: quod omnis homo, cum habeat naturam humanam, *eius dignitatem participet*, quantumvis ex defectibus psychicis et physicis in activitate humana impediatur; et quod ideo numquam liceat ullum hominem aequiparare animali bruto, quod quia mancum, lanio traditur mactandum (cf. supra n. 6. NB). — Accedit, quod, teste recta ratione necnon revelatione, qui defectibus psychicis vel physicis laborant, non minus quam ceteri, *tenent ius vitae inviolabile*, quod non ab auctoritate publica, sed immediate ab Auctore naturae, Supremo omnium Domino, obtinuerunt.

9. *Revelatio*, nulla facta exceptione et distinctione, quinto decalogi praecepto, statuit: « Non occides » (Ex.

XX, 13), et magis explicite quoad insontes: « Insontem et iustum non occides » (Ex. XXIII, 7). Inter crimina dein, quae a regno Dei excludunt, S. Scriptura variis locis assignat *homicidium*, non distinguendo, qua auctoritate (publica vel privata) sit factum (cf. Rom. I, 29; Gal. V, 21; Apc. XXI, 8). — Doctrina *Ecclesiae*, prout in scholis, in concionibus, in institutione catechetica proponitur, quamlibet directam insontis occisionem dicit graviter illicitam; et ius ecclesiasticum homicidas a sacerdotio capessendo vult esse definitive exclusos. — Catechismus Romanus de homicidis haec habet: « Sunt homicidae humani generis, atque ideo naturae, hostes acerbissimi qui, quantum in eis est, universum Dei opus evertunt, cum hominem tollunt, cuius causa is omnia, quaecumque procreata sunt, se fecisse testatur; immo vero in Genesi (IX, 6) cum prohibitum sit hominem occidi, quia illum Deus ad imaginem suam et similitudinem creavit: insignem Deo iniuriam is facit, quasi violentas illi manus afferre videtur, qui eius imaginem e medio tollit » (pars III, cap. VI n. XV).

10. Unde est, quod de ipsa hominis vita multo magis valeant, quae de membrorum integritate servanda Pius XI in suis Encyclicis Litteris « Casti connubii » (de die 31 Dec. 1930) sollemnibus his verbis pronuntiavit: « Publici magistratus in subditorum membra directam potestatem habent nullam; ipsam igitur corporis integritatem, ubi nulla intercesserit culpa nullaque adsit cruentae poenae causa, directe laedere et attingere nec eugenicis nec ullis aliis de causis possunt unquam » (AAS, 22 (1930) 565). Neque minus valent atque urgeri debent quoad insontes, de quibus hic agitur, eiusdem Summi Pontificis in iisdem eius Litteris effata, quibus pro Suprema Sua potestate rectores civitatum monet de gravissima eorum obligatione tutandi infantium vitam, qui adhuc in utero matris abduntur: « Iis, qui apud nationes principatum tenent feruntve leges, oblivioni dare non licet auctoritatis publicae esse, congruis legibus poenisque innocentium vitam defendere,

idque eo magis quo minus ii, quorum vita periclitatur et impugnatur, se ipsi defendere valent, inter quos primum sane locum tenent infantes in visceribus maternis abditi. Quod si publici magistratus parvulos illos non solum non tueantur, sed, legibus suisque ordinationibus, permittant atque adeo tradant medicorum aliorumque manibus occidendos, meminerint: Deum iudicem esse et vindicem sanguinis innocentis qui de terra clamat ad coelum» (l. c., pg. 564).

11. Quod si tandem quaeritur *de radice*, ex qua illud de directa insontium occisione iudicium, quod DUBIO continetur, pullulare potuerit: huiusmodi doctrina ac praxis ultimatim procedunt ex falsis antiqui paganismi ideis de relatione hominem inter et societatem civilem, quas quidam his nostris temporibus repristinarunt, paulum modificarunt atque ulterius evolverunt. Secundum ipsos *homo individuus* ex toto et totaliter ordinatur in civitatem (populum, nationem, stirpem vel rassam) tamquam in suum finem terrestrem ultimum; a natura unice hac in terra positus est, ut suo ESSE et AGERE ad vigorem, robur, perfectionem civitatis conferat; civitas vero (populus, natio, stirps,) hac in terra sibi ipsi est finis ultimus; in nullius omnino utilitatem ac servitium ordinatur, tamquam in finem, propter quem sit et sustentetur (cf. supra n. 6).

At, obiectiva rei veritas omnino alia est. Homo ordinatur quidem in societatem civilem; nam societas civilis oritur ex necessitate naturali; at ab auctore naturae homini societas destinata et data est non ut finis, sed tamquam universale atque efficacissimum *medium naturale*, quo adiutus, ipse secundum indolem suam individualem ac socialem plene evolvi et ad perfectionem naturae pervenire valeat. Potest ergo vero quodam sensu civitas dici «*finis*», in quem ordinetur individuum; at non est nisi finis intermedius, qui ordinatur in finem altiorem, relate ad quem non habet nisi rationem *medii*. Ideo homo ex

ordinatione naturae minime sistit et haeret in naturali sua ad societatem efformandam destinatione, sed societatem, coadunatione hominum efformatam, quantitative et qualitative perfectiorem individuo, trahit ad servitium ipsius humanae naturae, quae in omnibus et singulis membris invenitur. Quapropter, si linea quaedam ducitur, qua ordo causalitatis et finalitatis, inter hominem et societatem vigens, delineetur: in initio et in fine huius lineae stat *homo;* media autem inter utrumque hunc terminum extremum ponenda est *societas,* in quam homines ordinantur tamquam in medium naturale, per homines efformandum eum in finem *ut societas inserviat hominibus,* cum eorum gratia sit et sustentetur. — Haec est doctrina, quam ultimis decenniis Summi Pontifices verbis minime ambiguiis iterum atque iterum protulerunt; iuvat videre, quae hac de re habentur in Litteris Encyclicis: Leonis XIII « Immortale Dei » (1. Nov. 1885); Pii XI « Divini Redemptoris » de die 19 mart. 1937 (AAS, 29 (1937) 79); « Mit brennender Sorge » de die 14 mart. 1937 (AAS, l. c., pg. 159-160); Pii XII « Summi Pontificatus » de die 20 Oct. 1939 (AAS, 31 (1939) 431-437). — Unde est, quod saeculis praeterlapsis a primae notae theologis relatio inter hominem et societatem civilem brevi hac formula exhibita fuerit: « *Civitas propter cives, et non cives propter civitatem* »; sensus cuius formulae, recte explicatae in sensu illorum auctorum, non est alius, atque sensus quem postea in allegatis Litteris Encyclicis Summi Pontifices sua auctoritate firmarunt.

40[1] - Suprema Sacra Congregatio S. Officii Submissionis notificatio

(*AAS* XXXII [16 dec. 1940] p. 554)

Sac. Dolindus Ruotolo (Dain Cohenel) humiliter se subiecit decreto S. Officii diei 13 novembris 1940, quo

damnatum et in Indicem librorum prohibitorum insertum est opus ab eo scriptum, cui titulus: « La Sacra Scrittura. Psicologia, Commento, Meditazione ».

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 6 dec. 1940.

ROMULUS PANTANETTI
Supremae S. Congr. S. Officii Notarius

40[2] - Suprema Sacra Congregatio S. Officii Submissionis notificatio

(L'OSSSERVATORE ROMANO, d. 11 Ian. 1941)

Sac. Carolus Pelz humiliter se subiecit decreto Sancti Officii die 30 Octobris 1940, quo damnatus et in Indicem librorum prohibitorum insertus est liber ab eo scriptus, cui titulus: « Der Christ als Christus ».

Datum Romae, ex Aedibus Sancti Officii, die 10 Ianuarii 1941.

ROMULUS PANTANETTI
Supremae S. Congreg. S. Officii Notarius.

41 - Sacra Congregatio Consistorialis Decretum circa iurisdictionem Ordinarii militaris in Italia

(*AAS* XXXII [6 iul. 1940] p. 280 s.)

L'Ordinario militare ed i cappellani militari in Italia godono della giurisdizione spirituale sulle truppe di terra, di mare e di aria, con competenze parrocchiali (*Concordato,* art. 14). Poichè, però, tale giurisdizione si esercita nel territorio delle diocesi, questa S. C. Concistoriale, con l'approvazione di Sua Santità Pio Pp. XII, allo scopo di coordinare la giurisdizione medesima con quel-

la degli Ordinari diocesani ed eliminare le eventuali interferenze, ha dichiarato e stabilito quanto segue:

1. - La giurisdizione dell'Ordinario militare e dei cappellani militari in Italia è personale. Essa si estende a tutti i militari di terra, di mare e di aria, ed anche al personale religioso maschile e femminile addetto agli ospedali militari; sono escluse, invece, le persone civili in qualunque modo appartenenti ai militari o addette all'esercito.

2. - La giurisdizione di cui sopra è cumulativa con quella degli Ordinari diocesani: però nei luoghi destinati ai militari (*caserme, aeroporti, arsenali militari, sedi di comandi, scuole militari, ospedali militari, tribunali e carceri militari* ecc., escluse quindi le abitazioni private dei militari fuori di detti luoghi destinati ai militari), ve la esercitano primieramente e principalmente l'Ordinario e i cappellani militari; secondariamente, sempre però *iure proprio*, gli Ordinari diocesani e i parroci locali, nei casi di mancanza o di assenza di detto Ordinario e cappellani militari, e presi di regola gli opportuni accordi con l'Ordinario militare, nonchè con le competenti Autorità militari.

3. - Fuori dei luoghi sopra segnalati gli Ordinari diocesani ed i parroci locali eserciteranno liberamente la loro giurisdizione sui singoli militari, tutte le volte che ne verranno richiesti.

4. - La benedizione degli stessi luoghi, nel Sabato Santo, sarà data dai cappellani militari, salvo il diritto dei parroci locali quando i cappellani mancassero, e salvo gli opportuni accordi di cui all'art. 2.

5. - La benedizione delle navi verrà impartita dall'Ordinario militare quando la cerimonia del varo sarà indetta dall'Autorità militare: che se l'Ordinario militare sarà impedito, questi ne darà avviso all'Ordinario diocesano, il quale la impartirà *iure proprio*. Quando invece detta cerimonia si compirà per iniziativa privata o di altra

Autorità non militare, la benedizione rimarrà nelle competenze dell'Ordinario diocesano.

Annotationes

Hoc decreto S. Cong. Consistorialis plura dubia solvuntur et explicantur quaedam principia:

1um. Ordinarii locorum, *iure proprio,* ut boni pastores curam spiritualem gerunt omnium fidelium, etiam militum, qui in territorio diocesis versantur, ideoque, si ibi adsunt cappellani militares, his primario modo ius et officium competit exercendi curam animarum, Ordinario autem loci et parochis obligatio manet cappellanos adiuvandi, si eorum numerus non est sufficiens, v. gr. mittendo sacerdotes ad confessiones militum audiendas, ad celebrandas aliquas missas etc. ut omnes, militiae addicti, officia vitae catholicae rite adimplere possint.

2um. In locis non destinatis militibus, sed ipsorum familiis, competentia Ordinarii loci est omnino exclusiva, sicut etiam in locis destinatis militibus, relate ad personas civiles: v. gr. erga familiares officialium.

3um. Parochi *iure proprio* benedictionem impertiunt sabbato sancto domibus militibus reservatis, si desunt cappellani militares, et hoc principium applicatur etiam sollemni benedictioni navium, modo exclusivo, si agitur de caerimoniis postulatis a fidelibus vel ab Auctoritate civili, modo cumulativo cum praecedentia Ordinarii militaris, si postulatio facta est ab Auctoritate militari.

4um. Ordinarii locorum, *iure proprio*, officium habent monendi, corrigendi, vigilandi et poenis afficiendi etiam cappellanos si, quod Deus avertat, in aliquo deliquerint. Hoc in casu applicatur canon 14 Cod. i. c. ubi sermo est de peregrinis quibus manet prohibita omnis violatio scandalosa (idque iam potius iure naturali), seu quae sit occasio ut fideles vel milites contra legem praevaricentur.

Praeterea leges speciatim statutas pro peregrinis et advenis etiam cappellani militares observare tenentur. Ita unitati disciplinae Ecclesiae et saluti omnium animarum melius provisum est.

IOANNES LO GRASSO S. I.

42 - Sacra Congregatio pro Ecclesia Orientali
Responsum
De Dignitatibus a Praelatis Ritus Orientalis Sacerdotibus alieni ritus concessis

(*AAS* XXXII [6 aug. 1940] p. 303)

Cum quaesitum fuerit: « Utrum dignitates a Praelatis ritus orientalis sacerdotibus alieni ritus concessae, facultates secum ferant quae iisdem dignitatibus in ritu concedentis adnexae sunt; an tantum insignia honoris eis tribuant »;

Sacra Congregatio pro Ecclesia Orientali respondendum censuit: *negative ad primam partem; affirmative ad secundam*, dummodo tamen agatur de insignibus liturgicis deferendis in liturgicis caeremoniis ritus eiusdem concedentis et simul habeatur consensus, saltem praesumptus, Ordinarii loci.

Datum Romae, ex Aedibus S. Congregationis pro Ecclesia Orientali, die 11 mensis Iunii a. 1940.

L. ✠ S.

IOSEPH CESARINI, *Adsessor.*

43 - Sacra Congregatio de disciplina Sacramentorum Normae Pro exsequendis Litteris Apostolicis «Qua Cura» die 8 dec. 1938 Motu Proprio datis

(*AAS* XXXII [6 aug. 1940] p. 304 ss.)

Ut ad effectum deducantur quae per Litteras Apostolicas *Qua cura* die 8 decembris 1938 Motu Proprio datas n. IV decreta sunt (*A. A. S.*, vol. XXX, pp. 410 ss.), haec S. Congregatio quae sequuntur statuit.

Caput I

De tribunali regionalis moderatore iudicibus et ministris

Art. 1. - Tribunal regionale subest auctoritati Archiepiscopi loci in quo ipsum sedem habet, qui, proinde, idem regit et moderatur nomine omnium Regionis Episcoporum, eidemque omnia iura et officia attribuuntur quae Ordinariis locorum, ad normam sacrorum canonum et *Instructionis* Sacrae huius Congregationis de disciplina Sacramentorum diei 15 Augusti 1936 circa proprium tribunal competunt, nisi aliter infra cautum sit vel subiecta materia aperte exigat.

Art. 2. - Iudices et ministri tribunalis regionalis constituentur in Coetu Regionali Exc.morum Ordinariorum Regionis, uti mandant memoratae Litterae Apostolicae Motu Proprio datae, sub n. III.

Art. 3. - Curandum erit ut electi non modo morum integritate praestent, et laurea vel salem licentia in iure canonico sint praediti, sin minus scientia et experientia iuridica *vere* polleant, sed tempus quoque sufficiens impendere valeant muneribus sibi collatis rite obeundis.

Art. 4. - Nomina eorum qui electi sint ad munera officialis (necnon, si extent, vice-officialis vel vice-officialium),

iudicum, promotoris iustitiae, defensoris vinculi (horumque, si adsint, substitutorum) cum Sacra hac Congregatione quamprimum ab Exc.mo Praeside Coetus Regionalis communicentur, una cum indicatione aetatis, studiorum, curriculi vitae necnon cum testimonio circa eorum sacerdotales virtutes, eam etiam ob causam ut Sacrae eidem Congregationi opportunitas praebeatur significandi utrum cuiusquam electorum nominationi aliquid obstet.

Art. 5. - Nominationes de quibus supra generatim ad triennium fiant, salva facultate eas confirmandi ad successiva triennia.

Art. 6. - Omnes qui tribunal regionale constituunt aut eidem opem ferunt, iusiurandum de officio rite et fideliter implendo coram Archiepiscopo sedis tribunalis regionalis, si agatur de officiali, si vero de aliis coram Ordinario eiusdem sedis vel coram iudice a quo electi sunt vel coram viro ecclesiastico ab alterutro delegato praestare debent: idque ab initio suscepti officii, si sint stabiles, aut antequam causa agi ceperit si pro peculiari causa sint constituti, aut antequam suo munere fungi incipiant, si, causa pendente, suffecti sint ad normam art. 19 *Instructionis*.

Art. 7. - Officiales, iudices, promotores iustitiae et vinculi defensores (necnon, si adsint, eorum substituti, nisi per modum actus deputati sint) ab Archiepiscopo sedis tribunalis regionalis removeri non possunt, durante munere, nisi gravi de causa et habitis prius votis totius Regionis Episcoporum.

Art. 8. - Nemo iudicis munere in causa fungi poterit qui advocati vel procuratoris munus actu exerceat in causis matrimonialibus, sive directe sive per interpositam personam, quamvis id agat apud alia tribunalia etiam Sanctae Sedis: idem valet pro iustitiae promotore et pro vinculi defensore. Iidem omnes districte etiam vetantur in quaslibet causas matrimoniales extra munus suum se quomodolibet ingerere.

Art. 9. - Archiepiscopus sedis tribunalis regionalis, collatis consiliis cum ceteris Episcopis Regionis, album procuratorum et advocatorum pro tribunali conficiendum curet iuxta art. 47-53 memoratae *Instructionis*.

Caput II

De modo procedendi in tractatione causarum matrimonialium

Art. 10. - Ut tuto procedatur in causis matrimonialibus apud tribunalia regionalia pertractandis, adamussim servetur *Instructio* supra memorata, his tantum additis aut immutatis quae infra adnotantur.

Art. 11. - Quoad competentiam tribunalis regionalis serventur normae artt. 1-12 praefatae *Instructionis*, attento quod tribunal regionale, relate ad matrimoniales causas, est commune pro dioecesibus Regionis simulque est proprium singulae cuiusque dioecesis Regionis.

Art. 12. - Causae ita inscribantur: primum ponatur nomen tribunalis regionalis, dein dioecesis celebrati matrimonii vel partis conventae, postremo titulus causae, ex. gr. « *Tribunal Siculum-Messanen. Nullitatis matrimonii* (*N. N.*) »: quando autem causa ipsa agitatur in gradu appellationis, ita inscribatur: « *Tribunal Appellationis Neapolitanum-Messanen. Nullitatis matrimonii* (*N. N.*) ».

Art. 13. - Ad Episcopum domicilii coniugum spectat iudicium ferre de exsistentia adiunctorum, de quibus in artt. 38 § 2 et 39, b) *Instructionis;* quod tamen iudicium antequam ferat, opportune cum Archiepiscopo sedis Tribunalis regionalis aget.

Art. 14. - Archiepiscopi Sedis tribunalis regionalis erit tutorem aut curatorem admittere vel designare ad normam art. 78 *Instructionis*, collatis consiliis cum Ordinario partis conventae cui tutor vel curator constituendus est.

Art. 15. - In casibus exceptis de quibus in cann. 1990-1992, quaelibet petitio remittatur ad Archiepiscopum tribunalis regionalis qui, praehabito voto Episcopi domicilii coniugum, de eadem videat ad normam tit. XV *Instructionis* citatae. Officialis vero de quo in art. 228 *Instructionis* est officialis tribunalis regionalis.

Art. 16. - Vinculi defensor facile ne omittat appellationem, de qua in art. 229 *Instructionis*, interponere ad tribunal alterius instantiae, praesertim cum agatur de impedimentis a quibus dispensari solet.

Caput III

De honorariis iudicibus et tribunalium ministris assignandis

Art. 17. - Iudicum et ministrorum tribunalis stipendia seu remunerationes et honoraria Exc.mi Ordinarii determinent in Coetibus Regionalibus, prae oculis habitis adiunctis Regionis et praesertim causarum agendarum numero: adeo ut iidem congrua mercede, adaequata operi revera tribunali impenso, donentur.

Art. 18. - Eadem emolumenta generatim moderata esse debent, attento etiam quod iudices et ministri tribunalis iam aliquo ecclesiastico beneficio provisi plerumque sunt: at simul sufficientia sint ipsa emolumenta ne iidem impediantur a servitio tribunali assidue praestando ex necessitate aliunde subsidia vitae quaeritandi.

Art. 19. - Exc.mi Ordinarii in Coetibus Regionalibus statuent (si id sibi videatur necessarium) contributionem singularum dioecesium Regionis pro expensis tribunalis regionalis, proportionatam numero causarum singularum dioecesium.

Caput IV

De taxis et expensis iudicialibus necnon de retributione procuratorum et advocatorum

Art. 20. - Exc.mi Ordinarii in Coetibus Regionalibus, probe consideratis locorum et temporum adiunctis, approbent notulam taxarum et expensarum iudicialium necnon emolumentorum ad procuratores et advocatos spectantium pro causis in tribunali regionali pertractandis; quae emolumenta, uti par est, distabunt a procuratorum et advocatorum proventibus in tribunali S. R. Rotae vigentibus (*A. A. S.*, vol. XXXI, pp. 662-625).

Art. 21. - Notula expensarum et emolumentorum, de qua in praecedenti articulo, notificetur omnibus litigantibus; Exc.mi Ordinarii autem et tribunalia prae oculis sedulo habeant praescripta art. 54 Instructionis.

Normae temporariae seu transitoriae

Quae supra statuta sunt necnon integrae Litterae Apostolicae *Qua cura* die 8 Decembris 1938 Motu Proprio datae exsecutioni mandentur trigesimo die postquam praesentes *Normae per Acta Ap. Sedis* publicatae erunt.

Nominationes iudicum et ministrorum tribunalium regionalium cum S. hac Congregatione iampridem communicatae, contra quas eadem exceptiones non moverit, probatae habentur.

Quoad causas quae dicta die pendentes in prima instantia invenientur in tribunalibus dioecesanis, ita procedatur:

1) Si libellus iam oblatus est, nec adhuc ad litis contestationem seu dubiorum concordantiam (c. 1727 Cod. I. C., art. 88 *Instructionis*) deventum sit, libellus ipse transmittatur ad competens tribunal regionale, neque de causa ulterius agat tribunal dioecesanum.

2) Si instructio processus sit tantum initiata et partes, necnon vinculi defensor et, si causae intersit, promotor iustitiae, non obstent, processus deferri potest ad tribunal regionale.

3) Causa iam conclusa (art. 177 *Instructionis*), tribunal dioecesanum sententiam definitivam edat necesse est.

4) Idem fiat, mutatis mutandis, in causis quae agitantur in gradu appellationis.

5) A sententia tribunalis diœcesani, si quidem fuit primi gradus, appellatio interponatur apud tribunal appellationis quod esset competens si eadem sententia lata fuisset a tribunali regionali primae instantiae.

Si fuerit secundi gradus, applicentur praescripta communia de quibus in artt. 212-222 *Instructionis*.

SS.mus Dominus Noster Pius Divina Providentia Pp. XII, in Audientia Exc.mo huius Sacrae Congregationis Secretario die 5 Iulii 1940 concessa, praefatas *Normas*, ab EE. PP. in plenariis Comitiis diei 28 Maii anni eiusdem probatas, benigne confirmare et ratas habere dignatus est.

Datum Romae, ex aedibus S. Congregationis de disciplina Sacramentorum, die 10, mense Iulio, anno 1940.

D. Card. Jorio, *Praefectus*.

F. Bracci, *Secretarius*.

44 - Sacra Congregatio Concilii
Resolutio 13 april. 1940

(*AAS* xxxii [25 sept. 1940] p. 374 s.)

DIOECESIS V. ... et ALIARUM

CAPITULARIS RELIGIONEM INGRESSI

Die 13 Aprilis 1940

Species facti. — Sacerdos A. P., mansionarius Capituli cathedralis V. ..., die 8 Septembris 1936 religiosam So-

cietatem S. Francisci Salesii, postulatus ineundi causâ, ingressus est. Statim idem Capitulum cathedrale conqueri coepit de eius absentia a choro, tum quia munus peculiare eidem incumbit psalmodiam ducendi, in quo munere nec ab aliis beneficiariis substitui potest, tum quia eiusdem mansionarii absentia per quinque annos protrahitur, per biennium nempe durante novitiatu, et per triennium durante professione, ad normam canonis 584 Codicis iuris canonici.

Incassum cessis pactionibus Capitulum inter et mansionarium de substitutione omnino necessaria ad huius munia saltem peculiaria obeunda, die 3 Augusti 1937 hanc Sacram Congregationem Capitulum adiit, ut quaestio definiretur.

Animadversiones. — Promulgato Codice I. C. plures huiusmodi quaestiones pertractandae ad hanc Sacram Congregationem delatae sunt, ex eo praecise ortae quod, cum canon 584 statuat « post annum ab emissa qualibet professione vacant beneficia paroecialia, post triennium cetera », quin aliquid decernat de fructibus beneficii, unusquisque in suo sensu abundare coepit. Annuente proinde Sacra Congregatione de Religiosis, quaestionem generalem pertractari opportunum visum est. Iamvero praescripto memorati canonis 584, dum plene consulitur libertati beneficiarii religionem ingressi, si fortasse iuxta canones 575 et 637 ad saeculum redire maluerit, simul et religionis ipsius utilitati cavetur, si haec ad normam horum canonum beneficiarium dimittere velit. Sed ex hoc legitime inferri non posse videtur eidem beneficiario, durante hoc temporis spatio, ius esse non solum beneficium retinendi, sed huius quoque fructus percipiendi.

De hoc Codex I. C. alte silet in iis quoque canonibus 613-625, qui de privilegiis religiosorum agunt; quo attento silentio, quaestionis resolutio a praescriptis in canone 20 repetenda est: « Si certa de re desit expressum praescriptum legis sive generalis sive particularis, norma su-

menda est .... a legibus latis in similibus, a generalibus iuris principiis cum aequitate canonica servatis, a stylo et praxi Curiae romanae, a communi constantique sententia doctorum ».

Omissis autem *legibus latis in similibus*, cum canones 420 et 421, qui uni de causis a choro excusantibus agunt, huiusmodi causam omnino praetereant, itemque omissa *communi constantique sententia doctorum*, tum veterum ante Codicem promulgatum, qui parum inter se consentiunt, tum recentiorum qui ob nuper promulgatum Codicem efformare nequiverunt communem illam et constantem in re sententiam, hoc unum superest ut norma de eadem re sumatur *a generalibus iuris principiis*, nec non *a stylo et praxi Romanae Curiae*.

Equidem quoad primam normam, *a generalibus iuris principiis* depromptam iuxta citatum canonem 20, Concilium Tridentinum (cap. 12, sess. 24 *de reform.*) decrevit ut « omnes (capitulares) divina per se, et non per substitutos, compellantur obire officia ». Quam Concilii Tridentini praescriptionem Codex I. C. in pristinum revocavit vigorem, statuens in canone 414: « Omnes et singuli qui chorale beneficium obtinent, tenentur in ipso choro divina officia persolvere », immo in canone 419 decrevit ut qui choro adstringuntur, nequeant per alium huic obligationi satisfacere nisi in casibus particularibus seu per modum actus, iusta ac rationabili de causa, et sub datis conditionibus.

Cum itaque beneficiarius religionem ingressus per se ipsum divina officia in choro obire nequeat, atque substitutum habitualem sibi constituere prohibeatur, plane fluit eundem fructus sui beneficii percipere non posse, nec ex iisdem congruam partem suo substituto praebere.

Eius enim absentia a choro, quamvis sit iusta et rationabilis, ad perfectiorem nempe vitae statum sectandum, tamen ad normam iuris non videtur *legitima*, ad effectum nempe percipiendi fructus sui beneficii. Legitima enim

ea dicitur causa, « quae est a lege approbata et in iure expressa », ut docet Garcia, tract. *de beneficiis*, part. III, cap. 2, n. 408. Deficiente autem legitima causa absentiae, beneficiarius suos non facit fructus, etiamsi absens sit propter causam rationabilem et non culpabilem.

Ex eo autem quod huiusmodi absentiae causa sit *iusta*, beneficiarius poenam non incurrit, de qua in canone 2381 n. 2, privationis nempe beneficii, sed poena improprie dicta iure plectitur, seu amissione fructuum beneficii, ad normam eiusdem canonis statuentis in n. 1: « Qui beneficium obtinet cum onere residentiae, si illegitime absit, eo ipso privatur omnibus fructibus sui beneficii pro rata illegitimae absentiae ». Ad rem audiatur Reiffenstuel, lib. III, tit. 4, *De clericis non residentibus*, n. 51: « Siquidem tum Episcopus (seu parochus) non residens, tum beneficiarius non recitans horas canonicas per leges ecclesiasticas factus est inhabilis ad acquirendos eiusmodi fructus; eo quod sacri canones impediant acquisitionem fructuum beneficialium, nisi ponatur conditio personalis residentiae, aut recitationis horarum canonicalium. Unde et privatio fructuum beneficialium, atque obligatio eosdem restituendi ante omnem sententiam iudicis, non est *poena proprie dicta*, seu talis, qua quis privatur re sua, sibique iam acquisita; sed potius imponitur ut conditio quaedam, sive modus necessario observandus, nisi ponatur praefata residentia personalis, aut recitatio horarum canonicalium. Sicut in simili contigit, quando testator reliquit cuipiam legatum sub conditione sive onere, ut aliquid faciat: *alias perdat legatum* ».

Quod confirmatur decisione huius Sacrae Congregationis in *Toletana et aliarum* diei 10 Iulii 1920. Proposito enim tunc dubio: « Utrum Codicis canon 2381 urgeat etiam in casu non residentiae non graviter culpabilis, vel materialiter tantum, non formaliter culpabilis ac notoriae », responsum prodiit: « Affirmative, dummodo ne concur-

rant causae excusantes iuxta canones 420 et 421, vel pontificium indultum ».

Qua responsione, dum decernitur ad constituendam absentiam illegitimam non requiri culpam ne levem quidem, simul confirmatur, elenchum causarum excusantium a choro, de quibus in canonibus 420 et 421, propter quas capitularis, revera absens, uti praesens habeatur per iuris fictionem, esse taxativum, et non demonstrativum tantum, quibus causis proinde nefas est alias addere causas eiusdem generis. Et iure meritoque; facillime enim excogitari possent motiva quibus minueretur absentiae imputabilitas, seu quibus cohonestaretur quaelibet beneficiarii absentia.

Et animadvertatur quod, inter has causas excusantes a choro cum iure percipiendi fructus praebendae ac distributiones quotidianas, recensetur quoque in canone 420 § 1 n. 7 vacatio piis exercitiis ad normam canonis 126, « quo tamen indulto, additur in citato can. 420, (capitulares) semel tantum in anno chori servitio liberantur ». Vacatio igitur piis exercitiis semel tantum in anno causam *iustam* simul et *legitimam* praebet absentiae capitularis a choro ad effectum percipiendi fructus beneficii et distributiones quotidianas. Attamen, si beneficiarius ipse pluries in anno pia exercitia peragere vellet, causam quidem haberet iustam, immo sanctam abessendi a choro, quapropter mulctari nequiret privatione beneficii ad normam n. 2 memorati canonis 2381, minime vero causam *legitimam;* ideoque ipso iure et facto non tantum distributiones quotidianas amitteret, sed omnes quoque fructus beneficii pro rata illegitimae absentiae.

Accedit quod in canone 570 § 1 statutum sit quod « nihil pro impensis postulatus vel novitiatus exigi potest ».

Hucusque expositis contradicere non videntur ea quae Bonifacius VIII et Benedictus XIV in subiecta materia rescripserunt, quaeque praecipua documenta veteris iuris constituunt. Equidem Bonifacius VIII in cap. *Beneficium*

4, *de regularibus* in VI statuit: « Beneficium illius qui religionem ingreditur, non est intra probationis annum alicui conferendum... Sed interim eidem beneficio per alium deserviri debebit, assignata sibi congrua de ipsius proventibus portione ».

Et Benedictus XIV in Brevi *Ex quo* diei 24 Ianuarii 1747: « De beneficiorum vacatione in iure statutum habemus, eam non induci per solum ingressum in religionem sed per professionem regularem dumtaxat...; interim, quoad beneficia choralia, relictis tyroni religioso, qui choro interesse nequit, ipsius beneficii fructibus ».

Verum, praetermisso quod auctores clarae notae haec documenta diversimode interpretati sunt, ex. gr. Garcia (*de beneficiis ecclesiasticis*, tom. II, cap. 9, n. 27) et Riganti (*in Regulam 46 Cancellariae*, III, n. 20) contra Suarez (*de religione*, tom. III, lib. 5, cap. 16, n. 12) et Sanchez (*de praeceptis decalogi*, tom. II, lib. 7, cap. 4, n. 14), illud est quam maxime animadvertendum mutationem maximi momenti nunc factam esse; quapropter, mutatis rerum adiunctis, eadem iuris principia iisdem aptari nefas esse, iuxta illud: « distingue tempora et concordabis iura ».

Iamvero temporibus Bonifacii VIII et Benedicti XIV beneficium etiam capitulare nonnisi uno anno probationis seu novitiatus vacabat, dum inducta a Pio IX professione simplici trium annorum, et attento Codicis praescripto in canone 584, per quinque fere annos beneficium vacaret, triennio nempe a qualibet professione religiosa, et altero saltem anno pro novitiatu perficiendo ad normam canonum 555, 571. Perperam proinde invocantur veteris iuris principia, eo vel magis quod perspicuum est, Codicem materiam beneficialem penitus innovasse. Fortasse ad rem facere videtur praescriptum canonis 6 n. 6: « Si qua ex ceteris disciplinaribus legibus, quae usque adhuc viguerunt, nec explicite nec implicite in Codice contineatur, ea vim omnem amisisse dicenda est ».

Neque ex adverso aliquid opponi posse videtur ex eo quod vi canonis 584 beneficiarius religionem ingressus retinet titulum sui beneficii, quod non vacat nisi post triennium ab emissa professione religiosa, et « quilibet beneficiarius, capta legitime beneficii possessione, omnibus iuribus fruitur tam temporalibus quam spiritualibus, quae beneficio adnexa sunt », ut in canone 1472 statuitur. Haec iura enim sunt correlativa officiis, inter quae praecipuum est servitium chorale. At, cum beneficiarius religionem ingressus proprio marte in ea condicione versetur ut eadem adimplere nequeat, nulla suppetit ratio cur iuribus sui beneficii fruatur. Ad rem apte veniunt ea quae S. Alphonsus scripsit de residentia pastorum: (« Ad residentiam) quidem non alia ratione tenentur quam contractus initi inter ipsos et Ecclesiam, ex quo dantur eis fructus beneficiorum sub conditione residentiae; qua non impleta, nullo modo pastores tales fructus acquirunt. Praesumptio autem illa quod Ecclesia fructus remittat illis qui sine culpa non resident, valde dubia est; immo potius praesumitur Ecclesia oppositum velle, ne pateat via ad eludendam hanc residentiam tam rigorose ab ipsa Ecclesia requisitam » (*Theolog. moral.*, lib. IV, n. 127).

Alia tandem norma antea relata, sumenda nempe, iuxta citatum canonem 20, a stylo et praxi Curiae Romanae, ubi expressum legis praescriptum desit, huc usque expositis favet omnino. Praxis enim fuit, eaque constans huius Sacrae Congregationis ante et post Codicis promulgationem, ut beneficiariis religionem ingressis, favente Capitulo et Ordinario loci consentiente, indulta concederentur percipiendi fructus praebendae, imo quandoque et distributiones ipsas quotidianas, attentis peculiaribus rerum adiunctis. Quod perperam factum fuisset, si beneficiarius hoc iure, lege ipsa dictante, frueretur.

Resolutio. — In plenariis autem Comitiis die 13 Aprilis 1940 habitis, E.mi Patres huius Sacrae Congregationis ad propositum dubium: *An capitularis religionem ingres-*

sus ius habeat ad fructus beneficii, antequam hoc vacet ad normam canonis 584 Codicis I. C., responderunt: *Negative, salvo apostolico indulto.*

Quam resolutionem in audientia diei 19 eiusdem mensis, referente subscripto Sacrae Congregationis Concilii Secretario, Ss.mus Dominus Noster Pius Pp. XII approbare et confirmare dignatus est.

I. Bruno, *Secretarius.*

45 - Sacra Congregatio de Propaganda Fide Decretum 29 oct. 1939

(*AAS* xxxii [25 maii 1940] p. 197 s.).

SEMINARIUM YARUMALENSE PRO MISSIONIBUS A S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE IURISDICTIONE DEPENDENS DECLARATUR.

Huic Sacro Consilio Christiano Nomini Propagando preces nuper oblatae sunt ut *Seminarium Yarumalense*, in columbiana dioecesi S. Rosae de Osos anno 1927 erectum, quod hucusque sub dependentia S. Congregationis Seminariis atque Studiorum Universitatibus praepositae permansit, Seminarium Missionale declararetur et in dicionem huius S. Consilii transferretur.

Re mature considerata et eiusdem Seminarii Constitutionibus vigentibus perpensis atque attento erectionis Decreto S. Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus in Audientia diei 29 Iunii 1937 a Ss.mo Domino Nostro Pio Div. Prov. Pp. XI ratihabito, hoc idem S. Consilium, vi facultatum sibi a Ss.mo Domino Nostro Pio Pp. XII concessarum, Seminarium, de quo agitur, in Seminarium Missionale a se dependens hoc Decreto erigit, sub titulo: *Seminarium Yarumalense* pro Missionibus

ad exteras gentes, eidemque omnia iura et privilegia quibus eiusmodi Instituta fruuntur attribuit.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, die 29 mensis Octobris, in Festo Christi Regis, anno Domini 1939.

P. Card. Fumasoni Biondi, *Praefectus.*

L. ✠ S.

† Celsus Constantini, Archiep. tit. Theodos., *Secret.*

Annotationes

Seminarium Yarumalense pro Missionibus egregium opus personale appellari potest Ill.mi D.ni *Michaelis Angeli Builes,* Episcopi Sanctae Rosae de Osos in republica Columbiana. Conceptum ab ipso, paucis post suam consecrationem episcopalem diebus, durante primo congressu nationali Missionum in civitate Bogotana splendide celebratum mense Augusto 1924, in praxim redactum 29 Junii 1927 per decretum episcopale erectionis Seminarii in civitate Yarumal cum approbatione Exc.mi D.ni Pauli Giobbe, Nuntii Apostolici in illa republica, laudatum denique a Pio XI, tum initio ut significavit Cardinalis Gasparri in litteris 30 Ianuarii 1928 ad Episcopum Builes missis, tum in audientia concessa huic Praelato versus finem 1929, mirificam annis proxime subsequentibus foecunditatem ostendit.

Post visitationem personalem Seminarii ab Ex.mo Nuntio mense Octobri 1933 et a P. Iosepho de Leigneil, Visitatore Seminariorum in Columbia, Septembri 1935 factam, Sacra Congregatio de Seminariis et Studiorum Universitatibus decretum erectionis Seminarii, post approbationem Pontificis die 29 Junii 1937 illius S. Congregationis Secretario significatam, emisit. In communicatione vero il-

lius Pontificiae gratiae quam citissima redactio statutorum pro tali Seminario urgebatur.

Mense Julii 1937, Seminarii hospes exstitit D. Ioannes de Unzalu, a S. C. de P. F. delegatus ad magnum iter promissionale per nationes hispano-americanas, qui summopere rem commendavit S. Congregationi.

Tandem, die 25 Septembris 1938, septem primi Seminarii sacerdotes sacram ordinationem receperunt, cum numerus alumnorum attigerit 134, et appositi aedificii constructio progrederetur. Cum vero favor populi et cleri, numerus vocationum et fervor Seminarii, ulteriorem et definitivum stadium quasi necessarium redderet, quam citissime illud inducitur per decretum quod commemoramus S. C. de P. F., 29 Octobris 1939, per quod Seminarium missionale pleno iure declaratur.

In hac ipsa ephemeride [1], quando communicabatur immediata subiectio S. C. de P. F. Collegii pro missionibus exteris Ord. FF. MM. Capuccinorum, Panormi exstantis, et donatio « omnium iurium et privilegiorum eiusmodi Collegiis » iam concessorum, pro commentario fuerat adiunctum: « Nullus adhuc exstat elenchus iurium et privilegiorum collegiorum S. C. P. F. ».

Hoc autem adhuc verum remanet. Ergo consulere necesse est collectiones Bullarum et Actorum a S. C. de P. F. editas, ut aliqua idea talium privilegiorum efformari possit. Plurima fuerunt et sunt talia Collegia, sed plura non amplius subiecta S. C. de P. F. ex mutationibus inductis in extensionem territorialem iurisdictionis huius S. C. Sed concessiones eius dicionis Collegiis factae, non videntur revocatae, nisi forte aliquando ex directo interventu Iuris.

Fundationes Collegii Germanici Romae, aliae plures subsequutae sunt, tum pro regionibus septentrionalibus protestantismo pervasis, tum pro catholicis rituum orientalium, etiam ante ortum S. C. de P. F. anno 1622, quae qui-

---

[1] Cf. vol. XV (1924) p. 246-247.

dem quamplurimis gratiis et privilegiis ditatae sunt. Orta iam S. Congregatione, evenit fundatio Collegii Urbani de Prop. Fide (kal. Augusti 1627) per Bullam « Immortalis Dei », quod in pluribus quasi characteristicum existit talium institutionum, et illi tribuuntur omnia privilegia, exemptiones, libertates, facultates, gratiae, et indulta « quibus studium generale dictae Urbis [Romae], et alia Germaniae, Angliae et Graeciae nationum Collegia... quovis modo utuntur, potiuntur et gaudent... non solum ad eorum instar, sed aeque principaliter et pariformiter in omnibus et per omnia... » [2].

Praeter peculiares gratias spirituales et indulgentias ipsis concessas, praecipua privilegia consistunt in exemptione alumnorum a iurisdictione Ordinariorum suorum donec in Collegiis pergant, et in facultatibus amplissimis quoad ordinationes sacras extra tempora, sine titulo patrimonii aut beneficii, aliquando sine litteris dimissoriis Ordinariorum, etc...

Saepe declaratur quod « Rector, Magistri, alumni, ministri, a quacumque iurisdictione eximuntur » [3].

Alia particularia pro singulis Collegiis aut Seminariis in appositis concessionibus sive ordinationibus vel regulis propriis, a S. C. de P. F. approbatis, conceduntur.

Ceterum, ut palam in decreto erectionis exprimitur, « Seminarium Yarumalense pro missionibus ad exteras gentes », ex dependentia, per brevissimum tempus protracta, S. C. de Seminariis et Studiorum Universitatibus, in dicionem transit S. C. de P. F., a qua in omnibus dirigetur, tam in re spirituali quam scientifica, utpote aptior tum ad haec, tum ad futuras necessitates in campis missionum occurrentibus dilucidandas [4].

---

[2] « Iuris Pontificii de Propaganda Fide » pars prima, vol. I, p. 91.

[3] Cf. « Bullarium S. C. de P. F. », t. I, p. 71, 253, 255.

[4] Cf. « Collectanea S. C. P. F. » vol. II, p. 145, declarationem eiusdem S. Congregationis, circa iurisdictionem ipsius relate ad Collegia pro Missionibus.

Seminarium Yarumalense est primum Seminarium Missionale in Ibero-America.

LEO LOPETEGUI S. I.

46 - Sacra Congregatio de Propaganda Fide Decretum 9 april. 1940

(*AAS* XXXII [25 sept. 1940] p. 381 s.).

DECRETUM

DE IURAMENTO SUPER RITIBUS MALABARICIS A MISSIONARIIS IN INDIIS ORIENTALIBUS PRAESTANDO.

Super dubium: « Utrum, abolito *iuramento super ritibus sinensibus*, opportunum sit dispensare etiam missionarios in Indiis Orientalibus a *iuramento super ritibus malabaricis* » Eminentissimi ac Reverendissimi Patres huic Sacro Consilio Christiano Nomini Propagando praepositi, in plenariis comitiis die 8 decurrentis mensis Aprilis habitis, respondendum censuerunt:

Affirmative, firma obligatione de cetero observandi praescripta Benedicti XIV, quatenus a Sancta Sede non immutata.

Quam Em.orum Patrum sententiam Sanctissimo Domino Nostro Pio Div. Prov. Papae XII, ab infrascripto huius Sacrae Congregationis de Propaganda Fide Secretario, in Audientia hodierna die relatam, Sanctitas Sua in omnibus dignata est adprobare et ratam habere, ac praesens super re decretum edi iussit.

Datum Romae, ex Aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide, die 9 mensis Aprilis, A. d. 1940.

L. ✠ S.

P. Card. FUMASONI BIONDI, *Praefectus*.

† CELSUS COSTANTINI, Archiep. tit. Theodos., *Secretarius*

Annotationes

Neminem sane ex nostris lectoribus latet Sacram Congregationem de Propaganda Fide, approbante Summo Pontifice Pio Papa XI, die 8 decembris anni 1939, Instructionem edidisse de abolendo iureiurando circa ritus sinenses [1]. Edita ergo hac Instructione, statim examini subiicienda venit et altera quaestio huic affinis, de abolendo nempe iureiurando circa ritus malabaricos in India. Novo igitur hoc eiusdem Sacrae Congregationis decreto, et huic quaestioni eadem datur nunc solutio.

Quam ob rem, ad meliorem huiusmodi documenti intelligentiam, quaedam historica facta hic breviter recolenda esse videntur [2].

Ritus malabarici nomen acceperunt a provincia malabarica cui pertinebant in India sacrae illae expeditiones, Societatis Iesu sodalibus concreditae, apud quas quaestio illa mota est. Primam huius rei originem invenimus in ratione peculiari Evangelium propagandi, qua usus est celeberrimus ille P. Robertus De Nobili S. I., Italus, natus anno 1577 et Goam anno 1605 appulsus. Cum enim fungeretur missionarii munere apud Madurenses, statim intellexit necessitatem omnimodam non quidem penitus removendi sed potius et melius innocuos ac legi christianae conformes reddendi aliquot mores quibus Bramini tenacissimo modo adhaerebant; non enim aliter ad Christum profitendum adduci poterant. Ceterum nec alio modo se gesserunt Apostoli eorumque successores in omnibus quidem orbis locis et praesertim Romae. Mores autem huiusmodi erant verbi causa: usus funiculum ab humeris pendentem ferendi; crinis coactus in nodum (*kuduini*); balnea; impositio aureae tesserae nuptialis seu *tali* non ta-

[1] Cf. *Acta Apostolicae Sedis*, 1940, p. 25.

[2] Qui plura de hac re quaerit, legat quae de eadem quaestione edidi in *Civiltà Cattolica*, 1940, II, pp. 331-340, 424-431.

men superstitiosi; omissio salivae, quae Indis stomachum movebat, in solemni collatione baptismatis; usus cinerum et pigmenti ex arbore « sandal ». Haec autem omnia, non utique sine quibusdam discerptationibus, practice Romae anno 1623 probata sunt et ideo neophytis concessa tum ab ipso De Nobili tum, decurrente saeculo XVII, ab eius successoribus.

Ineunte tamen saeculo XVIII, difficultates non paucae ortae sunt. Anno enim 1699, a Ludovico XIV Galliae Rege missi, Pondicherium (Pondichéry) in India pervenerunt quidam missionarii e Societate Iesu, natione Galli; anno vero 1701 in eamdem urbem redierunt religiosi illi qui ante adventum iesuitarum illic degebant. Inde contentio inter utrosque de iuribus paroecialibus orta est, immo a religiosis non-iesuitis Romam disiudicanda delata est. Quaestioni autem de iurisdictione aliam longe graviorem addiderunt recurrentes, iesuitas deferentes tamquam permittentes neophytis suis mores quosdam ethnicos. Qui procul dubio alii esse non poterant nisi illi, superius summatim adumbrati, qui ante 80 annos iam Romae probati fuerant.

Cum autem eodem tempore RR. DD. De Tournon, Sabaudus, Legatus a Pontifice in Sinas ad solvendam salebrosam illam quaestionem de ritibus sinensibus mitteretur, ei etiam commissum est munus et hanc novam quaestionem in Indiam iter faciens solvendi. Legatus vero, Pondicherium die 6 novembris anni 1703 appulsus, postquam insufficientem, ut videtur, informationem a missionariis non-iesuitis et a duobus nativis qui et ipsi torvo oculo iesuitas aspiciebant, assumpserit [3], die 8 iulii anni 1704, decretum promulgavit quo 16 puncta de his moribus damnabat. Eum tamen certiorem facientibus non omnia ista a iesuitis tolerari et ideo incassum damnata esse, respondebat se haec prohibuisse « non quod fiant, sed ne fiant ». Hoc autem agendi modo nemo est qui non videat

[3] Cf. *Civiltà Cattolica*, 1940, II, pp. 339-340.

et alia multo plura prohiberi potuisse, quae tamen a nullo tolerabantur et a nemine in dubium revocabantur .

Missionarii e Societate Iesu cum a Legato auditi non fuerint, Summum Pontificem pro sui defensione appellaverunt. Igitur die 23 iulii anni 1708 Clemens XI, vivae vocis oraculo, declaravit eos teneri quidem ad observandum Legati decretum, non tamen teneri ad id quod conscientia gloriae Dei aut animarum saluti contrarium iudicaret. Praxi igitur idem fere toleratum est post decretum quod et ante illud. Inde accusatio mota contra iesuitas quasi sustinerent Legati decretum revocatum esse. Quod quidem firmiter ab auctoritate romana negatum est, dum vicissim iesuitae facta rei declararent. Cum autem anno 1734 novo examini Romae subiectum sit Legati decretum, plura in eo puncta quae iesuitis opponebantur et in quibus ipsi propriam innocentiam asseverabant, mitigata sunt.

Haec rei solutio missionariis e Societate Iesu placuit ideoque eam e suggestu christianis promulgaverunt Pondicherii. At propter commercii epistolaris impedimenta testimonium eorum acceptationis serius Romam allatum est. Ideoque passim dictitarunt iesuitas novam romanam solutionem noluisse recipere. Hac de causa, Clemens XII, cuius bona fides decepta esse videtur, anno 1739 quos inobedientes putabat vehementer redarguit, omnibusque missionariis in India praecepit iusiurandum dare de ritibus malabaricis non tolerandis.

At re quidem vera nemo extra iesuitas et missionarios missionum exterarum parisiensium huiusmodi iusiurandum praestitit. Hodie ex 60 dioecesibus vel missionibus in India, tantum 26, quae labente tempore ortum habuerunt ex illis missionibus in quibus haec quaestio olim mota est, illud dare debuissent. Praxi tamen nonnisi 15 illud dare solebant. Mutatis ergo adiunctis quae huic quaestioni ansam dederunt, mutatisque omnino temporibus, decebat sane huiusmodi iusiurandum delere. Quod quidem

supra relato decreto, approbante Summo Pontifice Pio XII, auspicato factum est.

PASCHALIS M. D'ELIA S. I.

47 - Sacra Congregatio Rituum
Benedictio nosocomiorum aliarumque domorum aegrotis curandis

(*AAS* XXXII [25 maii 1940] p. 212)

Ant. Omnes male habéntes Christus curávit: ipse infirmitátes nostras accépit, et aegrotatiónes nostras portávit (*Matth.*, VIII, 17).

Ps. 6. Dómine, ne in furóre tuo arguas me * neque in ira tua corrípias me.

Miserére mei, Dómine: quóniam infírmus sum: * sana me, Dómine, quóniam conturbáta sunt ossa mea.

Et ánima mea turbáta est valde: * sed tu, Dómine, úsquequo?

Convértere. Dómine, et éripe ánimam meam: * salvum me fac propter misericórdiam tuam.

Quóniam non est in morte qui memor sit tui: * in inférno autem quis confitébitur tibi?

Laborávi in gémitu meo, lavábo per síngulas noctes lectum meum: * lácrimis meis stratum meum rigábo.

Turbátus est a furóre óculus meus: * inveterávi inter omnes inimícos meos.

Discédite a me omnes, qui operámini iniquitátem: * quóniam exaudívit Dóminus vocem fletus mei.

Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam: * Dóminus oratiónem meam suscépit.

Erubéscant et conturbéntur veheménter omnes inimíci mei: * convertántur et erubáscant valde velóciter.

Glória Patri, *etc.*

Repetitur Antiphona.

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.

℟. Qui fecit coelum et terram.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus

Deus qui mirabíliter hóminem creásti, et mirabílius reformásti, atque váriis infirmitátibus, quibus humána fragílitas detinétur, multíplici remédio succúrrere dignátus es; tuam sanctam bene✠dictiónem super hanc domum benígnus infúnde, ut ægrórum, huc adveniéntium, córpori et ánimæ ipse medeáris, tua eos patérna pietáte custódias, ac post vitae cursum ad gáudia tránsferas sempitérna. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Orémus

Dómine Jesu Christe, infirmitátis nostrae solámen et salus, qui Petri socrum et Réguli fílium a magnis fébribus liberásti, paralýticum roborásti, leprósos mundásti, Centuriónis púerum sanásti, mulíerem a fluxu sánguinis salvásti, ad piscínam jacéntem lánguidum erexísti, civitátes et castélla circúmiens omnem languórem et infirmitátem curásti: béne✠dic, quaesumus, et sanctí✠fica domum istam; ut omnes infírmi hic moratúri, ab omni aegritúdine leváti, mentis et córporis sanitáte donáti, poténtiam tuam perpétuo váleant collaudáre. Qui vivis et regnas in sæcula saeculórum.

℟. Amen.

Deinde aspergit præcipua nosocomii loca Aqua benedicta et subjungit:

℣. Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam.

℟. Et salutáre tuum da nobis.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.

℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus

Omnipotens sempitérne Deus, qui aegritúdines animárum depéllis et córporum, auxílii tui super infírmos osténde virtútem, ut ope misericórdiae tuae ad ómnia pietátis tuae reparéntur offícia.

Concéde nos fámulos tuos, quaesumus, Dómine Deus, perpétua mentis et córporis sanitáte gaudére, et, gloriósa beátæ Maríae semper Vírginis intercessióne, a praesénti liberári tristitia et aetérna pérfrui laetítia.

Deus, qui nos miro Angelórum ministério custódis et gubérnas, huic quoque dómui Angelum tuum députa custódem, qui ab ea omnes repéllat potestátes; ut aegróti in ea jacéntes ab omni formídine et perturbatióne protécti, prístinae reddántur sanitáti.

Deus, qui ineffábili providéntia Joseph sanctíssimae Genitrícis tuae Sponsum elígere dignátus es; praesta quæsumus; ut quem protectórem venerámur in terris, intercessórem habére mereámur in cælis.

Deus, misericordiárum Pater, per mérita et intercessiónem Sanctórum Camílli et Joánnis de Deo, quos víscera misericórdiae indútos, infirmórum adjutóres et consolatóres effecísti: aegrótis in hac domo curándis propítius adésse dignéris; ut a córporis languóribus erépti, ánimi mœróribus subleváti, ad prístinam rédeant sanitátem et débitas misericórdiæ tuæ gratiárum júgiter réferant actiónes. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

URBIS ET ORBIS

Instante Rev.mo P. Praefecto Generali Clericorum Regularium Infirmis Ministrantium, Sacra Rituum Congrega-

tio, vigore facultatum sibi specialiter a Sanctissimo Domino nostro Pio Papa XII tributarum, suprascriptam formulam benedictionis Nosocomiorum aliarumque domorum aegrotis curandis, probavit et adhibendam benigne concessit. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 18 Iulii 1939.

C. Card. Salotti, *Praefectus*.

L. ✠ S.

A. Carinci, *Secretarius*.

48 - Sacra Congregatio Rituum
Ritus benedictionis papalis super populum elargiendae servandus a sacerdotibus quibus a S. Sede huiusmodi facultas indulta est.

(*AAS* xxxii [25 maii 1940] p. 199 ss.).

1. *Admoneatur populus de ecclesia, die et hora, qua dabitur pontificia Benedictio. Postquam populus ad ecclesiam convenerit, ad contritionis et devotionis sensus pio brevique sermone excitetur. Mox vero Sacerdos, nullis circumstantibus ministris, superpelliceo et stola alba indutus, ante altare genuflexus, sequentibus versibus Dei opem imploret.*

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.

℟. Qui fecit cœlum et terram.

℣. Salvum fac pópulum tuum, Dómine.

℟. Et bénedic hereditáti tuæ.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Deinde stans sequentem recitet orationem:

Oratio

Omnípotens et miséricors Deus, da nobis auxílium de sancto, et vota pópuli huius in humilitáte cordis véniam

peccatórum poscéntis tuámque benedictiónem præstolántis et grátiam, cleménter exáudi: déxteram tuam super eum benígnus exténde, ac plenitudinem divínæ benedictionis effúnde, qua, bonis ómnibus cumulátus, felicitátem et vitam consequátur ætérnam. Per Christum Dóminum Nostrum.

℟. Amen.

2. *Postea ad cornu Epistolae accedat; ibique stans, una benedictione, unico videlicet signo crucis, benedicat, proferens alta voce haec verba:*

Benedícat vos omnípotens Deus, Pater, et Fílius, et Spíritus Sanctus. Amen.

3. *Sacerdotes qui facultate gaudent impertiendi Benedictionem Papalem formulam praescriptam servent; hac facultate non utantur nisi in designata ecclesia; non autem eodem die et loco quo Episcopus eam impertiat.*

URBIS ET *ORBIS*

Cum ex benigna Summi Pontificis concessione Sacra Paenitentiaria Apostolica, peculiaribus in adiunctis et circumstantiis extra ordinem concurrentibus, facultatem Benedictionem Papalem una cum Indulgentia plenaria impertiendi sacerdotibus concedere soleat, E.mus et R.mus D. Cardĭnalis Lauri, Sanctae Romanae Ecclesiae Camerarius et Paenitentiarius Maior, Sacram hanc Rituum Congregationem rogavit ut formulam, qua praefata Papalis Benedictio fidelibus impertiri posset, statuere dignaretur.

Sacra autem Rituum Congregatio, prae oculis habens ritum, qui in ipso Rituali Romano (tit. VIII cap. 32) invenitur, Regularibus utique concessum, Benedictionis Apostolicae statis diebus super populum elargiendae, audito Specialis Commissionis Liturgicae suffragio, huius ritus formulam in posterum ad omnibus sacerdotibus, sive saecularibus sive regularibus, qui speciali Sedĭs Apostolicae gaudent Indulto Benedictionem Papalem cum Indulgentia

plenaria elargiendi. adhibendam ac servandam esse retinuit.

Facta autem supra his omnibus, ab infrascripto Cardinali Sacrorum Rituum Congregationis Praefecto relatione Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae XII, die 6 Martii 1940, Sanctitas Sua votum Sacrae Congregationis benigne approbavit illudque publici iuris fieri mandavit. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae ex Sacra Rituum Congregatione, die 12 Martii a. 1940.

✠ C. Card. Salotti, Episc. Praenest., *Praefectus.*
L. ✠ S.

A. Carinci, *Secretarius.*

49 - Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal Normae datae die 22 augusti 1940

AD EM.MUM AC R.MUM D. CARDINALEM PATRIARCHAM LISBONENSEM ATQUE EXC.MOS AC R.MOS ARCHIEPISCOPOS ET EPISCOPOS REIPUBLICAE LUSITANAE: CIRCA APPLICATIONEM ART. XXV CONCORDATI INTER SANCTAM SEDEM ET IPSAM REMPUBLICAM LUSITANAM.

Ad normam sollemnium nuper inter Sanctam Sedem et Rempublicam Lusitanam feliciter initarum conventionum Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal munus adsumit sibi art. XXV Concordati commissum, quod ita iubet:

« O conhecimento das causas concernentes á nullidade do casamento católico e á dispensa do casamento rato e não consumado, é reservado aos tribunais e repartições ecclesiásticos competentes.

As decisões e sentenças destas repartições e tribunais, quando definitivas, subirão ao Supremo Tribunal da As-

sinatura Apostólica para verificação, e serão, depois, com os respectivos decretos daquêle Supremo Tribunal, transmittidas, pela via diplomática, ao Tribunal da Relação do Estado, territorialmente competente, que as tornará executivas e mandará que sejam averbadas nos registos do estado civil, á margen da acta do casamento ».

Itaque, dum gratias Deo immortali reddimus quod nobili Lusitanorum genti renovatam firmatamque donaverit Ecclesiam inter et Civitatem pacem et concordiam, nostrum ducimus Ordinariis eiusdem gentis rationem indicare ac viam ad exsecutionem civilem sententiarum et rescriptorum quae ab ecclesiasticis Tribunalibus aut Sacris Romanis Congregationibus edita fuerint in re matrimoniali ad mentem eiusdem Concordati. Haec igitur teneantur:

I. Ordinarius tribunalis primi gradus, aut Ordinarius qui curat exsecutionem pontificiae dispensationis super matrimonio rato et non consummato, sententiam exsecutivam aut dispensationis rescriptum mittendum curabit ad Supremum hoc Signaturae Apostolicae Tribunal una cum informationibus quas duxerit opportunas.

II. Quod si agatur de exsequenda sententia, Ordinarii litteris adnectenda praeterea erunt quae sequuntur:

a) celebrati matrimonii actum in exemplari authentico e regestis paroecialibus exscripto;

b) declaratio tribunalium cuiusque gradus, ex qua appareat quo titulo sese quodque competens ad eam causam cognoscendam iudicaverit (ex. can. 1964, 1594);

c) declaratio uti supra, unde constet citationes rite in unoquoque cognitionis gradu factas esse (ex can. 1711 et seqq.);

d) declaratio uti supra, unde constet utrum partes per se steterint in iudicio an per legitimum tutorem, curatorem, procuratorem, praesertim attento can. 1646 et seqq., vel forte fuerint contumaces declaratae, attento can. 1729, 1842 et seqq.;

e) declaratio Defensoris vinculi in ultimo cognitionis gradu, unde constet ipsum sese ab appellando ad normam can. 1987 abstinuisse;

f) indicatio tribunalis Appellationis (Tribunal da Relação) Status Lusitani, cui ad normam citati articuli XXV spectet exsecutio civilis.

Documentum sub littera *a*) in separato folio adnectetur: declarationes sub litteris *b*), *c*), *d*), *f*) inseri poterunt in litteris quibus Ordinarius acta comitatur: declaratio sub littera e) poterit esse vel in folio separato exarata vel ad calcem sententiae adiecta. At declarationes sub litteris *b*), *c*), *d*) omitti poterunt, si de re constet ex ipso sententiae textu.

III. Si vero agatur de dispensatione super matrimonio rato et non consummato, Ordinarius qui eius exsecutionem curat informationis litteris, quibus rescriptum comitatur, adnectet documentum de quo sub littera *a*) simulque declarationes uti sub litteris *c*), *d*), *f*).

IV. Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, omnibus expeditis et accepta a civili Appellationis Tribunali peractae exsecutionis notitia, certiorem de re faciet competentem Ordinarium, qui eam cum partibus communicare curabit.

Datum Romae, ex aedibus Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae, die 22 mensis Augusti a. 1940.

H. Card. Gasparri, *Praefectus*.

L. ✠ S.

F. Morano, *a Secretis*.

50 - Pontificia Commissio ad Codicis Canones authentice interpretandos Responsa ad proposita dubia

E.mi Patres Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos, propositis in plenario coetu quae sequuntur dubiis, responderi mandarunt ut infra ad singula:

I - DE TRANSITU AD ALIUM RITUM

D. An mulier latina, quae vi canonis 98 § 4 declaret se velle transire *in matrimonio ineundo* ad ritum orientalem viri, adhuc teneatur ad formam celebrationis matrimonii, de qua in canone 1099 § 1 n. 3.

R. Affirmative.

II - DE DISPARITATE CULTUS

D. An ab acatholicis nati, de quibus in canone 1099 § 2, ad normam canonis 1070 subiiciantur impedimento disparitatis cultus, quoties cum parte non baptizata contraxerint.

R. Affirmative.

III - DE TRIBUNALI COMPETENTE

D. Utrum in controversia, quae ad normam canonis 1572 § 2 dirimenda defertur ad dioecesanum tribunal, Episcopus *convenire* tantum, an etiam *conveniri* possit.

R. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Datum Romae, e Civitate Vaticana, die 29 mensis Aprilis, anno 1940.

M. Card. Massimi, *Praeses.*

L. ✠ S. I. Bruno, *Secretarius.*

Annotationes

I - DE TRANSITU AD ALIUM RITUM

Cum responso Pontificiae Commissionis nondum dato vel cognito, de hac quaestione iam bis scripserimus, breviter tantum hic de ea sermonem facimus [1]. Qui can. 1099, § 1. n. 3 Cod. I. C. legit, facile sibi persuadebit matrimonium quod contrahitur inter partes quarum altera, cum ad matrimonium celebrandum accedit, ad ritum latinum, altera ad orientalem pertinet, regi quod ad formam celebrationis attinet, can. 1094 sqq. At canone 98, § 4 mulieri transitus ad diversum ritum viri non solum *durante* matrimonio sed etiam *in ineundo* matrimonio permittitur. Idcirco nonnulli censuerunt, transitum ita fieri posse ut pars transiens iam in ipsa celebratione matrimonii diverso ritui adscripta censeri posset ideoque mulier latina viro orietali nubens, praemissa declaratione voluntatis transeundi, legi ritu orientalis non vero praescriptis Codicis I. C. subiceretur. Hanc vero interpretationem Em.mi Patres non admiserunt. Nam sensus obvius canonis 1099, in quo ex professo agitur de personis in celebrando matrimonio formae Cod. I. C. subiectis, non relinquendus est, nisi contrarium certo probaretur. Id vero non efficitur. Nam oppositio quae in canone 98, § 4 inter verba « in ineundo matrimonio » et « eo durante » habetur, aequo iure, immo melius, ut ex historia quoque canonis patet, alia ratione explicatur, ita ut hunc sensum habeat, qui ex responso Pontificiae Commissionis nunc certus redditur: mulier transire potest sive tempore quo matrimonium initur ita ut, praemissa declaratione voluntatis transeundi, ipsa celebratione matrimonii peracta ad ritum viri translata habeatur, sive posteriore quolibet tempore quo matrimonium perdurat. AEMILIUS HERMAN S. J.

[1] Cf. hoc periodicum, hoc anno pp. 9-12, 178-184.

II - DE DISPARITATE CULTUS

Canon 1099 definit quinam forma canonica matrimonii teneantur, quinam illa forma sollemni non ligentur. Primo resumit ius decreti *Ne temere*, sc. formae sollemni subicit omnes in Ecclesia catholica baptizatos et ad eam conversos, sive inter se sive cum acatholicis quibuslibet contrahant, ab ea eximit acatholicos omnes qui cum acatholicis quibuslibet contrahant, non autem apostatas.

Sed in § 2 exemptionem introducit quam decretum *Ne temere* ignorabat, sc. a formae obligatione eximit « ab acatholicis natos, etsi in Ecclesia catholica baptizatos, qui ab infantili aetate in haeresi vel schismate aut infidelitate vel sine ulla religione adoleverunt, quoties cum parte acatholica contraxerint ».

Intentio Legislatoris obscura non est; vult scilicet ut omnes qui ex acatholicis nati acatholice adoleverint lege quam bona omnino fide ignorent non praepediantur quin matrimonium validum contrahant.

In eadem via ulterius procedens Sancta Sedes in Codice impedimentum disparitatis cultus ita mutavit ut multa matrimonia quae antea nulla essent iam valide contrahi possint. Ante Codicem enim nullum erat omne matrimonium initum inter partem *valide baptizatam*, sive in *Ecclesia catholica* sive non, et partem non baptizatam. Canon autem 1070 sic decernit: « Nullum est matrimonium contractum a persona non baptizata cum persona *baptizata in Ecclesia catholica* vel ad eandem ex haeresi aut schismate conversa ». Si quis reputet numerum haereticorum qui forte non sunt valide baptizati et facilitatem quacum haeretici cum non baptizatis matrimonium contrahunt, commodum huius restrictionis impedimenti facile percipiet. Plurima iam matrimonia haereticorum bonae fidei nullitatem e disparitate cultus oriundam effugiunt.

Vix autem Canonistae hanc duplicem iuris anterioris

mutationem perceperunt cum quadam, saltem apparenti, inconcinnitate iuris perculsi sunt. Canon 1070 de illis tacet qui, ab acatholicis nati, in Ecclesia catholica baptizati sunt sed extra ipsam adoleverunt. Exempti a forma sollemni tenenturne impedimento disparitatis cultus?

Negativa responsio silentio canonis 1070 adversabatur; affirmativa miram difficultatem movebat. In multis casibus enim exemptio can. 1099, § 2 iam effectu carebat; quoties enim accidit ut qui ita acatholice adoleverunt optima fide cum non baptizato contrahant, sive compars nullimode, sive nulliter baptizata fuerit?

Statim tamen plerique commentatores [1] Codicis illos impedimento disparitatis cultus eximi negaverunt; paucissimi [2] affirmarunt; aliquot [3] rem non patere censuerunt.

Inde nobis aliquando lex illa inhabilitans dubia dubio iuris visa est, ita ut vi canonis 15 non urgeret [4]).

Sed d. 1 april. 1922, Cardinalis Praefectus Congr. de Prop. Fide, cui casus e Vicariatu Apost. Tunkini propositus erat, respondit S. Officium declarasse nullum ex impedimento disparitatis cultus matrimonium initum cum pagana a viro quem medicus catholicus in periculo mortis versantem baptizaverat, parentes autem in infidelitate omnino educaverant. Ab illo tempore controversia fere sopita est; etsi enim S. Officium Codicem authentice interpretari non possit et illud responsum in casu particulari datum in *Actis Ap. Sedis* editum non fuerit, interpretatio quae iam communior erat. data speciali S. Officii in his quaestionibus auctoritate, practice confirmari visa est, ita ut opposita sententia probabilitate iam careret. Et revera

---

[1] Cf. HILLING, *Arch. f. k. K. R.*, t. 107, 1927, 178 ss.; LINNEBORN, *Grundriss des Eherechts*, 1933, n. 241, nota 3; PAYEN, *De matrimonio*, I (2ª ed.), p. 805 et 849; VERMEERSCH, *Theol. mor.*, III (3ª ed.), n. 722, etc.

[2] GENICOT-SALSMANS, *Theol. mor.*, II (8ª ed.), n. 491.

[3] WERNZ-VIDAL, *Ius canonicum*, V (2ª ed.), n. 263.

[4] *Epit. i. c.*, II (2ª ed.), n. 344. - Sic quoque CAPPELLO, *De matrimonio* in prioribus editionibus.

eius defensor praecipuus, R. P. Salsmans ab ea recessit (*Theol. mor.*, II, ed. 14, 1939, n. 491).

Cum tamen interpretatio theoretice dubia remaneret et casus in missionibus forte non ita rari sint, opportune data est interpretatio authentica, quae communiorem sententiam confirmat.

Sententiae communioris argumentum praecipuum e silentio canonis 1070 collati cum § 2 canonis 1099 desumebatur. Duo enim canones in eodem titulo inveniuntur.

Duo canones ius antea vigens in favorem acatholicorum mutant. Canon 1099 expressam mentionem illorum facit qui, in Ecclesia baptizati, extra ipsam adoleverunt ut eos a forma eximat. Quis censeat Legislatorem eos in canone 1070 ab impedimento disparitatis cultus eximere voluisse quin ullam de iis mentionem faceret? Si umquam, sane hic valet: « Legislator quod voluit, expressit ».

Neque facile admitti potest in textum tam clarum et absolutum e sola analogia distinctionem maximi momenti induci posse. Ceterum ratio cur Legislator quosdam in Ecclesia catholica baptizatos a forma sollemni eximat, non eodem gradu pro impedimento disparitatis cultus valet. Etenim haeretici vel schismatici bonae fidei inconvenientiam matrimonii cum parte non baptizata initi percipere satis facile possunt, dum de celebratione matrimonii coram ministro catholico ne cogitare quidem possent.

P. Payen censet praeterea legem can. 1070 haud parva commoda habere. Si enim alterutra pars postea convertatur, nullitas matrimonii novae unioni cum parte catholica maiorem etiam viam pandet quam privilegium Paunum. Ignoratia autem baptismi recepti nocere non poterit; ad summum enim recursus fiet sive ad applicationem (non necessariam) privilegii Paulini vel a Sancta Sede dispensatio (etiam inutilis) super vinculo naturali petetur.

Non desunt tamen seriae obiectiones. Ac primo in quibusdam missionibus, v. g. in Sinis, satis magnus est numerus puerorum qui in vero vel praesumpto mortis peri-

culo a Sororibus vel medicis catholicis, insciis parentibus, baptizantur. Qui baptismus ob adiuncta procul dubio « in Ecclesia catholica » confertur. Sed plerique illorum puerorum, si convalescant, extra omnem educationem catholicam adolescent; matrimonium autem cum parte non baptizata plerumque, ne dicamus semper contrahent. Quod matrimonium nullum erit. Sane bona fide coniuges cohabitabunt, sed ipsa nullitas matrimonii in se est deploranda.

Si textus canonis 1070 non seiunctim sumatur, sed simul cum textu canonis 1099, aliud argumentum contra communiorem sententiam proponi poterat, quod tamen, ni fallimur, numquam clare propositum est et nos a docto collega mutuamur. In utroque canone catholici ab acatholicis distinguuntur ut primi legi subiciantur, alii ab ea eximantur. Iamvero notio catholicorum qui legi subiciuntur in utroque canone iisdem verbis effertur; sunt nempe « omnes in Ecclesia catholica baptizati et ad eam ex haeresi aut schismate conversi » (c. 1099) vel « persona in Ecclesia catholica baptizata vel ad eandem ex haeresi aut schismate conversa » (c. 1070). Nonne quis dicere possit: « Ut in canone 1099, qui in Ecclesia baptizati extra ipsam adoleverunt, quod ad legem de matrimonio acatholicis assimulantur, sic in canone 1070 inter baptizatos in Ecclesia catholica non simpliciter comprehendi possunt. Quare *contextus* in eodem titulo non permittit ut eos inter baptizatos in Ecclesia catholica in canone 1070 comprehendamus. Id eo magis valet quo magis mirum est Sanctam Sedem nullitatem matrimonii exceptione can. 1099, § 2 vitare voluisse, quam dispositione can. 1070 secundum communiorem sententiam quasi necessario causat.

Equidem argumentum istud de lege facienda multum valere censeo; sufficere vero ut interpretatio privata canonis 1070 diversa a communiore sententia proponeretur

non puto. Quare semper tamquam veriorem admisimus interpretationem quae nunc authentice proponitur[6].

I. Creusen, S. I.

III - DE TRIBUNALI COMPETENTE

Ait can. 1572 § 2: « Si vero agatur de iuribus aut bonis temporalibus Episcopi aut mense vel Curiae dioecesanae, cesanae, controversia dirimenda vel, Episcopo consentiente, ad dioecesanum tribunal collegiale quod constat officontroversia dirimenda vel, Episcopo consentiente, ad dioeciali et duobus iudicibus synodalibus antiquioribus, vel ad iudicem immediate superiorem ». Agitur videlicet de designando tribunali ordinario primae instantiae pro causis in cit. § descriptis, quae iudicari non valent a iudice ordinario primae instantiae qui est loci Ordinarius, iuxta § 1 praedicti canonis.

Dubium propositum inscribitur de *Tribunali competente*. Haec inscriptio in sensum dubii introducere videtur, quod refertur, ex ipso tenere, ad casum quo controversia dirimenda deferatur non ad iudicem immediate superiorem, sed ad tribunal dioecesanum, quod constat officiali et duobus iudicibus synodalibus antiquioribus. Ut autem controversia dirimenda deferatur ad hoc tribunal necesse est ut accedat consensus ipsius Episcopi. Itaque si vel Episcopus ipse agere vellet sive nomine proprio, sive nomine mensae aut Curiae, ei facultas datur adeundi tribunal dioecesanum in iure taxative determinatum, seu constans officiali et duobus iudicibus synodalibus antiquioribus. Verum si Episcopus *conveniri*, ut reus debeat, repraesentans nempe vel mensam aut Curiam, dubium oritur, an actori remaneat optio fori vel coram tribunali

---

[6] Cfr. *N. R. Th.*, 1925, 495. - *Epit. i. c.*, II, n. 344, 3 (6ª ed.).

dioecesano praedicto, vel coram iudice immediate superiori. Ratio dubii videtur esse quod actor deberet prius ad normam praedictae paragraphi requirere consensum Episcopi quem convenire vult. Quare satius videretur in casu Episcopum tantum coram iudice immediate superiori posse *conveniri*, seu forum rei i. e. Episcopi (quia actor sequitur forum rei) esse tantum apud iudicem immediate superiorem.

Attamen hodierna responsio optionem fori actorem habere dicit, quia Episcopus potest etiam coram tribunali dioecesano ad normam iuris constituto, ut reus consistere. Sane, illa difficultas non videtur talis quae praepedire possit aut debeat competentiam tribunalis dioecesani, etiamsi ad controversiam ei deferendam praevie consensus ipsius Episcopi accedat necesse sit. Per optionem actori datam cavetur ne ipse obligatus sit ad consensum petendum ei, contra quem litem movere intendit. Sed, obstare non debet, quod si actori commodum sit adire tribunal dioecesanum, Episcopo conveniendo consentiente, id facere nequeat.

R. Bidagor, S. I.

51 - Pontificia Commissio ad Codicis Canones authentice interpretandos Responsa 8 iul. 1940

ROMANA ET ALIARUM

RESPONSA DE COMPETENTIA [1]

Cum praesertim Motu proprio *Qua cura*, a fel. rec. Pio XI die 8 Decembris 1938 evulgato, nonnulla exorta sint dubia circa fines competentiae Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum in causis de nullitate matri-

[1] Annotationes in haec responsa edentur in sequenti fasciculo.

monii, eadem Sacra Congregatio ut hac de re controversia ex auctoritate dirimeretur a Ss.mo Domino nostro Pio Pp. XII supliciter postulavit.

Quas preces benigne excipiens, Sanctitas Sua hanc Pontificiam Commissionem ad Codicis canones authentice interpretandos, ad normam canonis 245, designare dignata est ad ipsam controversiam dirimendam.

Quare E.mi Patres huius Pontificiae Commissionis in plenariis comitiis diei 4 Iulii 1940, in Aedibus Vaticanis habitis, examini subiecerunt ea quae sequuntur dubia:

I. - An Sacrae Congregationi de disciplina Sacramentorum competat generalis et praeeminens iurisdictio in causis nullitatis matrimonii, ita ut eas ad se avocare, vel earum cursum aut sententiarum in iisdem latarum exsecutionem suspendere valeat.

Et quatenus negative:

II. - Quaenam iura eidem Sacrae Congregationi competant in causis nullitatis matrimonii.

III. - An in causis nullitatis matrimonii promotor iustitiae et defensor vinculi habendi sint ut delegati vulgo *rappresentanti* Sacrae Congregationis de disciplina Sacramentorum, ita ut haec eorum partes moderari valeat.

Et quatenus negative:

IV. - An et quomodo eadem Sacra Congregatio in casu denuntiationis nullitatis matrimonii, de qua in canone 1971 § 2, sese ingerere possit in iis quae praecedunt accusationem nullitatis matrimonii.

Porro iidem E.mi Patres ad proposita dubia responderunt:

Ad I. Negative.

Ad II. Sacrae Congregationi de disciplina Sacramentorum in causis nullitatis matrimonii competere:

a) ius dirimendi quaestiones de validitate matrimonii, quae ad eam deferantur, dummodo eaedem accuratiorem disquisitionem aut investigationem non exigant, ad normam canonis 249 § 3;

b) ius definiendi quaestiones de competentia iudicis ratione quasi-domicilii iuxta Instructionem eiusdem Sacrae Congregationis diei 23 Decembris 1929;

c) iura, de quibus in Litteris circularibus ipsius Sacrae Congregationis diei 1 Iulii 1932, *de relatione causarum matrimonialium quotannis eidem Sacrae Congregationi mittenda;* necnon iura, de quibus in numeris IV et V Motu proprio *Qua cura* Pii Pp. XI diei 8 Decembris 1938, *de ordinandis tribunalibus ecclesiasticis Italiae pro causis nullitatis matrimonii decidendis.*

Ad III. Negative.

Ad IV. Negative, salvo, re adhuc integra, recursu adversus Ordinarii iudicium.

Quas responsiones Ss.mus Dominus noster Pius Pp. XII in audientia diei 7 eiusdem mensis Iulii, subscripto Secretario concessa, benigne approbare et confirmare dignatus est.

Datum Romae, e Civitate Vaticana, die 8 mensis Iulii, anno 1940.

Card. M. Massimi, *Praeses.*

L. ✠ S.

I. Bruno, *Secretarius.*

ACTA SUMMATIM RELATA

52 - SS. D. N. Pius Pp. XII

A - Constitutione apostolica *Si sedulo evangelii*, 14 nov. 1939, Praefectura apostolica de Luapula in Congo Belgico in Vicariatum apostolicum nomine « Sakaniensem » evehitur (*AAS* XXXII [25 maii 1940] p. 175 s.).

B - Constitutione apostolica *Ad bonum animarum*, 16 dec. 1939, ab archidioecesi Sanctae Fidei et a dioecesi Tucsonensi territorii pars seiungitur et nova exinde dioecesis « Gallupiensis » erigitur, metropolitanae Ecclesiae Sanctae Fidei suffraganea (*AAS* XXXII [25 maii 1940] p. 176 ss.).

C - Litteris apostolicis *Refert ad nos*, 5 ian. 1940, templum Sancti Laurentii martyris in civitate Mortara intra fines Viglevanensis dioecesis privilegiis basilicae minoris honestatur (*AAS* XXXII [25 maii 1940] p. 179 s.).

D - Litteris apostolicis *Millesimo ducentesimo anno*, 11 ian. 1940, Sanctus CLEMENS WILLIBRORDUS, episcopus et confessor, provinciae ecclesiasticae Ultraiectensis patronus primarius declaratur, eiusque festum sub ritu duplici primae classis cum octava in omnibus Neerlandiae dioecesibus celebrandum decernitur (*AAS* XXXII [25 maii 1940] p. 180 s.).

E - Constitutione apostolica *Ad evangelicam veritatem*, 12 ian. 1940, a dioecesis Allahabadensis territorio pars seiungitur, ex qua nova erigitur Praefectura apostolica de « Jhansi » (*AAS* XXXII [6 aug. 1940] p. 296 s.).

F - Constitutione apostolica *Quo dominicus grex*, 12 ian. 1940, ab archidioecesi Agraensi et a dioecesi Allahabadensi territorii pars seiungitur, ex qua nova erigitur dioecesis « Lucknowensis » nuncupanda, metropolitanae

Ecclesiae Agraensi suffraganea (*AAS* XXXII [25 sept. 1940] p. 340 ss.).

G - Constitutione apostolica *Libenter Romanus Pontifex,* 12 ian. 1940, Abbatiae S. Benedicti Congregationis Ottiliensis O. S. B. in Vicariatu apostolico de Wonsan eiusdem Vicariatus territorii pars assignatur, et in abbatiam « nullius » constituitur sub nomine de « Tokugen » seu de « Tockwon », simulque decernitur ut Vicariatus ille cleri indigenae curis, quando res feret, committendus, de « Hanko » seu de « Hamheung » in posterum nuncupetur (*AAS* XXXII [25 sept. 1940] p. 343 ss.).

H - Constitutione apostolica *Felicius increscente,* 13 febr. 1940, dioecesis Mysuriensis territorii pars seiungitur, et nova erigitur dioecesis « Bangalorensis » nuncupanda, metropolitanae Eclesiae Pondicheriensi suffraganea; dioecesi Mysuriensi quaedam adiunguntur territoria e dioecesi Coimbatorensi dismembrata, et ipsa dioecesis Coimbatorensis cleri indigenae curis committitur. (*AAS* XXX [25 sept. 1940] p. 346 ss.).

I - Constitutione apostolica *Quo sacrorum Antistites,* 13 febr. 1940, a dioecesi Nellorensi in Indiis Orientalibus territorii pars seiungitur, ex qua nova erigitur dioecesis sub nomine « Gunturensis », metropolitanae Ecclesiae Madraspolitanae suffraganea, ipsaque indigenae cleri curis concreditur (*AAS* XXXII [30 oct. 1940] p. 396 ss.).

K - Constitutione apostolica *Ad potioris dignitatis,* 13 febr. 1940, Praefectura apostolica de Fushun in Manciuria in Vicariatum apostolicum erigitur (*AAS* XXXII [19 nov. 1940] p. 465 s.).

L - Constitutione apostolica *Quo intra fines,* 13 febr. 1940, e Vicariatu apostolico de Gimma pars seiungitur et nova erigitur Praefectura apostolica « Endeberensis » (*AAS* XXXII [19 nov. 1940] p. 467 s.).

M - Constitutione apostolica *Quae utilia,* 13 febr. 1940, a Praefectura apostolica de Neghelli et a Vicariatu apostolico de Gimma territorii pars seiungitur, et nova inde Praefectura apostolica nomine « Hosannensis » erigitur, quae Fratrum Minorum Capuccinorum Ordini concreditur (*AAS* XXXII [19 nov. 1940] p. 468 ss.).

N - Constitutione apostolica *Alteris Nostris*, 17 febr. 1940, ex dioecesis S. Caroli Ancudiae territorio meridionalis pars seiungitur, quae in novam erigitur Praefecturam apostolicam de « Aysen » nuncupandam (*AAS* XXXII [19 nov. 1940] p. 470 s.).

O - Constitutione apostolica *Ad christianae plebis*, 29 febr. 1940, a dioecesi Truxillensi in Peruana republica territorii pars seiungitur, ex qua nova erigitur dioecesis « Piurensis » nuncupanda, metropolitanae Ecclesiae Limanae suffraganea (*AAS* XXXII [19 nov. 1940] p. 472 ss.).

P - Constitutione apostolica *Summi pontificatus munus*, 1 april. 1939, a diocesi Sancti Caroli Ancudiae territorii pars seiungitur, et nova erigitur Vicariatus apostolicus Sascupandam erigitur, archidioecesi Sanctissimae Conceptionis suffraganea (*AAS* XXXII [25 sept. 1940] p. 337 ss.).

Q - Constitutione apostolica *Si apostolico*, 9 april. 1940, missio sui iuris de « Kiamusze » in Praefecturam apostolicam erigitur (*AAS* XXXII [19 nov. 1940] p. 475 s.).

R - Constitutione apostolica *Quo intra fines*, 9 april. 1940, e Vicariatu apostolico a Litore Eburneo territorii pars seiungitur, quae in dioecesim « Portus Montt » nunsandrensis (*AAS* XXXII [19 nov. 1940] p. 476 s.).

S. - Epistula *Perquam gratum*, 15 april. 1940, ad Eminent.mum P. D. DIONYSIUM tit. SS. Nerei et Achillei S. R. E. Presbyterum Cardinalem DOUGHERTY, Archiepiscopum Philadelphiensem, quinquagesimum ab inito sacerdotio annum feliciter explentem (*AAS* XXXII [19 nov. 1940] p. 485 s.).

T - Litteris apostolicis *Pietatis honorisque*, 30 apr. 1940, templum Bonaërensi in urbe, Spiritui Sancto dicatum, Basilicae minoris titulo et privilegiis honestatur (*AAS* XXXII [19 nov. 1940] p. 478 s.).

U - Homilia Sanctissimi Domini nostri habita in solemni canonizatione Beatae MARIAE A S. EUPHRASIA PELLETIER, Monialis professae Ordinis Dominae Nostrae a Caritate ac Fundatricis Instituti Sororum a Bono Pastore, itemque Beatae GEMMAE GALGANI, Virginis Lucensis, in Basilica Vaticana die 2 mensis maii, in festo Ascensionis D. N. Iesu Christi, anno 1940 (*AAS* XXXII [25 maii 1940] p. 171 ss.).

V - Oratio quam Ss.mus Dominus Noster habuit in basilica Sanctae Mariae supra Minervam, die 5 mensis maii 1940, post sacra solemnia in honorem S. Francisci Assiensis et S. Catharinae Senensis Primariorum Italiae Patronorum (*AAS* xxxii [25 maii 1940] p. 181 ss.).

X - Litteris apostolicis *Caritatem Deus*, 12 maii 1940, Venerabilis Dei Famula Philippina Duchesne e Societate Sororum a Sacro Corde Iesu beata renuntiatur (*AAS* xxxii [25 sept. 1940] p. 348 ss.).

Y - Litteris apostolicis *Ad religiosas familias* 19 maii 1940, Venerabilis Dei Serva Ioachima de Vedruna, vidua de Mas, Instituti Carmelitarum a Caritate Fundatrix, beata renuntiatur (*AAS* xxxii [25 sept. 1940] p. 354 ss.).

Z - Epistula 23 maii 1940 ad Em.mum P. D. Carolum tit. Sancti Laurentii in Lucina S. R. E. Presb. Cardinalem Cremonesi, dena sacerdotii lustra feliciter explentem (*AAS* xxxii [6 aug. 1940] p. 298 s.).

AA - Epistula *Quarto revoluto*, 23 maii 1940, ad Excell.mum P. D. Hyacinthum Tredici, Episcopum Brixiensem, quarto expleto saeculo ab obitu sanctae Angelae Mericiae, Monialium Sanctae Ursulae Institutricis (*AAS*, xxxii [19 nov. 1940] p. 486 ss.).

BB - Litteris apostolicis *Ut caritatem*, 26 maii 1940, Venerabilis Dei Serva Maria Crucifixa di Rosa, Congregationis Ancillarum a Caritate Fundatrix, beata renuntiatur (*AAS* xxxii [30 oct. 1940] p. 404 ss.).

CC - Allocutio 9 iun. 1940 qua Summus Pontifex nobilissimis verbis quibus Excellentissimus Vir Vladimirus d'Ormesson, qua Galliae Orator extra ordinem liberis cum mandatis, litteras publicas porrexerat, respondit (*AAS* xxxii [6 iul. 1940] p. 276 ss.).

DD - Litteris apostolicis *Mirabilis Deus*, 9 iun. 1940, Venerabilis Dei Famula Maria Gulielma Aemilia de Rodat, Congregationis Sororum a Sacra Familia Fundatrix, beata renuntiatur (*AAS* xxxii [30 oct. 1940] p. 398 ss.).

EE - Epistula encyclica *Saeculo exeunte octavo*, 13 iun. 1940, ad Venerabiles Fratres Patriarcham Olysipponensem, Archiepiscopos, Episcopos aliosque locorum Ordinarios

Lusitaniae eiusque trans mare terrarum, pacem et communionem cum apostolica Sede habente, saeculo exeunte VIII a Lusitania proprii iuris facta, III vero ab eadem in libertatem restituta, in qua apostolica missionalia opera enixe Lusitanis commendantur (*AAS* XXXII [6 iul. 1940] p. 249-270).

FF - Epistula 14 iun. 1940, ad Exc.mos PP. DD. IOANNEM IOSEPHUM MITTY, archiepiscopum Sancti Francisci, IOANNEM I. CANTWEL, archiepiscopum Angelorum, ceterosque Episcopos in territorio primae dioecesis Californiensis exstantibus, saeculo expleto ab ecclesiastica hierarchia in California condita (*AAS* XXXII [25 sept. 1940] p. 359 s.).

GG - Litteris apostolicis *Beati pauperes,* 16 iun. 1940, Venerabilis Dei Servus IGNATIUS A LACONI, Ordinis Minorum Capuccinorum laicus professus beatus renuntiatur (*AAS* XXXII [19 nov. 1940] p. 479 ss.).

HH - Allocutio 2 iul. 1940, qua Beatissimus Pater Eminentissimis et Rev.mis PP. Cardinalibus in festo S. Eugenii sibi fausta ominantibus respondit (*AAS* XXXII [6 iul. 1940] p. 270 ss.).

II - Litteris apostolicis *Bolivianae ditionis,* 2 iulii 1940, Basilicae minoris honoribus decoratur templum-sanctuarium Beatae Mariae Virginis de « Copacabana » intra fines dioecesis Pacensis in Bolivia (*AAS* XXXII [19 nov. 1940] p. 484 s.).

KK - Epistula *Certiores nuper,* 15 iul. 1940, ad Em.mum P. D. IOSEPHUM tit. S. Ioannis ad Portam Latinam S. R. E. Presbyterum Cardinalem MAC RORY, archiepiscopum Armachanum, annum a suscepto episcopatu quintum et vigesimum celebraturum (*AAS* XXXII [19 nov. 1940] p. 488 s.).

LL - Epistula *Septimo labente saeculo,* 15 iul. 1940, ad R. P. ALAFRIDUM SCOTTI, Ordinis B. Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum magistrum generalem, VII exeunte saeculo ab obitu Sancti RAYMUNDI NONNATI atque a martyrio Beati *Serapionis* (*AAS* XXXII [19 nov. 1940] p. 489 s.).

MM - Epistula 29 iul. 1940 ad Em.mos PP. DD. Cardinales atque Exc.mos DD. Archiepiscopos et Episcopos Galliae (*AAS* XXXII [6 aug. 1940] p. 299 s.).

NN - Allocutio 10 augusti 1940, qua Summus Pontifex humanissimis verbis quibus Exc.mus Vir Carolus Quintanilla qua Boliviae Orator extra ordinem liberis cum mandatis litteras publicas porrexerat, respondit (*AAS* xxxii [25 sept. 1940] p. 360 s.).

OO - Allocutio quam habuit Beatissimus Pater laborantibus in Actione Catholica, ab Exc.mis ac Rev.mis Ordinariis Romam missis, atque in Vaticanis aedibus die 4 septembris anni 1940 coadunatis (*AAS* xxxii [25 sept. 1940] p. 362 ss.).

PP - Epistula *Perlibenter novimus,* 14 sept. 1940, ad Em.mum P. D. Iacobum Aloysium tit. S. Hieronymi Illyricorum S. R. E. Presbyterum Cardinalem Copello, Archiepiscopum Bonaërensem, quem legatum mittit ad conventum eucharisticum e tota Argentina republica in urbe Sanctae Fidei celebrandum (*AAS* xxxii [19 nov. 1940] p. 490 s.).

QQ - Epistula *Libenti quidem,* 21 sept. 1940, ad Excellentissimum P. D. Ferdinandum Cento, Archiepiscopum tit. Seleuciensem Pierium et nuntium Apostolicum in Peruviana Republica, quem legatum mittit ad II congressum eucharisticum e tota Peruviana natione Arequipae cogendum (*AAS* xxxii [19 nov. 1940] p. 491 s.).

RR - Allocutio quam die 6 octobris 1940 Summus Pontifex habuit puellis ab Actione Catholica ex Italiae dioecesibus Romam in aedes Vaticanas convenientibus (*AAS* xxxii [30 oct. 1940] p. 409 ss.).

SS - Nuntius radiophonicus die 13 octobris 1940 a Beatissimo Padre Chrisfidelibus datus ob conventum eucharisticum e tota Argentina in urbe S. Fidei coadunatis (*AAS* xxxii [30 oct. 1940] p. 418).

TT - Nuntius radiophonicus die 19 octobris 1940 a Beatissimo Padre Exc.mis Ordinariis atque christifidelibus Foederatarum Americae Septentrionalis Civitatum datus in perviligio diei pro missionibus (*AAS* xxxii [30 oct. 1940] p. 424 ss.).

UU - Allocutio qua Beatissimus Pater die 20 octobris 1940 nobilissimis verbis quibus Exc.mus Vir Antonius Faria Corneiro Pacheco qua Lusitanae Reipublicae Orator

extra ordinem liberis cum mandatis litteras publicas porrexerat, respondit (*AAS* XXXII [30 oct. 1940] p. 146 ss.).

VV - Nuntius radiophonicus die 27 octobris 1940 a Beatissimo Padre christifidelibus datus ob conventum eucharisticum e tota Peruviana natione Arequipae congregatis (*AAS* XXXII [30 oct. 1940] p. 429 ss.).

XX - Allocutio quam die 10 novembris 1940 Summus Pontifex habuit adulescentibus ab Actione Catholica ex Italiae diocesibus Romam in aedes Vaticanas convenientibus (*AAS* XXXII [19 nov. 1940] p. 492 ss.).

YY - Allocutio qua Summus Pontifex die 15 novembris 1940 humanissimis verbis quibus Exc.mus Vir Basilius Grigorcea qua Rumeniae legatus extra ordinem liberis cum mandatis litteras publicas porrexerat, respondit (*AAS* XXXII [19 nov. 1940] p. 500 s.).

53 - Sacra Congregatio Consistorialis

1 - Decreto 2 martii 1940 paroecia S. Petri in Metola ab archidioecesi Urbinatensi dismembratur et dioecesi Urbinatensi dismembratur et dioecesi Sancti Angeli in Vado perpetuo attribuitur (*AAS* XXXII [6 iul. 1940] p. 279).

2 - Decreto 13 april. 1940 definitur iurisdictio Ordinariatus militaris in Italia (*AAS* XXXII [6 iul. 1940] p. 280 s.).

3 - Decreto 13 maii 1939 territoria quaedam praelaturae « nullius » Bananalensi (in republica Brasiliana) tam in spiritualibus quam in temporalibus attribuuntur (*AAS* XXXII [25 maii 1940] p. 189 s.).

4 - Decreto 22 iun. 1940 fines praelaturae « nullius » in spiritualibus quam in temporalibus attribuuntur (*AAS* XXXII [30 oct. 1940] p. 436 s.).

54 - Sacra Congregatio de Propaganda Fide

1 - Decreto 29 octobr. 1939 Seminarium Yarumalense pro missionibus in Columbiana dioecesi S. Rosae de Osos anno 1927 erectum, a S. Congregationis de Propaganda

Fide iurisdictione dependens declaratur (*AAS* xxxii [25 maii 1940] p. 192).

2 - Decreto 7 decembr. 1939 statuitur sinistram ripam fluminis Iangse Kiang lineam in posterum esse divisionis inter Vicariatum apostolicum de Wuchang et de Kichow (*AAS* xxxii [25 maii 1940] p. 193).

3 - Decreto 12 ian. 1940 abrogantur in formula iuramenti quod alumni Pontificii Seminarii Kandyensis praestare tenentur, verba haec: « Item voveo et iuro quod, sive religionem ingressus fuero, sive in statu saeculari permansero, si intra fines Europae fuero, quolibet anno, si vero extra, quolibet biennio, mei ipsius meique status exercitii et loci ubi moram traxero Sacram Congregationem De Propaganda Fide certiorabo » (*AAS* xxxii [25 maii 1940] p. 193 s.).

4 - Decreto 13 ian. 1940 regio quaedam a Vicariatu apostolico de Keewatin (in Canada) dividitur ac Vicariatui apostolico Sinus de Hudson adnectitur (*AAS* 25 maii 1940 p. 194 s.).

5 - Decreto 9 april. 1940 statuitur Vicariatum apostolicum a Litore Eburneo (in Africa Gallica Occidentali) territorii parte deminutum deinceps « Abidjanensis » nomine appellandum esse (*AAS* xxxii [25 maii 1940] p. 195).

6 - Decreto 28 maii 1940 statuitur ex Vicariatu apostolico de Suchow partem territorii ad septentrionem et orientem lacus Weishan sitam distrahi et Vicariatui apostolico de Yenchowfu adnecti (*AAS* xxxii [25 sept. 1940] p. 379 s.).

7 - Decreto 28 maii 1940 Vicariatum de Oubangui-Chari mutato nomine Vicariatum Banguensem vocandum esse statuitur (*AAS* xxxii [19 nov. 1940] p. 504).

8 - Decreto 28 maii 1940 a Vicariatu apostolico Banguensi distrahitur regio quaedam ad huius meridiem sita et Vicariatui apostolico de Brazzaville adnectitur (*AAS* xxxii [19 nov. 1940] p. 505).

9 - Decreto 25 iul. 1940 districtum de Kinhwa, ex Vicariatu apostolico de Hangchow dismembratum, Praefecturae apostolicae de Lishui adnectitur (*AAS* xxxii [19 nov. 1940] p. 506).

55 - Sacra Congregatio Rituum

1 - Decreto 12 martii 1940 statuitur ritus benedictionis papalis super populum elargiendae, quem servare debent sacerdotes quibus a S. Sede huiusmodi facultas indulta est (*AAS* XXXII [25 maii 1940] p. 199 ss.).

2 - Decreto 3 april. 1940 festum S. Ioannis Leonardi Confessoris ad universam ecclesiam extenditur, cum officio et missa sub ritu duplici minori celebrandum (*AAS* XXXII [6 aug. 1940] p. 311 ss.).

3 - Decreto 18 iul. 1939 approbatur nova formula benedictionis nosocomiorum aliarumque domorum aegrotis curandis, instante Rev.mo P. Praefecto Generali Clericorum Regularium Infirmis Ministrantium (*AAS* XXXII [25 maii 1940] p. 197 ss.).

Causae beatificationis et canonizationis:

1 - *Gurcen.* Decretum 5 ian. 1938, Super dubio: an constet de casu ab Urbani VIII decretis excepto, confirmationis cultus ab immemorabili tempore praestiti Beatae HEMMAE, Comitissae et Viduae, sanctae nuncupatae, Fundatrici ecclesiae Gurcensis (*AAS* XXXII [6 aug. 1940] p. 309 ss.).

2 - *Baltimoren.* Decretum 28 febr. 1940, Super dubio: an signanda sit Commissio introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur, beatificationis et canonizationis Servae Dei ELISABETH ANNAE BAYLEY, vid. Seton, Fundatricis Congregationis Sororum a Caritate Sancti Ioseph (*AAS* XXXII [30 oct. 1940] p. 438 ss.).

3 - *Ruthenen.* Decretum 14 april. 1940, Super dubio: an, stante virtutum et duorum miraculorum adprobatione, tuto procedi possit ad solemnem Venerabilis Famulae Dei MARIAE GULIELMAE AEMILIAE DE RODAT beatificationem, beatificationis et canonizationis Venerabilis Servae Dei MARIAE GULIELMAE AEMILIAE DE RODAT, Fundatricis Congregationis Sororum a Sacra Familia (*AAS* XXXII [25 maii 1940] p. 201 ss.).

4 - *Calaritana.* Decretum 14 april. 1940, Super dubio: an et de quibus miraculis constet, in casu et ad effectum de quo agitur, beatificationis et canonizationis Ven. Servi Dei IGNATII A LACONI, laici professi Ordinis Minorum Capuccinorum (*AAS* XXXII [25 maii 1940] p. 203 ss.).

5 - *Brixien.* Decretum 17 april. 1940, Super dubio: an signanda sit Commissio reassumptionis causae canonizationis Beatae Bartholomaeae Capitanio, Virginis, in casu et ad effectum de quo agitur, canonizationis Beatae Bartholomaeae Capitanio, Virginis, Fundatricis Sororum a Caritate (*AAS* xxxii [25 maii 1940] p. 206 s.).

6 - *Ebroicen.* Decretum 17 apr. 1940, Super dubio: an signanda sit Commissio introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur, beatificationis et canonizationis Servae Dei Iosephinae Gand seu Matris Sancti Dominici a Cruce, Fundatricis Congregationis S. Catharinae Senensis e tertio ordine S. Dominici (*AAS* xxxii [19 nov. 1940] p. 507 ss.).

7 - *Parisien.* Decretum 17 april. 1940, Super dubio: an signanda sit Commissio introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur, beatificationis et canonizationis Servae Dei Mariae Eugeniae a Iesu, Fundatricis Instituti Sororum ab Assumptione B. M. V. (*AAS* xxxii [19 nov. 1940] p. 510 ss.).

8 - *Calaritana.* Decretum 13 maii 1940, Super dubio: an stante approbatione virtutum et trium miraculorum, tuto procedi possit ad sollemnem Ven. Servi Dei beatificationem, beatificationis et canonizationis Ven. Servi Dei Ignatii a Laconi, laici professi Ordinis Minorum Capuccinorum (*AAS* xxxii [25 maii 1940] p. 207 ss.).

9 - *Pictavien.* Decretum 13 maii 1940, Super dubio: an et de quibus miraculis post indultam eidem Beatae ab Apostolica Sede venerationem constet in casu et ad effectum de quo agitur, canonizationis Beatae Ioannae Elisabeth Bichier des Ages, Virginis, Confundatricis Congregationis Filiarum a Cruce, vulgo Sororum S. Andreae (*AAS* xxxii [19 nov.] p. 513 ss.).

10 - *Trifluvianen.* Decretum 26 iun. 1940, Super dubio: an signanda sit Commissio introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur, beatificationis et canonizationis Servi Dei Friderici Iansoone, Sacerdotis professi Ordinis Fratrum Minorum (*AAS* xxxii [19 nov. 1940] p. 516 ss.).

11 - *Vicariatus apostolici Tananariven.* Decretum 26 iun. 1940, Super dubio: an signanda sit Commissio introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur, beatificationis seu declarationis martyrii Servi Dei Iacobi Berthieu, Sacerdotis professi e Societate Iesu, in odium

fidei, ut fertur, interfecti (*AAS* XXXII [19 nov. 1940] p. 519 ss.).

56 - Provisio Ecclesiarum

A - *Decretis S. C. Consistorialis nominati sunt*:

20 apr. 1940, Exc. P. D. MICHAEL MCGRATH, metropolitanae Ecclesiae Cardiffensi.

11 mai 1940, Em.mus et Rev.mus P. D. EMMANUEL CAELESTINUS S. R. E. Cardinalis SUHARD, hactenus Archiepiscopus Rhemensis, metropolitanae Ecclesiae Parisiensi.

11 maii 1940, Exc. P. D. AEMILIUS ROQUES, hactenus Archiepiscopus Aquensis, metropolitanae Ecclesiae Rhedonensi.

11 maii 1940, Exc. P. D. FLORENTIUS DU BOIS DE LA VILLERABEL, hactenus Episcopus Anneciensis, metropolitanae Ecclesiae Aquensi.

11 mai 1940, Exc. P. D. IOSEPHUS IOANNES AMATUS MOUSSARON, hactenus episcopus Cadurcensis, metropolitanae Ecclesiae Albiensi.

18 maii 1940, Exc. P. D. GULIELMUS GRIFFIN, cathedrali Ecclesiae Trentonensi.

18 maii 1940, Ex. P. D. IOSEPHUS CHARBONNEAU, Coadiutor cum iure successionis Exc. P. D. GEORGII GAUTHIER, Archiepiscopi Marianopolitani.

21 maii 1940, R. D. GEORGIUS MELANÇON, cathedrali Ecclesiae Chicoutimiensi.

25 Maii 1940, R. P. IOANNES VRAKKING, e Congr. Missionariorum S. Cordis, cathedrali Ecclesiae Surigensi noviter erectae.

30 maii 1940, R. D. AEMILIUM GUERRY, Coadiutor cum iure successionis Exc. P. D. IOANNIS ARTHURI CHOLLET, Archiepiscopi Camaracensis.

9 iun. 1940, R. D. IOANNES MICHAEL O'NEIL, cathedrali Ecclesiae Portus Gratiae.

1 iul. 1940, Exc. P. D. ANIELLUS CALCARA, hactenus Archiepiscopus Compsanus et Episcopus S. Angeli de Lombardis et Bisaciensis, archiepiscopali Ecclesiae Consentinae.

1 iul. 1940, Exc. P. D. DOMINICUS ETTORE, cathedrali Ecclesiae Nucerinae et Tadinensi.

1 iul. 1940, R. D. Iosephus Angrisani, cathedrali Ecclesiae Casalensi.

3 iul. 1940, R. D. Ioannes Vincentius Solis Fernandez, cathedrali Ecclesiae Alajuelensi.

17 iul. 1940, R. D. Abraham Martinez, cathedrali Ecclesiae Tacambarensi.

17 iul. 1940, R. D. Emmanuel Yerena, cathedrali Ecclesiae Huejutlensi.

20 iul. 1940, R. D. Bernardus Espelage, Ordinis Fratrum Minorum, cathedrali Ecclesiae Gallupiensi, noviter erectae.

23 iul. 1940, R. P. Paulus Napholcz, Soc. Iesu, cathedralibus Ecclesiis Satmariensi et Magnovaradensi Latinorum.

26 iul. 1940, R. D. Lucianus Lebrun, cathedrali Ecclesiae Augustodunensi.

26 iul. 1940, R. D. Petrus Théas, cathedrali Ecclesiae Montis Albani.

27 iul. 1940, R. D. Franciscus Xaverius Valdivia, cathedrali Ecclesiae Linarensi.

1 aug. 1940, Exc. P. D. Nicolaus de Carlo, cathedrali Ecclesiae Resistenciae, noviter erectae.

1 aug. 1940, R. P. Iosephus Weimann, Congr. Ss. Redemptoris, cathedrali Ecclesiae S. Iacobi de Estero.

9 aug. 1940, R. D. Victorius De Zanchie, cathedrali Ecclesiae Feretranae.

16 aug. 1940, R. D. Iosephus Hurley, cathedrali Ecclesiae Sancti Augustini.

21 aug. 1940, Exc. P. D. Aloysius Augustinus Marmottin, hactenus Episcopus S. Deodati, metropolitanae Ecclesiae Rhemensi.

28 aug. 1940, Exc. P. D. Antonius Melomo, hactenus Episcopus Monopolitanus, metropolitanae Ecclesiae Compsanae atque cathedralibus Ecclesiis S. Angeli de Lombardis et Bisaciensi aeque principaliter unitis.

28 aug. 1940, R. D. Felix Bonomini, cathedralibus Ecclesiis Interamni et Narniensi aeque principaliter unitis.

19 sept. 1940, Exc. P. D. Ugo Bressane De Araujo, hactenus Episcopus de Bomfim, cathedrali Ecclesiae Guaxupensi.

30 sept. 1940, R. D. Augustus Cesbron, cathedrali Ecclesiae Anneciensi.

6 oct. 1940, R. D. Aemilius Blanchet, cathedrali Ecclesiae S. Deodati.

11 oct. 1940, R. D. Alfonsus Buteler, cathedrali Ecclesiae Mendozensi.

6 nov. 1940, R. P. Ioannes McQuaid, Congreg. S. Spiritus, metropolitanae Ecclesiae Dublinensi.

B - *Decretis S. C. pro Ecclesia Orientali nominati sunt*:

17 iul. 1940, Exc. P. D. Paulus Petrus Gojdič, cathedrali Ecclesiae Prešovensi Ruthenorum.

12 aug. 1940, Exc. P. D. Aloysius Batanian, Vicarius generalis Exc. P. D. Patriarchae Ciliciae Armenorum.

29 aug. 1940, R. P. Ioannes Cyrillus Zohrabian, Ord. Fratrum Minor Capucc., Vicarius patriarchalis Armenorum in Alta Gezira.

C - *Decretis S. C. de Propaganda Fide nominati sunt*:

9 apr. 1940, R. P. Thomas Pothacamury, cathedrali Ecclesiae Gunturensi.

9 apr. 1940, R. P. Oubagaraswami Bernadotte, cathedrali Ecclesia Coimbaturensi.

9 apr. 1940, R. P. Alfonsus Kirmann, Soc. pro Miss. ad Afros, Vicarius Apostolicus Sassandrensis.

28 maii 1940, R. P. Carolus Gulielmus Quinn, Congr. Miss., Vicarius Apostolicus de Yukiang.

28 maii 1940, R. D. Ioannes M. Phung, Coadiutor cum futura successione Exc. P. D. Ioannis Baptistae Tong, Vicarii apostolici de Phat-Diem.

26 iun. 1940, Exc. P. D. Nicolaus Vincentius Prennushi, hactenus Episcopus Sappensis, archiepiscopali Ecclesiae Dyrrachiensi.

26 iun. 1940, R. D. Georgius Volaj, episcopali Ecclesiae Sappensi.

26 iun. 1940, R. P. Ioseph Trocellier, Congr. Oblat. B. M. V. Immac., Coadiutor Exc. P. D. Gabrielis Breynat, Vicarii apostolici de Mackenzie.

9 iul. 1940, R. P. Henricus Thünemann, Inst. Oblat. S. Francisci Sal., Vicarius apostolicus de Keimoes.

10 iul. 1940, R. P. Bonaventura Leo Uriarte, Ord. Fratrum Minor., Vicarius apostolicus de Ucayali.

1 aug. 1940, R. P. Albertus Soegijapratana, Soc. Iesu, Vicarius apostolicus Semarangensis.

8 aug. 1940, Exc. P. D. Franciscus Cekada, cathedrali Ecclesiae Scopiensi.

57 - Nominationes

Decretis S. C. de Propaganda Fide renuntiati sunt:

5 apr. 1940, R. P. Antonius Michelato, ex Ordine Serv. Mariae, Praefectus apostolicus de Aysen.

18 apr. 1940, R. P. Hermenegildus a Losenstein, Ord. Fratrum Minor. Capuccinorum, Praefectus apostolicus de Kiamusze.

12 iul. 1940, R. P. Thomas Albertus Newman. Soc. Missionar. B. M. V. a « La Salette », Praefectus apostolicus apostolicus de Akyab.

58 - Designationes pro appellatione

Vicarius apostolicus Erythreae ac Praefecti apostolici de Tigrai et de Condar, quibus facta est potestas instituendi in urbe Asmara unicum tribunal primae instantiae, designaverunt pro appellatione tribunal Vicariatus apostolici de Mogadisciu, in urbe Mogadisciu.

Praefectus vero apostolicus de Dessiè, cui facta est potestas instituendi tribunal primae instantiae in urbe Addis Abeba ,designavit pro appellatione tribunal Vicariatus apostolici Erythreae, in urbe Asmara.

Ordinarius pro Ruthenis Podocarpaticis in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis quoad appellationem designavit tribunal Archidioecesis Philadelphiensis.

Quas designationes Ss.mus D. N. Pius Pp. XII in Audientia diei 8 mensis iunii a. 1940 approbavit. (*AAS* XXXII [6 aug. 1940] p. 303).

Iuxta can. 1594 § 2 Codicis Iuris Canonici, Archiepiscopus Ss.mae Conceptionis designavit pro appellatione in secunda instantia Tribunal Ordinarii S. Iacobi in Chile.

Quam designationem Sacra Congregatio Consistorialis die 2 Iulii 1940 adprobavit (*AAS* XXXII [6 aug. 1940] p. 302).

Exc. P. D. Ioannes Subercaseaux Errazuriz, Archiepiscopus Serenensis, designavit Ordinarium S. Iacobi in Chile pro appellatione in secunda instantia, ad normam can. 1594, § 2 Cod. I. C.

Quam designationem S. Congregatio Consistorialis approbare dignata est die 28 Septembris 1940 (*AAS* XXXII [19 nov. 1940] p. 503).

59 - Necrologium

12 ian. 1940, R. D. Ioannes March, Episcopus Portus Gratiae.

21 apr. 1940, R. D. Iosephus Marcozzi, Episcopus Calvensis et Theanensis.

24 apr. 1940, R. D. Robertus Nogara, Archiepiscopus Consentinus.

2 maii 1940, R. D. Simon Barta, Episcopus Budvicensis.

16 maii 1940, R. D. Theotonius Emmanuel Ribeiro Vieira de Castro, Patriarcha Indiarum Orientalium.

17 maii 1940, R. D. Albinus Pella, Episcopus Casalensis.

22 maii 1940, R. D. Guilelmus Forbes, Archiepiscopus Ottaviensis.

29 maii 1940, R. D. Thomas Camacho, Episcopus Saltensis.

6 iun. 1940, R. D. Ioannes Pius Dowling, Archiepiscopus Portus Hispaniae.

19 iul. 1940, R. D. Ionas de Araujo Batinga, Episcopus Penedensis.

13 aug. 1940, R. D. Patritius Barry, Episcopus Sancti Augustini.

22 aug. 1940, Em.mus D. Cardinalis Isidorus Gomà y Tomas, Archiepiscopus Toletanus.

31 aug. 1940, R. D. Georgius Gauthier, Archiepiscopus Marianopolitanus.

8 sept. 1940, R. D. Leonardus Brindisi, Archiepiscopus Corcyrensis et Episcopus Zacynthiensis et Cephaloniensis.

8 sept. 1940, R. D. Arthurus Hieronymus Drossaerts, Archiepiscopus Sancti Antonii.

19 sept. 1940, R. D. Patribus Casey, Episcopus Rossensis.

22 sept. 1940, R. D. Ioachim Ferreira de Mello, Episcopus Pelotensis.

28 sept. 1940, R. D. Stephanus Breyer, Episcopus Jaurinensis.

22 octobr. 1940, R. D. Augustinus Simeone, Episcopus Foroiuliensis.

24 octobr. 1940, R. D. Gulielmus Timotheus Cotter, Episcopus Portus Magni.

29 octobr. 1940, R. D. Caelestinus Endrici, Archiepiscopus Tridentinus.

30 octobr. 1940, R. D. Gregorius Haggiar, Episcopus Ptolemaidensis Melchitarum.

7 nov. 1940, R. D. Maximilianus Crespo, Archiepiscopus Popayanensis.

NOTAE BIBLIOGRAPHICAE

Pietro Albrigi, *Sacra Liturgia. I sacramenti e i sacramentali.* Vicenza (Società anonima tipografica) 1940, 22×15 cm., p. 352, pretium: l. 20.

Iosephus Corradini, *Innovationes Codicis circa ius patronatus.* Tridenti (M. Dossi et C.) 1940, 24,5×17 cm., p. XII-98, pretium: l. 6.

Antonius Peinador, C. M. F., *Sacerdotium saeculare et Status religiosus, seu de perfectione comparata inter Sacerdotium saeculare et Statum religiosum.* Romae (Typographia polyglotta « Cuore di Maria ») 1940, 25×17 cm., p. 76.

Timotheus Schaefer, O. F. M. Cap., *De Religiosis ad normam codicis iuris canonici,* Editio tertia aucta et emendata. Romae (S. A. L. E. R.) 1940, 23×16 cm., p. LXIII-1370.

L. Todesco, *Manuale di storia della Chiesa,* vol. II. Da Bonifacio VIII al secolo XX. Torino-Roma, Marietti, 1937, 22×14,5 cm., p. 598, pretium, l. 30.

INDEX SCRIPTORUM HUIUS TOMI

Philippus Aguirre, S. I., Prof. iur. publ. et concord. in Pont. Univ. Gregoriana, p. 79 ss., 210 ss, 289 ss.

Hubertus Beijersbergen, S. I., Prof. iur. can. in Coll. Max. Traiectensi in Hollandia, p. 16 ss.

Raymundus Bidagor, S. I., Prof. inst. iur. rom. in Pont. Univ. Gregoriana, Consultor S. Congr. de D. Sacram. p. 269 s.

Timotheus L. Bouscaren S. I., Prof. text. iur. can. in Pont. Univ. Gregoriana; Consultor S. Congreg. de Prop. Fide, p. 114 ss., 123 ss., 132 ss., 141 ss., 187 ss., 192 ss., 239 ss.

Eduardus L. Coffey, Prof. phil. iur. in Pont. Univ. Gregoriana, p. 103 ss.

Iosephus Creusen, S. I., Prof. text. iur. can. in Pont. Univ. Gregoriana; Cons. Congr. S. Officii, p. 184 ss, 389 ss.

Paschalis d'Elia, S. I., Prof. sinolog. in Pont. Univ. Gregoriana, p. 376 ss.

Augustinus Garagnani, S. I., Praeses Inst. cult. super. relig. in Pont. Univ. Gregoriana, p. 334 ss.

Iosephus de Guibert, S. I., Prof. theol. ascet. in Pont. Univ. Gregoriana, Consultor S. Congr. SS. Rit. p. 138 ss.

Ioannes M. Hanssens, S. I., Prof. inst. liturg. in Pont. Univ. Gregoriana; Consultor S. Congr. pro Eccl. Orient. et SS. Rit. in sectione liturgica, p. 190 ss.

Aemilius Herman, S. I., Prof. iur. can. orient. in Pont. Inst. Orientali; Consultor S. Congr. pro Eccl. Orient., p. 1 ss., 178 ss., 388.

Ioannes Lo Grasso, S. I., Prof. inst. iur. can. in Pont. Univ. Gregoriana, p. 357 s.

Leo Lopetegui, S. I., Prof. hist. gen. miss. in Pont. Univ. Gregoriana, p. 372 ss.

Ulpianus Lopez, S. I., Prof. theol. mor. in Pont. Univ. Gregoriana, Consultor S. C. de Discipl. Sacramentorum, p. 23 ss., 195 ss., 302 ss.

Ioannes M. Restrepo, S. I., Prof. hist. Cur. rom. ad Tabul. Vatic.; theol. Datar. Apost. et S. Paenit., p. 117 ss., 233 ss., 237 ss., 240 ss.

Sebastianus Tromp S. I., Prof. theol. fundam. in Pont. Univ. Gregoriana; Qualificator S. Congreg. S. Officii, p. 169 ss.

Guglielmus de Vries S. I., Prof. introd. in stud. orient. in Pont. Inst. Orientali, p. 226 ss.

INDEX DISSERTATIONUM ET QUAESITORUM

DISSERTATIONES

	Pag.
De ritu mulieris, Aemilius Herman, S. I.	1
De monitione facienda fidelibus ut accedant ad ecclesias paroeciales proprias, H. Beijersbergen, S. I. . .	16
Theoria legis mere poenalis et hodiernae leges civiles, Ulpianus Lopez, S. I.	23
De imagine perfecti oratoris sacri ad mentem S. Rob. Bellarmini, Sebastianus Tromp, S. I.	169
Ad interpretationem canonis 98 § 4, Aemilius Herman, S. I.	178
De ignorantia naturae matrimonii, Raymundus Bidagor, S. I.	269
Ecclesia et Status in Lusitania secundum recens Concordatum, Philippus Aguirre, S. I.	289
De Inquisitione circa pietatem ordinandorum et de animi libertate in usu Communionis frequentis, Ulpianus Lopez, S. I.	302

QUAESITA VARIA

De impedimento iuris ecclesiastici in neo-conversis, Ios. Creusen, S. I.	184
Quaestiones de sacra ordinatione, T. Lincoln Bouscaren, S. I.	187
Consultatio de caeremoniis hebdomadae sanctae, Ioannes M. Hanssens, S. I.	190
An sacerdotes ex clero indigena in missionibus gaudeant privilegiis omnibus Piae Unioni concessis, T. Lincoln Bouscaren, S. I.	192
Casus conscientiae: de servitio militari et de « obiectione conscientiae », Ulpianus Lopez, S. I.	195

INDEX ANALYTICUS MONUMENTORUM

SS. D. N. PIUS PP. XII — *Pag.*

1 - Litterae Encyclicae Summi Pontificatus, 20 oct. 1939 34
Annotationes. 79
2 - Epistula Encyclica Sertum laetitiae, 1 nov. 1939 90
Annotationes 113
3 - Constitutio Ap.ca « Baltimorensis », 22 iul. 1939. 111
Annotationes 114
4 - Litterae Ap.cae 9 nov. 1939 (*Annotationes*) . . 117
16 - Sermo in pervigilio Nativitatis 203
Interpretatio 207
Annotationes PH. AGUIRRE S. I. 210
17 - Nuntia telegraphica 10 maii 1940 216
Annotatio 217
34 - Concordatum Lusitanum 308
Pactum missionale 319
35 - Epistula ad Praepositum Generalem Societatis Iesu 317
Annotationes A. GARAGNANI S. I. . . . 332
36 - Motu proprio 27 oct. 1940 339

Acta summatim relata.

10 - 25 - 52 . . . . . 150, 243, 397

S. C. S. OFFICII.

5 - Decretum 12 dec. 1939 123
Annotatio 123
18 - 19 - 37 - 38 Decreta 4 martii, 27 aprilis, 30 octobris, 20 novembris 1940 . . . . 217, 218, 332
39 - Decretum 2 dec. 1940 345
Annotationes 345
40[1] - 40[2] - *Submissionis notificationes* 354

S. C. CONSISTORIALIS.

6 - Index Facultatum 8 dec. 1939 124
41 - Decretum circa iurisdictionem Ordinarii militaris in Italia 355
Annotationes, I. Lo GRASSO S. I. 357
53 - *Acta summatim relata* 403

Pag.

S. C. DE DISCIPLINA SACRAMENTORUM.

43 - Normae pro exsequendis Litteris Apostolicis « Qua cura » 8 die 8 dec. 1938 Motu Proprio datis. 359

S. C. CONCILII.

44 - Resolutio 13 apr. 1940 364
26 - *Acta summatim relata* 249

S. C. DE PROPAGANDA FIDE.

7 - Instructio 8 dec. 1939 130
Annotationes 132
45 - Decretum 29 oct. 1939 371
Annotationes: L. Lopetegui S. I. . . . 372
46 - Decretum 9 apr. 1940 375
Annotationes: P. M. D'Elia S. I. . . . 376
54 - *Acta summatim relata* 403

S. C. RITUUM.

8 - Decretum 8 ian. 1939 138
Annotationes 155. 250
47 - Benedictio nosocomiorum aliarumque domorum aegrotis curandis 379
48 - Ritus benedictionis papalis 382
55 - *Acta summatim relata* 405

S. C. PRO ECCLESIA ORIENTALI

20 - De recta cleri orientalis institutione in territoriis patriarchalibus 219
Annotationes: G. De Vries, S. I. 226
42 - Responsum de Dignitatibus a Praelatis Ritus Orientalis concessis 358

S. PAENITENTIARIA APOSTOLICA.

21 - Summarium indulgentiarum 231
Annotationes: I. Restrepo, S. I. 233
22 - Notificatio 24 nov. 1939 235
28 - *Acta summatim relata* 252

S. SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL.

49 - Normae datae pro Lusitania die 22 aug. 1940 . 384

S. ROMANA ROTA.

29 - Tabulae synopticae causarum 1939 253

DATARIA APOSTOLICA.

23 - Declaratio 8 apr. 1940 236
Annotatio (R.) 237

Pag.

PONT. COMMISSIO INTERPR. CODICIS.

9 - Responsa 24 iul. 1939. *Annotationes* . . . 141
24 - Responsa 19 ian. 1940 238
Annotationes, dub. I T. Bouscaren, S. I. . 239
Annotationes, dub. II I. M. Restrepo, S. I. . 240
50 - Responsa 29 april. 1940 387
Annotationes 388
51 - Responsa 8 iul. 1940 394

PROVISIONES ECCLESIARUM

12 - 30 - 56 . . . . . 155, 256, 407

NOMINATIONES.

13 - 31 - 57 . . . . . 155, 258, 410

DESIGNATIONES PRO APPELLATIONE.

14 - 32 - 58 . . . . . 156, 258, 410

NECROLOGIUM.

16 - 33 - 59 . . . . . 156, 258, 411

NOTAE BIBLIOGRAPHICAE 157, 260, 413

Periodica de re morali

v.29
1940

CBPac

v.29
1940

17263

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709

GTU Library
3 2400 00335 6890